BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO BORBONICO FERORENSE
31
9 C
23

Digitized by Google

HISTORIA
UTRIUSQUE TESTAMENTI

AUCTORE

CAROLO ANTONIO ERRA

Mediolanenſi Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei.

TOMUS TERTIUS.

Ab Israelitarum in Terram Promissionis ingressu usque ad eorum Captivitatem.

VENETIIS MDCCLX.

Apud Simonem Occhi.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

LIBER QUINTUS.

Cap. I. Joſue Exploratores mittit Jerichuntem. Rahab pietas. Populus ſicco veſtigio Jordanem trajicit. Circumciſio reſtituitur. Paſcha celebratur. Manna ceſſat. Joſue Angeli viſione confirmatur. pag. 1.

Cap. II. Mœnia Jerichuntis corruunt. Urbis excidium, una excepta Rahab familia. Hai capitur, & poſt Achami necem deletur. Benedictiones, & maledictiones in Populum pronuntiatæ. Altare cum Legis adſcriptione erectum. 5

Cap. III. Fœdus cum Gabaonitis temere ſancitum. Reges genti illi infeſti ab Iſraelitis devicti. Lapidum pluvia. Solis & Lunæ ſtatio. Varia de eo prodigio ſyſtemata. 10

Cap. IV. Reliqua Chanaanitidis regio cedit Iſraelitis. Calebi portio. Terræ diviſio. Arca in Silo collocatur. Altare in Jordanis ripa erectum. Joſue obitus. 21

Cap. V. Quænam Judicum Imperii forma. Variæ de annis, quibus imperarunt Judices, opiniones. Quis Libri Judicum Auctor. Seniorum Anarchia. Tribus Juda Dei oraculo electa, bello Adonibeſechum fregit. Ephraimi expeditio. 36

Cap. VI. Michæ Idolum. Danitæ expeditionem in Lais ſuſcipiunt, Bellum ceterarum Tribuum in Tribum Benjamin. Virginum raptus. 42

Cap. VII. Hebræi ſerviunt Chuſan, Eglon, Philiſthæis, & Jabin. Liberantur autem ab Othoniele, Aod, Samgar, Debora, & Barach. 49

Cap. VIII. Quarta ſervitus, ad quam ſolvendam Gedeon eligitur. Is aram Baalis evertit. Vellus primum, deinde Area rore perfunditur. Victoria de

Madianitis. Gedeon Ephod conficit, quod populo ſcandalum eſt. 54
Cap. IX. *Abimelechus imperium invadit apud Sichimitas, quos e ſeptuaginta fratribus ſuperſtes Joathan artificioſa oratione monet. Sichimitæ deſciſcunt ab Abimelecho; quo tandem occiſo Reſpublica primum a Thola, deinde ab Jair adminiſtratur.* 61
Cap. X. *Quinta ſervitus, cui excutiendæ excitatur Jephte. Inſigne hujus Judicis votum. Bellum inter Galaaditas, & Ephraimitas. Abſan, Abialon, & Abdon Judices. Idumæorum nomen Chriſtianis affictum.* 65
Cap. XI. *Sexta ſervitus. Heli judicat, judicat & Samſon, cujus ortus, res geſtæ, & interitus deſcribuntur.* 73
Cap. XII. *Anna precibus obtinet Samuelem, quem Domino conſecrat. Scelera Ophni, & Phinees, quorum patri Heli Samuel infortunium revelat. Bellum inter Iſraelitas & Philiſthæos, in quo Arca capitur, & Ophni, & Phinees cæduntur. Mors Heli. Arcæ translatio. Bethſamitarum temeritas punita.* 84
Cap. XIII. *Samuel regimen init. Victoria de Philiſthæis, & pax inde ſecuta. Filios ſuos Samuel pro ſe Judices creat. Populus de iis queſtus Regem poſtulat. Saul eligitur. Bellum Ammonitarum in Jabitas. Regnum Sauli confirmatur. Allocutio Samuelis ad populum.* 95
Cap. XIV. *Anni, quibus Saul regnavit. Philiſthæi iterum Iſraelitas aggrediuntur. Saulis inobedientia. Victoria de Philiſthæis per Jonatham. Alia Saulis bella, Saul ob ſervatum Regem Agag reprobatur.* 105
Cap. XV. *David in Regem eligitur. Bellum Philiſthæorum in Saulem. Victoria Davidis de Goliath. Saulis odium in Davidem. Fœdus amici-*

tiæ inter Davidem & Jonatham. Perſecutiones Saulis David fugit. Samuel moritur. 113

Cap. XVI. *Nabal Davidem irritat, quem placat Abigail. David fugit ad Achin. Sedes illi in Siceleg. Bellum Philiſthæorum in Iſraelitas. Samuelis apparitio. Saul ſe ſe occidit, cui juſta Jabitæ perſolvunt.* 128

Cap. XVII. *David damnato Amalecita, qui jactabat Saulem a ſe fuiſſe necatum, laudes Saulis & Jonathæ funebri cantico recenſet. Bellum inter Davidem & Isboſethum. Aſaelis mors. Davidis uxores & filii. Abner ab Isboſeth ad Davidem tranſit. Abneri, & Isboſethi mors.* 139

Cap. XVIII. *David ſolus regnat in Iſraele. Urbem Hieroſolymorum expugnat. Philiſthæi debellantur. Trium Heroum facinus. Supremi. Duces. Quatuor Gigantum interitus. Arcæ translatio. Miſericordia David in Miphiboſethum. Mors Ozæ. David de ædificando Templo cogitat; ſed honor tanti operis Salomoni reſervatur.* 147

Cap. XIX. *Davidis victoriæ de Philiſthæis, Ammonitis, Syris, Idumæis. Bellum in Adarezerum. Davidis Præfecti. Sadoc & Abiathar ſimul Pontifices. Hanon Ammonitarum Rex probro afficit Davidis Legatos. Bellum inter utrumque Regem. Davidis adulterium & homicidium. Salomon naſcitur. Rabbath expugnatur.* 158

Cap. XX. *Abſalom inſigni nitet cæſarie. Ammonis cum Thamare inceſtus. Abſalom interfecto Ammone fugit. Revocatur. Bellum inter Abſalomum & Davidem. Hiſtoria Sibæ, Semei, Achithophelis, & Berzellai.* 168

Cap. XXI. *David Hieroſolymam revertitur. Abela per Joabum obſeſſa. Fames Saulis crimine inducta. Vanum Davidis populum cenſendi ſtudium lue punitur. David omnia parat, quibus Templo ædificando opus eſt. Levitarum Claſſes, Sacer-*

cer-

cerdotum Familiæ, Militum Cohortes, Regni & Aulæ Præfecti. 185

Cap. XXII. *Abiſag fovet Davidem ſenectute rigentem. Adoniam conſpirationem molitur, ut Regnum occupet. Salomon ſucceſſor Davidis agnoſcitur, & Rex conſecratur. Adoniæ ad Altare confugienti Salomon parcit. David ſuprema monita dat Salomoni: Moritur. Salomonem in Patris ſepulcro theſauros condidiſſe, ambigitur. David Chriſti typus. Fabula de illius obitu a Judæis conficta.* 204

Cap. XXIII. *Salomon ſolus regnat. Adoniæ, Abiathari, Joabi, & Semei infortunium. Salomon filiam Regis Ægypti uxorem ducit, ſapientiam a Deo obtinet, difficillimam duarum meretricum cauſam dirimit. Imperii ejus amplitudo, gloria, & felicitas.* 213

LIBER SEXTUS.

Cap. I. *Salomon Templum condit, quod deſcribitur.* 224

Cap. II. *Templum Salomon Domino dedicat, cujus vices tanguntur. Ædium Salomonis, ejuſque uxoris deſcriptio. Salomon urbes varias munit, claſſemque in Ophir tranſmittit.* 235

Cap. III. *Regina Saba Salomonem inviſit. Salomonis lapſus. Quid Numinis Aſtarthes, Moloch, & Chames? Abias Regnum decem Tribuum Jeroboamo prænuntiat. Salomon obit. Salus ipſius incerta.* 245

Cap. IV. *Regnum Hebræorum ſcinditur. Roboamus, & Jeroboamus regnant, alter in Juda, alter in Iſraele. Invectus Vitulorum cultus. Seſacus ſacros, regioſque theſauros diripit. Roboamo ſuccedit Abias qui Jeroboamum devincit. Nadabo cum tota Jeroboa-*

boa-

boami ſtirpe deleta, Baaſa Iſraelis Regnum occupat. 258

CAP. V. *Aſa depulſa ex Juda Idololatria Zaram Ethiopiæ Regem ſuperat, concitatque Benadadum Syriæ in Baaſam Regem Iſraelis. Baaſæ ſuccedit Ela, Elæ Zamri, Zamri Amri Samariæ fundator, Amri Acabus. Aſam excipit Joſaphatus.* 274

CAP. VI. *Elias paret in Iſraele. Alitur a corvis. Viduæ Sareptanæ multiplicat oleum, & farinam, ac filium ad vitam reſtituit. Deducit e Cælo ignem in victimam. Imbrem prece obtinet. Deliteſcit in ſpelunca Horeb. Dominus apparet. Eliſæum ſibi ſucceſſorem conſtituit.* 284

CAP. VII. *Benadadus Samariam obſidens profligatur. Iterum vincitur ad Aphec. Achabus fœdus cum illo componit. Naboth vineam ſuam Achabo negans, artibus Jezabelis damnatur. Pœnitentia Achabi.* 292

CAP. VIII. *Achabus & Joſaphatus in Syriæ Regem fœderati. Occiſo Achabo ſuccedit Ochozias, qui Beelzebub conſulit. Eliæ inſultantes ignis abſumit. Illius in Cælum raptus.* 299

CAP. IX. *Eliſæus miraculis claret. Tribus Regibus in Moabitas moventibus victoriam prænuntiat, & ſiti laborantibus copiis aquas ſufficit. Filius Regis Moabitarum ſacrificatur. Alia Eliſæi prodigia. Naaman Syrus lepra mundatur, quo morbo Giezi punitur.* 312

CAP. X. *Joſaphatus Regnum relinquit Joramo, qui Eliæ epiſtolas minarum plenas accipit. Eliſæus Benadadi inſidias detegit. Samaria obſidione & fame premitur, quibus malis prodigio liberatur. Benadadi interitus ab Eliſæo prædicitur.* 324

CAP. XI. *Jehu Rex conſecratur, qui Achabi domum delet, & Baalis cultores occidit. Hujus Regis cum Hazaele bellum. Rechabitarum mores. Athalia Regnum Juda invadit; qua ſublata Joas ad Sce-*

ptrum vocatur. Poſt Jehu regnat Joachaz. 331

Cap. XII. *Amaſias regnat in Juda, Joas vero in Iſraele, quibus imperantibus obit Eliſæus. Jeroboamus II. Zacharias, Sellum, Manehen, Phacejas, Iſraelis Reges. Azarias, ſive Ozias Rex Juda.* 347

Cap. XIII. *Phacee, Filius Romeliæ, unus ex primoribus Regni Præfectis Phacejam Regem Iſraelis aggreſſus eſt, ſecum ducens Argob, & Arie, atque Galaaditarum quinquaginta conjurationis ſocios, eoque in Palatio Samariæ occiſo Regnum occupavit, quod per viginti annos adminiſtravit, Idololatriæ vitulorum aureorum addictus.* 359

Cap. XIV. *Oſee regnat in Iſraele, quo ſuperato Salmanaſar transfert Iſraelitas in Aſſyriam. Samaritani, qui & Cutæi. Variæ de eorum Pentateucho ſententiæ. Numina, quibus illi erant addicti.* 369

Cap. XV. *Ezechiæ Pietas. A Sennacheribo invaſus Angeli ope liberatur. Æger ſanatur. Solis retrogradi prodigium. Regis vanitas. Obitus.* 381

Cap. XVI. *Manaſſis impietas, captivitas, pœnitentia, & reditus. Amon ſuccedit Manaſſi, poſt quem regnat Joſias religione inſignis. Volumen Legis reperitur.* 395

Cap. XVII. *Joachaz, Joachimi, Jechoniæ, & Sedeciæ infortunia. Excidium Hieroſolymæ per Nabuchodonoſorem. Judæi in captivitatem adducti. Librorum Regum, & Paralipomenon Auctores.* 408

T A-

TABULA
CHRONOLOGICA
in Tomum III.

Anno Mundi		Ante Christum
2553	Moyſi ſuccedit Joſue, qui Iſraelitas in Terram Promiſſionis traducit. Manna pluere ceſſat, Jericho capitur, Sol & Luna conſiſtunt.	1447
2559	Devictam Chanaanitidem Joſue incipit dividere.	1441
2560	Arca Domini in Silo ſtatuitur.	1440
2570	Joſue moritur, & Seniores quindecim circiter annorum ſpatio Rempublicam adminiſtrant; quo tempore bellum in Adonibeſechum contigiſſe creditur.	1430
2585	Poſt Seniorum obitum Anarchia viget, cui ſeptem annorum ſpatium aſſignamus; quo tempore Michæ Idololatria, Danitarum expeditio in Lais, & Benjamitarum exterminium facile contigere.	1415
3591	Prima Hebræorum ſervitus ſub Chuſan octo annis producta, quam Othoniel excuſſit.	1409
2662	Secunda ſervitus ſub Eglon per annos 18. Aod Patriam liberat.	1338

Sam-

A. M.		A. Chr.
	Samgar 600. Philiſthæos occidit tempore incerto.	
2699	Tertia ſervitus ſub Jabin per annos 20. quem Debora & Barac fregerunt. Jahel Siſaram necat.	1301
2752	Quarta ſervitus ſub Madianitis per annos ſeptem, ad quam ſolvendam Gedeon excitatur.	1248
2769	Abimelechus Gedeonis filius Princeps ſalutatur.	1231
2771	Thola Gedeonis ex fratre nepos Judicem agit.	1229
2794	Jair Rempublicam adminiſtrat ſpatio 22. annorum.	1206
2799	Quinta ſervitus ſub Ammonitis & Philiſthæis per annos 18. quam Jephte excuſſit. Celebre Filiæ Jephtis ſacrificium.	1201
3823	Abeſan per annos ſeptem Populum judicat.	1177
2830	Succedit Ahialon decem annorum ſpatio.	1170
2840	Poſt Ahialon imperat Abdon annis octo.	1160
2848	Sexta ſervitus ſub Philiſthæis per annos quadraginta; quo tempore Heli Judicem ſimul & Sacerdotem agit. Samuel & Samſon naſcuntur.	1152
2867	Samſon munus ſuum, Liberatoris, ſeu Defenſoris Iſraelita	1133

rum

A.M.		A.Chr.
	rum init, quod 20. annorum ſpatio exercet.	
2888	Mors Heli, & Sampſonis, Rerum ſumma Samueli defertur.	1112
2909	Saul Iſraelitis Rex conſtituitur, qui poſt biennium reus inobedientiæ rejicitur.	1091
2919	David naſcitur.	1081
2930	Bellum in Amalecitas, in quo Saul Dei præcepto minus paret.	1070
2934	David in Regem inungitur.	1066
2947	Samuel, 98. annis natus, moritur. David in Nabalem iratus.	1053
2949	Saul & Jonathas intereunt. David in Hebron, Isboſethus in Mahanaim regnant.	1051
2956	Interfecto Isboſetho David ſolus imperat, pulſiſque Hieroſolyma Jebuſæis, ſedem Regni ibi conſtituit.	1044
2959	Arca Hieroſolymam transfertur. Bellum exinde ſexennale in Philiſthæos, Ammonitas, Adarezerum, Idumæos.	1041
2969	Bellum Davidis in Hanonem Moabitarum Regem, Davidis adulterium & homicidium.	1031
2971	Salomon naſcitur.	1029
2974	Abſalom Amnonem interficit.	1026
2984	In Patrem Abſalom rebellat, qui tandem a Joabo necatur.	1016

Da-

A.M.		A.Chr.
2987	David Iſraelem cenſeri jubet; quod inane ſtudium lue punitur. Parat deinde quæ ædificando Templo ſunt neceſſaria.	1013
2989	Abiſag Davidem fovet.	1011
2990	Salomon, poſt adminiſtratum ſex menſibus una cum Patre Regnum, ſolus regnat.	1010
2993	Templo ædificando manus Salomon admovet.	1007
3001	Templi dedicatio.	999
3013	Regalium Ædium ædificium abſolvitur.	997
3029	Salomoni ſuccedit Roboamus filius, cujus tamen Regni major pars Jeroboamo paret. Hinc duo inter Hebræos Regna, alterum Juda, alterum Iſraelis appellatum.	971
3033	Seſac Templum & regium ærarium diripit.	967
3047	Abia poſt patrem Roboamum in Juda regnat, qui ingentem de Jeroboamo victoriam retulit.	953
3049	Aſa filius Abiam excipit.	951
3050	Jeroboamo Nadab filius in Regno Iſraelis ſuccedit.	950
3051	Nadab occiſo regnat Baaſa.	949
3074	Ela filius Baaſam excipit.	926
3075	Zamri Regnum Iſraelis, ſublato Ela, per ſeptem dies adminiſtrat.	925

Am-

A. M.		A. Chr.
3079	Amri regnat in Iſraele, qui ſedem Therſa Samariam a ſe conditam transfert.	921
3086	Poſt Amri Achabus filius regnat, ſub quo Elias floret.	914
3090	Joſaphat patri Aſæ ſuccedit in Juda.	910
3107	Occiſo Achabo Ochozias regnat in Iſraele.	893
3109	Ochoziam Joramus frater excipit, quo tempore Eliæ ſuccedit Eliſæus.	891
3115	Joſaphatus obit, & Joram filius Juda Regno pleno jure potitur.	885
3119	Joachaz, qui & Ochozias, patris Jorami Regnum aſſequitur.	881
3120	Jehu in Regem Iſraelis ungitur, qui occidit Joram Regem Iſraelis, & Ochoziam Regem Juda; quare ipſe regnat in Samaria, & Athalia mater Ochoziæ in Hieruſalem. Dido Cartaginem condit 325. annis poſt captam Trojam.	880
3126	Occiſa Athalia regnat Joas filius Ochoziæ ſuper Juda.	874
3148	Patri Jehu ſuccedit Joachaz in Iſraele.	852
3165	Necato Joas regnat Amaſias filius in Juda. Eodem fere tempore cum obiiſſet Joachaz Rex Iſraelis, ſucceſſorem habuit	835

Joas

A. M.		A.Chr.
	Joas filium ſuum. Eliſæus moritur.	
3179	Joas Regi Iſraeli ſuccedit Jeroboamus II. ejus filius.	821
3194	Poſt necem Amaſiæ regnat in Juda Ozias, ſive Azarias filius.	806
3228	Prima Olympias, in qua Corebus coquus victor fuit. Hinc juxta Varronem incipit Tempus Hiſtoricum, cui præceſſit Fabuloſum, & huic Incognitum. Circa hæc tempora moritur Heſiodus, & naſcitur Confucius.	772
3232	Zacharias Jeroboami filius regnat in Iſraele. Uſſerius inter Jeroboamum & Zachariam ponit Interregnum duodecim annorum, Marshamus ſeptem, alii nullum. Zacharias poſt ſex menſes occiditur a Sellum, qui regnat per menſem, eoque interfecto a Manahen, hic Regno potitur.	768
3243	Phacejas Manahen filius regnat in Iſraele.	757
3245	Phaceas Romeliæ filius occidit Phacejam, & illius Regnum uſurpat.	755
3246	Mortuo Ozia Rege Juda regnat ſolus ejus filius Joathan.	754
3256	Roma conditur.	744

Ve-

A. M.		A. Chr.
3257	Vetus Aſſyriorum Imperium una cum Sardanapalo perit, ex quo tria Regna oriuntur; Medorum ſub Arbace, Babyloniorum ſub Beleſo, ſive Nabonaſſare, & novum Aſſyriorum ſub Nino. Celebris Nabonaſſaris Æra incipit die 26. Februarii præſentis anni.	743
3262	Joathano in Regno Juda ſuccedit Achaz.	738
3264	Ninus, qui & Theglatphalaſſar, Syriæ Regnum evertit.	736
3265	Occiſo Phacea Rege Iſraelis regnat Oſee.	735
3278	Decedenti Achaz ſuccedit Ezechias.	722
3282	Regnum Iſraelis a Salmanaſſare deletur. Samaritanorum initia.	718
3291	Sennacheribi exercitus in Ezechiam comparatus, ab Angelo exterminatur. Sennacheribo Anno Mundi 3294. ſuccedit Aſſaradon, qui anno 3323. potitus Babylone, duo Regna Aſſyriorum, & Babyloniorum	709
3306	in ſe conciliat.	694
3329	Ezechiam excipit Manaſſes.	671
	Manaſſes Babylonem abducitur, ubi ſeptem circiter annis detinetur. Novos Samariæ incolas quidam Sacerdos Religionem docet.	

A. M.		A. Chr.
3335	Aſſaradon ſucceſſorem habet Saoſduchinum, qui in Libro Judith appellatur Nabuchodonoſor.	665
3356	Saoſduchino ſuccedit Chiniladamus, ſive Sarac.	644
3361	Poſt Manaſſem Amon filius regnat.	639
3363	Sublato Amone Regnum adminiſtrat Joſias ejus filius.	637
3378	Nabopolaſſar imperat poſt Chiniladanum.	622
3394	Occiſo Joſia ejus filius Joachaz regnat, cui poſt tres menſes in Ægyptum translato, Nechao Eliachim, ſive Joachim, ſufficit.	606
3398	Nabuchodonoſor Nabopolaſſaris filius & in Regno ab anno 3397. ſocius, Hieroſolymam expugnat, & Danielem ſocioſque captivos abducit. Poſt mortem Patris anno 3399. Monarchia potitus eſt.	602
3405	Joachimo ſuccedit Jeconias, qui & Joachin, ſive Conias. Poſt tres menſes ei Babyloniam traducto ſufficitur Sedecias.	595
3416	Sedecia in captivitatem translato, Templum & Hieroſolyma juſſu Nabuchodonoſoris igne abſumuntur.	584
	Hic Regni Juda finis.	

H I-

HISTORIA
UTRIUSQUE TESTAMENTI.
LIBER QUINTUS.

Joſue Exploratores mittit Jerichuntem. Rahab pietas. Populus ſicco veſtigio Jordanem trajicit. Circumciſio reſtituitur. Paſcha celebratur. Manna ceſſat. Joſue Angeli viſione confirmatur.

CAP. I.

ANNO MUNDI 2553. ante Chriſtum 1447.

Exploratores Jerichuntem mittuntur.

I. MOrtuo Moyſe, abſolutoque illius funere, Deus imperavit Joſue, ut per Jordanem in terram Promiſſionis Populum traduceret, totamque illam regionem ſua ope fretus ſubjugaret (*a*). Chanaanitidem tegebat Jericho, urbs nobilis, ſatiſque munita qua mœnibus, qua viris & armis, quæ tribus leucis a Jordane diſtabat. Huc Joſue geminos viros ſubmiſit, ſtatum urbis exploraturos. Jerichuntem ſe illi conferentes, diverterunt ad feminam, Rahab nomine, quam alii exiſtimant meretricem, alii cauponam, alii utrumque.

Rahab pietas.

II. Rex Jerichuntis id ſubodoratus, poſtulatum de viris illis ad Rahab miſit; quæ ſecretis quibuſdam latebris illos abdens, reſpondit,

(*a*) Joſue II. 1. 2. &c.

ſe quidem illos excepiſſe, ſed occludendis mox urbis foribus egreſſos, demum abiiſſe. Regis miniſtris ita deceptis ſecedentibus, ſtatim mulier ad exploratores, quibus ait, ſcire ſe quidem, traditam eſſe a Domino Chanaanitidem Judæis, quorum terror incolas omnes invaſerat, conſternaveratque animos omnium fama miraculorum, quibus illis militaverat Deus: rogare proinde ut quandoquidem beneficio ſuo e præſenti diſcrimine evaſiſſent illæſi, tantumdem etiam ſibi ſuæque familiæ rependerent, cum urbem ſuam victores ingrederentur, ſacramentoque ſe ſe ad id obſtringerent. Omnia ſtatim promiſerunt Exploratores, ſi tamen appenſa feneſtræ coccinea ligula, eo indicio a ceteris ſuam domum diſtingueret. Dimiſſi poſtea per funem e mænibus, quibus terga domus Rahab incumbebant, abierunt, atque a femina moniti per montium juga iter inſtituentes, ne a Regis miniſtris deprehenderentur, tridui itinere in Caſtra reverſi ſunt.

Jordanis aquis ſubſiſtentibus Populus amnem tranſit.

III. Cum Exploratores ſui itineris caſus, terroremque Chananæorum expoſuiſſent, Joſue denunciari juſſit Populo, ut ad tranſitum Jordanis ſe ſe accingerent, annonamque ſibi compararent (*a*). Suſpicabatur facile, ne manna poſt trajectum amnem deficeret, vel metuebat, ne ab urgentibus hoſtibus prohiberentur Iſraelitæ ab ea extra Caſtra colligenda; quare hiſce cautionibus Populi diſcrimini providere cenſuit. E Sethim, ſive Campeſtribus Moab profecti ad Jordanem Caſtra metantur; cumque

(*a*) Joſue 1. 11.

que ibi trium dierum ſpatio morati fuiſſent, Jordanem trajecerunt, non ſine præſentiſſimo miraculo. Sacerdotes enim Arcam Fœderis deferentes, ex Joſue mandato bis mille cubitorum intervallo exercitum præcedebant, quo ſacrum illud pignus omnium aſpectui facilius pateret (*a*), præberetque ſe itineris ducem, loco Columnæ nubis, quæ moriente Moyſe evanuiſſe creditur. Cum autem Sacerdotes primas aquas tetigiſſent, moniti a Joſue ſubſtiterunt, ibique tandiu expectarunt, quandiu inferioribus acquis defluentibus, refluentibuſque verſus originem ſuam ſuperioribus, liber in alveo tranſitus aperiretur. Tunc Sacerdotes ad medium uſque amnis proceſſerunt, nec pedem ex illo moverunt, niſi poſtquam Populus univerſus pertranſiit. Tranſgreſſo Populo, & alteram Jordanis ripam tenentibus Sacerdotibus, aquæ impleverunt alveum, inque Mare mortuum iter ſuum de more proſecutæ ſunt. Ad perennandam autem rei memoriam, duodecim lapides e flumine ſelectos in Galgalis ſtatui, totidemque in medio Jordanis erigi, Deus imperavit (*b*). Mirum, quanta eo prodigio Joſue conciliata ſit auctoritas, & gratia, quantuſque injectus hoſtibus terror! Porro hæc decima die Niſan contigere.

IV. Poſt Jordanis tranſitum, Joſue Dei juſſionibus parens, cultro lapideo omnes mares in deſerto natos circumcidit. At enim cur circumciſio illa infantium in deſerto omiſſa fuit? Quidam reputant id factum ex Hebræorum de- *Cicumciſio inſtauratur.*

(*a*) Joſue III. (*b*) Joſue IV.

deſidia. Aliis ſedet opinio, circumciſione idcirco inſtituta, ut Hebræi a ceteris diſtinguerentur, nihil opus fuiſſe eo tempore, quo Iſraelitæ penitus ſegregati erant a ceteris, ut miſceri cum illis vix, ac ne vix quidem poſſent. Nonnullis videtur in Hebræorum pœnam, ob peccatum ſcilicet murmurationis, factum eſſe, ut ipſorum filii circumciſionis ſacramento in deſerto a Deo privarentur (*a*). Verum planior interpretatio tenet, cum Hebræi in deſerto erraticam vitam agerent, cogerenturque ſæpe ſtationem mutare, Deum pro ſua in Populum indulgentia paſſum eſſe, ut filios ſuos a Lege illa eximerent, ne mortis diſcrimen ſubire cogerentur. Ob renovatum circumciſionis ritum, manſit loco nomen *Galgala*, hoc eſt Revolutio.

Paſcha celebratur. Manna ceſſat.

V. Sub hæc, Paſcha Hebræi celebrarunt, toto eorum peregrinationis tempore in deſerto intermiſſum, ut fert ſatis probata opinio; cum Feſtum hoc, ac pleraque alia inſtituta eſſent potiſſimum pro tempore, quo poſſeſſio Chanaanitidis haberetur (*b*); cumque pariter nefas eſſet illud celebrare non admiſſa prius circumciſione. Poſtera die, quæ erat decima quinta Niſan, Hebræis azymo, ac novo regionis pane, tum & toſtis igne ſpicis utentibus, Manna pluere ceſſavit.

Joſue Angelum obviam habet.

VI. Cum Joſue Jerichuntis agrum ingreſſus eſſet, ſive ad orandum, ſive ad ſitum locorum urbi adjacentium explorandum, virum ſtricto enſe coram ſe ſtantem offendit. Cui ipſe: No-

(*a*) Num. XIV. 1. & 33. (*b*) Exod. XII.

Noſter es, inquit, an hoſtis? Ego, reſpondit, Princeps ſum Exercitus Domini, tibique huc adjutor advenio. His auditis, Joſue humi in faciem ſtratus, ipſum adoravit; a quo juſſus eſt, calceos exuere, cum locus, in quo erat, ſanctus eſſet.

Mænia Jerichuntis corruunt. Urbis excidium, una excepta Rahab familia. Hai capitur, & poſt Achami necem deletur. Benedictiones, & maledictiones in Populum pronunciatæ. Altare cum Legis adſcriptione erectum.

CAP. II.

I. DIes ſolemnitati paſchali ſacri devolvebantur, uti complures cenſent, cum Jerichuntis obſidio, cladeſque a Domino indicta, executioni mandata eſt. Per ſex igitur ſuccedentes dies, ſemel quotidie mænia Jerichuntis Exercitus una cum Sacerdotibus & Arca, ſilentes circumire, fortaſſe tamen extra hoſtilium telorum jactum; ſeptima tandem die ſepties urbis circuitu peracto, ut ultimo circuibant, Sacerdotibus ſacris tubis clangentibus, omnique Populo vociferante, Urbis mænia concidere, & quiſque per adverſum ſibi locum in urbem aſcendit. In cives omnes, in beſtias ipſas cæde ſævitum eſt. Omnia denique ignis abſumpſit, metallis tantum Domino reſervatis (*a*). Nec his contentus Joſue, diris devovit, qui reſtituendæ urbis conſilium ſu-

Clades Jerichuntis.

(*a*) Joſue VI.

ſuſcepiſſet, interitum imprecans, primogenito quidem illius, dum fundamenta jaceret, natorum vero ultimo, cum portas ſuſpenderet. Quæ maledicta pluribus poſt ſæculis Hielem quemdam e Bethel corripuere (*a*). Porro Rahab ejuſque familia, quam militum furor præterierat, extra Iſraelitarum Caſtra manſit, quoaduſque ejurata Idololatria, ad Judæorum Sacra admitteretur. Femina tandem illa Salmoni e Tribu Juda nupſit, e quo David, & Jeſus Chriſtus genus ſuum agnoſcunt (*b*).

Milites in Hai miſſi repelluntur.

II. Elapſis aliquot ab Jerichuntis exterminio diebus, miſſa a Joſue tria hominum millia contra oppidum Hai, duodecim circiter paſſuum millibus ab ea urbe diſſitum, repulſa ſunt, cæſiſque 36. viris, ſalutem fuga quæritarunt (*c*). Infelix expeditionis exitus Iſraelitas terruit. Joſue vero Populique Seniores ſciſſis veſtibus pulverem capitibus conſperſere, atque ad Dominum confugientes, precati ſunt, ne populum ſuum in medio hoſtium derelinqueret. Nonne, ajebant, melius populo tuo conſultum fuiſſet, ſi trans Jordanem ſubſtitiſſet, quam ut huc in medios hoſtes veniret? Melius ſaltem proviſum fuiſſet honori tuo; nec gloria tua Chananæorum blaſphemiis obnoxia fuiſſet. Quid reputabunt gentes iſtæ, poſtquam nos, in Terram hanc tuo juſſu venientes, penitus deleverint? Quomodo gloriam nominis tui reparabis?

Furtum Achani expiatur.

III. Tunc Dominus dixit ad Joſue, peccaſſe

(*a*) 3. Reg. XVI. 34.
(*b*) Matth. I. 4.
(*c*) Joſue VII.

ſe Iſrael, & fœdus violaſſe, nonnullis ſuffuratis, quæ ſibi reſervaverat. Expiaret ergo populum, ſorte reum exploraret, inventumque cum omni illius ſubſtantia combureret. Poſt Jerichuntis excidium ſinguli e populo attulerant in medium quidquid e manubiis nacti fuiſſent aptum ut in Domini Ærarium, juxta illius mandatum, inferretur. Achan Charmi filius e Tribu Juda cum ceteris venit, ſed non omnia tradidit, reſervans ſibi ex hoſtium ſpoliis pallium conccineum, auream virgam pondere quinquaginta ſiclorum, & ducentos ſiclos argenti. Hoc ſcelus erat expiandum. Poſtridie igitur ejus diei, primo jactæ ſunt ſortes in Tribus, tum in proditæ Tribus familias, inde in electæ familiæ domos, tandem in eductæ domus ſingulos homines. Datis hoc ritu ſortibus, cecidit ſors ſuper Tribum Juda, tum ſuper familiam Zare, inde ſuper domum Zabbi, tandem ſuper Achan. Hominem Joſue, ut ſuum crimen fateretur, hortatus eſt. Ille nihil cunctatus, omnia narravit, locumque ubi furtum lateret, indicavit. Joſue & omnis populus apprehenſum Achan cum furto, omnique ſupellectili illius, filiis, filiabus, bobus, aſinis, ipſoque tentorio ad vallem Achor duxere. Tum dux ad illum: Quod nos turbaſti, te Deus hodie exturbet. Nec mora, populus omnis illum, totamque ejus familiam, quam criminis ſociam credimus, lapidibus obruit. Miſerorum deinde corpora, & omnia quæ Achani fuerunt, igne abſumpſit. Ingentem tandem lapidum acervum, qua

criminis, qua pœnæ, qua ignominiæ monumentum, congeſſere.

Hai excidium.

IV. His expletis, Dominus mandavit Joſue, ut copias omnes duceret in Hai, cum qua non mitius ageret, quam cum Jericho præſtiterat; urbem tamen diripiendam populo concederet (*a*). Noctis ergo ſilentio Joſue ſubmiſit duo militum agmina, alterum ex 25000. alterum ex 5000. ut retro poſt urbem ſe locarent in inſidiis, quæ ab ipſis præſtanda eſſent, ſimul admonens. Diluculo autem alterius diei ipſe cum reliquo exercitu iter contra urbem direxit. Statim ac hæc intellexit Rex Hai, eruptionem fecit ex urbe cum copiis ſuis omnibus ac civibus, magnoque impetu invectus eſt in Iſraelitas. Fugere illi actutum, ſimulantes timorem, quo hoſtes in apertum agrum deducerent. Cum hoſtem ex urbe ita eduxiſſet Joſue, ſignum iis, qui latebant in inſidiis, dedit ex condicto, elevando ſcilicet clypeum, uti quidem nos putamus, ſuæ haſtæ appenſum (*b*); quo viſo ſurrexerunt, irrumpenteſque in Urbem, defenſoribus vacuam, facile expugnarunt; accenſoque in ea per intervalla igne, reſponderunt Duci, urbemque captam demonſtrarunt. Sublatum ex incendio ſedium ſuarum fumum proſpicientes incolæ Hai, pedem referre tentarunt; ſed tergo inſtare graves ex improviſo ſenſere Iſraelitas illos, qui poſt accenſum in Hai ignem, iter direxerant in hoſtes; ſimulque quos veluti fugientes perſequeban-

(*a*) Joſue VIII. (*b*) Joſue VIII. 18.

bantur, verſa tandem facie reſiſtentes a fronte habuerunt: quare medi accepti ad unum omnes interierunt. Duodecim hoſtium millia ea die cæſa ſunt. Rex quoque Hai, qui vivus deductus fuerat ad Joſue, levatus in patibulo, ſpectaculum omnibus fuit uſque ad Solis occaſum. Hebræi affirmant, Regem illum interfectum prius, deinde in patibulum ſublatum; neque enim, ajunt, moris erat Iſraelitarum, ut viventes homines in crucem levarent. Hanc tamen opinionem, quam illi myſterio Crucis Chriſti evacuando promovent, Calmetus in ſua de Hebræorum ſuppliciis diſſertatione ſolide refutat. Tandem Rex Hai depoſitus fuit, projectuſque præ foribus urbis, ingentique lapidum acervo obrutus potius, quam humatus. Secundum hæc diviſa inter victores præda, reliqua autem omnia igni tradita, ipſaque urbs in tumulum redacta.

Benedictiones, & maledictiones in populum pronunciatæ. Altare Legis verbis inſcriptum.

V. Supremæ Moyſis voluntati obſecuturus Joſue poſt Jerichuntis & Hai excidium, populum ad montes Hebal, & Garizim duxit, ubi maledictiones, & benedictiones a Moyſe decretas, eo ſolemni ritu, quem alibi deſcripſimus (*a*), juſſit pronunciari; erectoque Altari e rudibus lapidibus verba Legis adſcribi curavit. Cenſemus autem, Aram hanc, ad commodum ſcribendi, ſuperinducta calce oblitam fuiſſe. Quidam tamen malunt in altero juxta Altare erecto monumento, ea deſcripſiſſe Joſue, quæ Moyſes præceperat. Oblatis tandem

(*a*) Vide l. 4. c. 13. n. 3. 5. 6.

dem in eo Altari holocauſtis, innovatoque Legis fœdere, Populus in Galgala rediit.

Fœdus cum Gabaonitis temere ſancitum. Reges genti illi infeſti ab Iſraelitis devicti. Lapidum pluvia. Solis & Lunæ ſtatio. Varia de eo prodigio ſyſtemata.

CAP. III.

ANNO MUNDI 2553. ante Chriſtum 1447. *Joſue deceptus cum Gabaonitis fœdus ſancit, qui Nathinæi deinde dicuntur.*

I. Victoria, quam de Jericho, & Hai retulerat Joſue, omnia replevit trepidatione, & metu; quare Reges omnes Chanaanitidis conſilio inito Iſraelitas conjunctis viribus oppugnare decrevere. Gabaonitæ tamen non vi, ſed fraude rebus ſuis conſulere volentes, atritis veſtibus induti, ſaccos veteres ſciſſoſque, atque conſutos utres aſinis ſuis impoſuerunt, ſandalia luto & pulvere fœdarunt, ac panem, quem in iter ſumpſerant aridum, in micas redegerunt, eoque apparatu Joſue, & Principes populi convenientes, e longinqua regione ſe venire affirmabant, ut fœdus cum populo, quem Deus tot, tantiſque prodigiis illuſtraſſet, ſancirent (*a*). Joſue, cum Deum non conſuluiſſet, affirmantibus credidit, amicitiamque cum illis ſtatuit. Tribus vero poſt diebus, illos Chananæos eſſe, urbeſque Gabaonem, Caphiram, Bevoth, & Chariath-jarim tenere comperiens, populum adverſus ſe, & adverſus Principes, ejuſdem imprudentiæ reos, obmurmurantem ſenſit. Quare accitis co-

(*a*) Joſue IX.

coram Gabaonitis, fraudem gravioribus verbis exprobravit; quæ tamen ſacramento pollicitus fuerat, rata habens, iis tantummodo veluti mancipiis in bello captis, aquam, & ligna ad Tabernaculum Domini deferendi onus impoſuit; quo in ſervitii genere uſque ad ultimum Iſraelitarum excidium permanſerunt. Succeſſu autem temporis in Gabaonitarum cenſum, & miniſterium ceteri omnes Chananæi deputati ſunt, quibus ſubactis vitam ſervare viſum eſt; iique *Nathinæi*, ſive *Donati* dicti fuerunt (*a*). Oſtendit poſtea Deus, quanta religione retineri vellet datam Gabaonitis fidem, cum Saul præpoſtero zelo plures ex eis neci tradidiſſet. Deus enim tunc ſævam in Iſraelitas luem immiſit, eamque non prius cohibuit, quam poſt ſublatos & in crucem actos a Gabaonitis ſeptem ejuſdem Saulis filios (*b*).

Adoniſedechus cum fœderatis ſibi Regibus fruſtra Gabaonem adoritur.

II. Adoniſedech Rex Jeruſalem ægre ferens defectionem Gabaonitarum ad Hebræos, legatis miſſis ad Oham Hebronis, ad Pharan Jerimoth, ad Japhiam Lachis, & ad Dabir Eglonis, Reges, perſuaſit, ut ſecum expeditionem contra Gabaon ſuſciperent. Urbs igitur a quinque illis Regibus oppugnari cœpit. Gabaonitæ tantis viribus ſe impares ſentientes, a Joſue ſuppetias poſtularunt. Ille cum ſelectiſſimis copiis nocturno itinere movens a Galgalis, hoſteſque mane offendens, prælio inito fugavit, fugienteſque uſque ad deſcenſum Betho-

(*a*) 1. Paralip. IX. 2. (*b*) 2. Reg. XXI.

thoron inſecutus eſt (*a*). Hic Deus lapidum grandine in hoſtes pluit, qua permulti oppreſſi ſunt. Veritus autem Joſue, ne imminens nox meliorem victoriæ partem præriperet, Deum exoravit, ut Solis curſum tantiſper moraretur. Oranti Deus, Deo aſtra paruerunt; unde Iſraelitæ plenam de hoſte victoriam retulere.

Quinque Reges neci traduntur. III. Quinque vero Reges fuga elapſi in ſpelunca prope Macedam latuerunt. Joſue, re audita, magnis lapidibus antri oſtium claudi juſſit, militeſque appoſuit, qui tandiu cuſtodirent, quandiu ipſe ab inſequente hoſte reverteretur. Deinde ejus juſſu eductis, exercitus Principes illorum colla pedibus calcare mandavit, eadem cunctis Iſraelitarum hoſtibus Dominus facturum pollicitus. Poſt hæc Reges illos interfecit, eorumque cadavera ſtipitibus affigi uſque ad veſperam voluit. Occidente autem Sole depoſitos, in ſpeluncam, in qua latuerant, projici, illiuſque oſtium ingentibus lapidibus obſtruendum iterum mandavit. Tum territis Chananæis inſiſtens, plures eorum urbes, Macedam ſcilicet, Lebnam, Lachis, Heglonem, Hebronem, Dabir, aliaſque nonnullas cepit, iiſque incenſis ac earum Regibus interfectis, quidquid ſpiritum vitæ trahebat, concidit. Tandem agro ex Cadesbarne uſque ad Gazam, & a Goſen ſive Geſſen uſque ad Gabaonem late vaſtato, totaque Chanaanitidis meridionalis regione in poteſtatem redacta, victor cum exercitu in Galgala rediit, ubi

(*a*) Joſue x.

ubi per longum tempus poſt tranſitum Jordanis tentoria, & Arcam Hebræi habuerunt.

IV. Quæ de lapidum pluvia, & Solis, Lunæque ſtatione per tranſcurſum dicta ſunt, merentur oppido, ut diligentiori calamo diſcutiantur. Pluviam igitur lapidum ita deſcribit Scriptura. *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo uſque ad Azeca, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filii Iſrael* (*a*). Sunt qui de grandine tantum agi credant, majori tamen quam ex conſueto excuſſa impetu. Sed adverſæ ſententiæ & apertus favere textus videtur, & Hiſtoriæ exempla id contigiſſe confirmant. Principio igitur iniquum eſt, ſenſum typicum & metaphoricum prætendere, niſi cum ea referat Scriptura, quæ vel repugnant inter ſe, vel ideis divinis adverſantur, vel Legibus naturæ omnino opponuntur. Porro ſola literæ inſpectio lapidum, non grandinis ideam lectoribus ingerit: *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos*. Addit ſacer textus, ea procella multo plures abſumptos ex Chananæis, quam quos Iſraelitarum gladius abſtulerat: quæ quidem de lapidibus, quam de grandine, multo pronius intelliguntur. Voces illæ *lapides grandinis*, quæ adverſariis patrocinari videtur, obvio ſenſu exprimunt grandinem lapidum, ſive lapides inſtar grandinis, eadem nempe ruina & copia ruentes. Lapidum autem imbrem naturæ vim non ſuperare, certum eſt. Sub Tullio Hoſtilio renunciatum Romæ pluiſſe lapidibus

Lapidum pluvia aſſeritur.

(*a*) Joſue x. 11.

bus in monte Albæ; quod primo vix creditum eſt. Miſſi autem, qui de prodigio quærerent, retulerunt lapides ita cecidiſſe de cælo, tanquam excuſſam ventorum impetu grandinem. Exinde frequentius prodigium illud innovatum eſt, ut pluribus in locis teſtatur Livius. Anno reparatæ ſalutis 1538. in vico quodam Italiæ, Tripergola dicto, poſt plures terræ ſuccuſſiones, nimbus lapidum & pulveris e cælo ruens per biduum aerem offuſcavit, tum ſpectatus mons ſubito ſubcreſcens e medio alveo Lacus Lucrini (*a*).

Unde lapidum pluvia.

V. Sed unde, & quomodo formati illi lapides? Si ad Dei potentiam, vel Angelorum miniſterium confugeremus, res plana eſſet, nulliſque implexa difficultatibus. Ut autem omnia ad Phyſicæ regulas revocemus, concipere poſſumus, valido venti turbine lapides e terra in aera raptos, ſive erumpentis e terra aeris, vel ignis vi protruſos, ut contingit in Veſuvio & Etna, proprio deinde pondere in Chananæorum capita recidiſſe. Potuerunt & in ipſis nubibus coaluiſſe lapides. Eſt ne difficile, pulverem, arenam, terram turbine commotas in aera ſublatas fuiſſe? Rore autem nubis pulvis ille madeſcens conſtipari primum, deinde admixtione partium ſulphurearum, bituminoſarum, oleoſarum dureſcere, tum proprio adnitente pondere, vel cadentis nubis alliſu in terra ruens, adjecto vento, & procellæ impetu, adeo gravis in Chananæorum capita impingi potuit, ut paſſim miſeros occideret. Pro-

(*a*) Montfaucon Diar. Ital. c. 21.

Prodigii autem vis in eo potiſſimum ſpectatur, quod hæc omnia Deus ita diſpoſuerit, ut in illis circumſtantiis hoſtes comprimerent.

Solis & Lunæ ſtationi Scripturæ apertiſſime favent.

VI. Nullo ſane Scripturæ textu abutuntur magis, nullumque magis detorquent quidam, quam eum qui mirabile Solis, & Lunæ ſtationem narrat. Poſt fuſas ad Deum preces, ait Joſue: *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in Libro Juſtorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit antea, nec poſt tam longa dies* (a). Hæc Liber Joſue. Abacuch eodem reſpiciens, ait: *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo* (b). Eccleſiaſticus addit: *An non in iracundia ſua impeditus eſt Sol, & una dies facta eſt quaſi duo* (c)? Phraſes iſtæ pronam adeo, & vividam prodigii ideam ingerunt, ut bonæ fidei nemo inveniri unquam potuerit, qui non ſtatim ingens aliquod prodigium, nulli ſecundum, conceperit.

Varia Auctorum ſyſtemata.

VII. Attamen non deſunt qui prodigii gloriam & extenuare, & penitus etiam extinguere conentur. Omittamus R. Levi Ben-Gerſon, qui Solem & Lunam nunquam ſtetiſſe autumavit, ſed tantum curſum ſuum retardaſſe; a noſtra enim ſententia non multum diſcrepant. Anne facilius eſt, ruentem Solem compeſcere, quam penitus ſiſtere? Quoddam prodigii genus illi etiam admittunt, qui putant, Dei virtute factum, ut micante aliquo phæ-

(a) Joſue x. 12.
(b) Habacuc III. 11.
(c) Eccl. XLVI. 5.

phænomeno, Solis & Lunæ defectus ſuppleretur. Hæc ſententia tribuitur cuidam Judæo, qui *Scem-tob*, ſive *Bonum Nomen* appellari voluit. Uterque Kimchi, pater & filius, lucidum illud corpus Lunam eſſe defendunt, quæ vice quoque Solis functa ſit. Ubique miraculum, nuſquam veritas. R. Maimonides, Vatablus, & Grotius putant, nil aliud grandibus illis Scripturarum phraſibus intelligendum, quam Deum in Iſraelitarum opem veniſſe, indito illis robore, quo in promptam hoſtium cædem animarentur, eoſque ante ſubeuntem noctem penitus funderent, ac talem victoriam reliquo diei naturalis ſpatio obtinerent, qualem ſi longius producta die in pugna perſeveraſſent. Plus aliquid audent Spinoſa & Præadamitarum auctor. Comminiſcitur ille, Hebræos parum myſteriis Phyſices, & Aſtronomiæ initiatos, ſtetiſſe Solem autumaſſe, cum ſcilicet nonniſi grandinis tunc ruentis refractio ſolito major contingeret. Docet alter, Solem quidem non ſtetiſſe, ſed vicariam ſibi lucem reliquiſſe, reflexione radiorum ex objectu montium Gabaon inductam. Lucem hanc, ait ille, excepit fulgor alius minus quidem vividus, ſed fulgenti Lunæ ſimillimus, qui maxime ſuper convallem Ajalon emicuit. Eadem ſentit Clericus, ratus omnia deputanda eſſe radiis Solis & Lunæ, qui inſecuta quadam refractione diutius ſuper Horizonte reſplenduerint.

Immerito ad Iſraelitarum imperitiā confugitur.

VIII. Miram horum Auctorum audaciam! Contendunt Joſue, alioſque ſacros Scriptores,

Ju-

Judæos omnes, omneſque Chriſtianos tanquam vera prodigia habuiſſe, quod parelium tantummodo erat: ſe vero omnibus ſapientiores errorem probe noſſe; reique veritatem aſſecutos, quæ ceteros omnes lateret. Coguntur præterea aſſerere, Deum, qui Joſue, alioſque ſacros Scriptores regebat, non tantum in errore, nec parvi quidem illo momenti, viros reliquiſſe, ſed & inſpiratione ſua id commiſiſſe, ut poſteritati tranſmitterent commentum, imperitiæ illorum, & phænomeno non bene explorato unice tribuendum.

IX. Age modo excutiamus, quæ in contrarium opponuntur. Non Sol terram, ſed terra Solem circumit; quare non Solis, ſed terræ curſus retardandus fuiſſet. Nolo nunc impugnare ſyſtema, quod purum putumque videtur errantis phantaſiæ ludibrium. Eſto, Terra ſteterit, non Sol. Cum tamen contrarium ſibi Scriptores Sacri præſtituiſſent ſyſtema, nullique alii Judæi jam inde ab exordio aſſueviſſent, factum eſt ut ſtetiſſe potius Terram, quam Solem crederent Judæi, in eaque perſuaſione & loqueretur Joſue, & ſcriberent Auctores Sacri. *Sententia de motu Terræ circa Solem, adverſariis non ſuffragatur.*

X. Res, inquiunt, erat minimi momenti, de qua tunc agebatur; Deus autem non ita miracula profundit, ut pro hujuſmodi rebus Naturæ leges invertat. O homo, quis es tu, qui velis rationem ponere cum Deo? Certos fines præſcribere, quibus brachii ſui vim Deus exerere, vel continere debeat, audaciæ eſt nequaquam ferendæ. Quid opus fuit viam in *Deus non ſemper neceſſitatem expectat, ut miracula edat.*

medio Jordane aperire, vel mænia Jerichuntis dejicere? Nonne tranſvadari amnis potuiſſet, ubi aptum eſſet vadum, & Jerichuntem vi expugnari?

Veterum ſilentium non obſtat.

XI. Sed huic noſtræ ſententiæ obſtat prophanorum Scriptorum ſilentium. Quid mirum? Qui Auctores noſtra ſuperſunt ætate, recentiores ſunt, quam ut vetuſtiſſimum hoc prodigium ſcribere potuerint. Multa inſignia, totique Orbi expoſita, poſteritatis memoriæ in publicis monumentis non tranſmittuntur. Quanti faciendum ſit argumentum, quod negativum vocant, omnes norunt. Ad hæc, cum mendacio antiquior ſit veritas, vis illa magis tributa apud Poetas, ſiſtendi ſcilicet aſtra, non immerito ex eo profluxiſſe videretur, quod nempe id olim reapſe executioni mandatum fuerit. Videſis Lucanum (*a*).

Ceſſavere vices rerum, dilataque longa
Hæſit nocte dies: legi non paruit Æther.
Torpuit & præceps audito carmine Mundus.

Prophanis tandem, ſi prodigium de Solis ſtatione narraſſent, crederes; ſacris vero Scriptoribus id affirmantibus refragaris? Nihil abſurdius.

Ceſſaverit ne tunc omnium cælorum motus?

XII. At enim ſi prodigium illud factum concedamus, dicendum etiam erit, motum ceſſaſſe ſimul omnium corporum cæleſtium, quod ſane miraculum plus nimio exaggerat. Neceſſitas novi hujus, majoriſque prodigii non omnibus probatur. Sed probetur. Qui aſtris omnibus & cælis, e nihilo prodire juſſis, motum ſin-

(*a*) Pharſ. l. 6.

ſingulis peculiarem impreſſit, eorum ille omnium continere curſum, cum e re ſua id eſſe intellexerit, aut neceſſitas aliqua poſtularit, non poterit? De vigore, aut ſtupore, qui omnia ſublunaria comprehendiſſet, non eſt, cur nova difficultas oggeratur. Deo namque omnia parent, nulloque negotio effectus cauſarum ſuſpendere poteſt; poteſt & per ſe ipſum id efficere quod creaturæ præſtare nequeunt.

XIII. At qui fieri potuit, ut Hebræi totius noctis itinere jam feſſi, tota die hoſtes cædere, iiſque fugientibus inſiſtere 18. ſive 24. vel etiam 36. horarum ſpatio ſufficerent? Novo prodigio parcentes, malumus, Exercitum de more illorum temporum commeatu ſuo munitum, fugientes hoſtes inſecutum credere. Quare ſimul & perſequi inimicos, & cibo corpora curare poterant, ſingulis ad eam rem pro data opportunitate tempus captantibus.

Nullum incommodum ex longiori illa die ortum Hebræis.

XIV. Cum paſſim apud ſacros Auctores figuræ, exaggerationes, hyperboles reperiantur, cur non tale quid & in laudatis pro Solis ſtatione textibus reputemus? Reſpondemus, turgidum ſtilum ſupra veritatem poetico more aſſurgentem poſt allegorias ad plenam, ſimplicemque orationem, alteri ſententiæ ab altera luce affulgente, reverti. Nihil ſimile in præſentiarum. Joſue inclinare jam hoſtes cernens, Deum rogat, ut plenam ſibi de illis victoriam donet; tum ad Solem, & Lunam converſus, ſtare jubet; ſtetiſſe ſacer Hiſtoricus tradit. Quo autem de ea dubitationem omnem amputet, teſtimonium laudat ex Li-

Nihil in ea hiſtoria hyperbolicum.

bro Juſtorum. Denique rei geſtæ narrationem ita claudit: *Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies, obediente Deo voci hominis*. Si porro metaphoræ ſimplici hac, & æquabili oratione exprimantur, actum eſt de veritate; eodemque effugio ab omni nos poſſemus liberare difficultate, quam cetera veteris & novi Teſtamenti prodigia ſolent afferre.

Narratio illa ex certis monumentis petita eſt.

XV. Hiſtoria iſta ex Libro Juſtorum derivata eſt (*a*). Liber autem ille non eſt authenticus, & forte hyperbolico Poetarum ſtilo exaratus eſt. Merum eſt commentum, omnem ejus hiſtoriæ fidem ex libro Juſtorum pendere. Mirari autem ſubit, quanta confidentia nunquam inſpectus, neque inſpiciendus liber, poetico ſtilo turgido, & hyperbolico ſcriptus aſſeratur.

Moyſes nequaquam Joſue concedit.

XVI. Ergo Joſue major Moyſe fuit; inclaruiſſet enim ea prodigii gloria, cui nil par a Moyſe geſtum eſt unquam. Nullum eſt incommodum, ſi in ſingulari tantum prodigio Joſue, majore Judæorum Legislatore, in reliquis vero omnibus inferiorem habeamus.

Turcarum teſtimonium.

XVII. Hoc etiam addendum ſuccurrit, Turcas ſcilicet Solis ſtationi utcumque ſuffragari. Rem ita narrant. Joſue gigantes aggreſſus eſt feria ſexta ſubeunte veſpere; & cum appropinquaret nox, vetaretque Sabbati Religio certamen, rogavit Dominum, ut diem prorogaret. Roganti facilis acquievit Deus, & Sol in Horizonte hora & ſemis, quam pro conſuetudine perſeveravit. Movit id Turcas, ut diem

(*a*) Joſue x. 13.

diem illam, excluſo Sabbato, feſtum habeant (a); quem tamen ritum & a Mahumetis fuga ſive perſecutione, quæ eadem feria ſexta contigit, adoptarunt.

Reliqua Chanaanitidis regio cedit Iſraelitis. Calebi portio. Terræ diviſio. Arca in Silo collocatur. Altare in Jordanis ripa erectum. Joſue obitus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP. IV.

Triginta & unus Reges a Joſue debellantur.

I. FElici armorum Iſraelitarum ſucceſſu, tum & prodigiorum fama commotus Jabin Rex Aſor per ablegatos viros ſollicitavit ceteros plagæ ſeptemtrionalis Reges, ſecundum Jordanem & Mediterraneum, atque montium ad Boream Chanaanitidis, ut ſimul omnes ſtringerent fœdus, Iſraelitaſque ſaltem multitudine opprimerent. Cum ad aquas Meron conveniſſent, Joſue de victoria certior factus a Domino, monituſque, ut devictorum equis ad poplites ſuccideret nervos, curruſque combureret, alacer cum exercitu proceſſit, improviſos adortus facile fudit, fugienteſque uſque ad Sidonem magnam ad Aquas Mezrephoth, & planitiem Maſpha inſecutus eſt. Inde poſt enervatos equos, combuſtoſque currus, regreſſus, Aſor occupavit, Regemque ipſius occidit; quæ ſucceſſu temporis reliquis quoque urbibus præſtitit; quin & gigantes omnes e ſtirpe Enacim, qui Gazam, Ge-

 thum,

(a) Herbelot Biblioth. Orient. p. 494.

thum, & Aſcalonem Philiſtæorum urbes tenebant, vel eo ex Hebrone confugerant (*a*). Quantæ autem fuerint Hebræorum victoriæ, quam magni momenti expeditiones, ex triginta & uno Regibus devictis facile colligi poteſt (*b*). Omnem vero prædam, quam ex ſuperatis Urbibus & Regibus reportabat, interfectis hominibus, inter ſe ſe dividebant, modo anathemati ex divina juſſione non eſſent devota, ut Idola, & ſacrum illis metallum; hæc enim igne abſumebantur (*c*). Porro bella quæ exercuere Iſraelitæ, non fuit opus unius diei, aut anni, cum nulli Reges, nullæque Urbes, præter unam Gabaonem, ſine vi & armis in poteſtatem venerint. Quinquennium in eam rem impenſum fuiſſe vult Joſephus, alii ſexennium, alii ſeptennium. Cur autem non omnes ſimul Chananæos Deus uno impetu ſubverterit, cauſam non ſemel ipſe manifeſtavit; voluit enim pro ſua clementia opportunum tempus reſipiſcendi hoſtibus permittere, fidem, & induſtriam, virtutemque Iſraelitarum exercere, ac belluas, ne in regione vacua nimium multiplicarentur, prohibere (*d*). His igitur de cauſis veterum incolarum partem reliquit Deus in Chanaanitide, quinque nempe Philiſtæorum Satrapias, Gazam, Aſcalonem, Accaronem, Gethum, & Azotum; Sidonios, Chananæos aliquos, Hevæos montis Libani, & nonnullos alios per regionem. Tre-

(*a*) Joſue XI.
(*b*) Joſue XII.
(*c*) Deuter. VII. 25.
(*d*) Exod. XXIII. 29. Sap. XII. 10.

Tremendo tamen Domini judicio factum eſt, ut gentes illæ, cum ad meliorem frugem redire deberent, crimina criminibus cumulantes, ad extremum ſuæ pervicaciæ gradum pertingerent, ac totam irati Numinis vindictam in ſe provocarent (*a*).

II. Poſt tot tantaſque victorias juſſit Deus, ut Terra divideretur. Quamquam autem Jacob paulo ante obitum ſuum (*b*), & Moyſes in noviſſimo ſuo Cantico (*c*) prædixiſſent, quænam ſingularum Tribuum ſedes eſſent futuræ, & quamvis Terræ diſtributioni præeſſent Joſue ipſe, Dux populi notæque æquitatis vir, & Eleazarus ſummus Sacerdos, qui præſto haberet Urim, & Thummin, Dei ſcilicet oraculum, ac tandem viri Tribuum Principes, totiuſque Reipublicæ Optimates (*d*); ut tamen omnis ſuſpicio gratiæ, ſeu minus curatæ juſtitiæ, veluti ex ipſa radice tolleretur, imperavit Deus; ut in illa diviſione arbitrio ſortis omnia committerentur. Quod quomodo factum ſit, opportune alibi a nobis dictum eſt (*e*). Quamvis autem Terra nondum tota eſſet in poteſtatem redacta, viſum tamen eſt ipſam in ſingulas Tribus dividere, quo ipſæ Tribus majori conatu aſſignatas ſibi ſedes aut defenderent, ſi illas jam poſſiderent, aut aggrederentur, ſi in hoſtium poteſtate adhuc perſiſterent; atque ita fieret, ut armis Iſraelitarum

ANNO MUNDI 2559. ante Chriſtum 1441.

Diviſionem Terræ Joſue aggreditur.

(*a*) Joſue XI. 20.
(*b*) Gen. XLIX.
(*c*) Deuter. XXXVIII.
(*d*) Joſue XIV. I. 2.
(*e*) Vide ſup. Lib. IV. c. 12. n. 1.

rum undique petiti Chananæi ſenſim loco cederent, ac penitus delerentur.

Caleb portionem Terræ a Moyſe ſibi deſtinatam obtinet.

III. Convenerunt igitur in Galgalis, ut diviſionem illam ſuſciperent. Veritus autem Caleb, ne in communi diviſione, quod largiente Domino per Moyſem ſibi fuerat deſtinatum, obvolveretur, Joſue adivit, petiitque ab eo, ut promiſſam ſibi, ſuiſque poſteris Terræ portionem concederet, cujus promiſſionis jam inde a 45. annis in ſuæ fidei præmium factæ, cum ſcilicet ipſe ageret annum quadrageſimum, tempus adeſſet explendæ; addiditque, ſe jam 85. annos agentem, a Deo nedum incolumem, ſed etiam nihilo viribus fractiorem, quaſi juvenis fuiſſet, ſervatum, ut aſſignata ſibi regione frueretur: liceret igitur ſibi montem, in quo gigantes Enacim habitabant, invadere, ut ibi hoſtibus privato ſuæ familiæ conatu, & impenſa expulſis, ſedes figeret. Promiſſio, de qua loquitur Caleb, cum nullibi apud Libros Moyſis ſcripſa reperiatur, oretenus facta fuiſſe crederetur. Poſtulatis acquievit Joſue; quare Caleb una cum ſuis contribulibus Cariah-Arbe, alias Hebronem, expugnavit, occiſis tribus gigantibus, Seſai videlicet, Abimam, & Tholmai, qui urbem illam victi, fugatique a Joſue, iterum occupaverant (*a*).

Caleb filiam ſuam Axam Othonieli uxorem tradit.

IV. Contra Debar, alio nomine Cariath-Sepher, arma Caleb deinde movit; quam validis munitionibus firmam intelligens, filiam ſuam Axam ei ſpopondit, qui urbem expugna-

(*a*) Jud. 1. 9. Joſue xv. 14.

gnaret. Quod cum Othoniel, filius Cenæ, præſtitiſſet, Caleb promiſſis ſtetit. In ſolemni autem traductione in domum Sponſi Axa viri perſuaſionibus adducta, ad Patris pedes ſubito de induſtria accidit, eique, quid peteret, quærenti, orare ſe dixit, ut portioni ſiccæ atque arenti terræ, quam ſibi dono dederat, aliam adderet irriguam. Annuit Caleb, & campum aquarum ſcaturigine, pluviiſque ac rore abundantem conceſſit (*a*). Porro tam Caleb quam Othoniel ejus gener, qui alias frater illius, aut nepos erat, Cenezæi dicuntur, fortaſſe ex occupatis ab illorum familia Cenezæorum ſedibus, uti Scipio a devicta Africa Africanus dictus fuit.

Tribubus Juda, Ephraim, & Manaſſes portiones aſſignantur.

V. Conceſſa Calebo terra, quæ ad ipſum ſpectabat, ad Chanaanitidis diviſionem ventum eſt. Tribus Juda in regione maxime meridionali Chanaanitidis portionem ſuam ſortita eſt; cujus termini, ſicut & ceterarum Tribuum, in Tabulis Geographicis, ea de re editis, videri poſſunt. Jeruſalem urbs in finibus utriuſque Tribus Juda & Beniamin conſtituta, modo Judæ, modo Beniamin accenſetur. Porro Juda, & Beniamin Jebuſæos ex illa urbe, vel ſaltem ex illius Arce, pellere non potuerunt; quod Davidi in Regem jam creato reſervatum fuit (*b*). Tribui Ephraim, & dimidiæ Tribui Manaſſe (alteri enim dimidiæ ſuæ erant trans Jordanem ſedes) primum una tantum in communi data eſt regio, quod uter-

(*a*) Joſue XIV. 6. & XV. 13.

(*b*) Joſue XV. 63. Judic. I. 21. 2. Reg. V. 8.

uterque Joſephi filius eſſet. Regionem poſtea ſibi diviſerunt, ita tamen ut Manaſſis ſors brevioribus finibus clauderetur, ac utriuſque limites ſatis turbati remanſerint, & confuſi. In portione autem Manaſſis ſuum particularem tractum quinque Salphaad filiæ, juxta Dei voluntatem Moyſi indicatam, habuerunt (*a*).

Ephraim, & Manaſſes querelæ, & præpoſtera indulgentia.

VI. Tribus Ephraim, & Manaſſes de ſorte ſua apud Joſue conquerentes: Dediſti, dicebant, utriſque nobis, quod vix uni ſufficeret. Permittenti autem, ut montes aſcenderent, ac pomeria inter Pheræzeos & Raphaim dilatarent, reſponderunt, montes impares eſſe illis continendis, Pheræzeos autem, & Raphaim armatis curribus tutos eſſe. At Joſue in ſua ſententia perſiſtens; ita, ait, occupate regionem illam montibus aſperam, & hominibus vacuam, ſucciſiſque arboribus domos ibi conſtruite. Pronum inde erit in regionem montibus ſubjectam deſcendere, ut arma in Chananeos inferatis, quos curribus ſuis terribiles metuitis. Paruerunt illi quidem multaſque urbes expugnarunt, ſed auro, commodiſque ſuis nimium indulgentes, eo adducti ſunt, ut tributo indicto vitam hoſtibus ſuis largirentur, reluctante Dei præcepto; quæ quidem Legis violatio origo deinde fuit, & caput malorum in Iſraele. Senſim enim Hebræi ad hoſtium ſacra declinantes, duram a Domino ultionem, multis variiſque ſervitutibus afflicti, in ſuum caput provocarunt (*b*).

VII.

(*a*) Joſue XVI. XVII. Judic. I. 28.
(*b*) Joſue XVII. 12.

VII. Tradita Tribubus Juda, Ephraim, & Manaſſis terræ portione, quæ cuique illarum, ſortito obvenerat, motis caſtris e Galgalis, ubi per ſeptem circiter annos ſubſtiterant, progreſſum eſt ulterius Septentrionem verſus, ut commodius & magis e propinquo diſtributio pro reliquis Tribubus perficeretur. Opportuna in hanc rem viſa eſt Silo, urbs florens, ſitu loci commoda, & ferme in meditullio terræ Chanaan, in ditione Ephraim; quare eo Tabernaculum, & Arcam transferri voluit Joſue (*a*). Creditur Tabernaculum ad uſque Samuelis ætatem ibi perſeveraſſe; illud ſaltem compertum eſt, manſiſſe in Silo Arcam uſque ad infauſtam illam diem, qua in Philiſtæorum manus incidit. Certant Hebræi, perperam tamen, Tabernaculum in Silo erectum longe aliud fuiſſe a Tabernaculo, quod Moyſes in deſerto erexerat. Putavit Toſtatus, Tabernaculum in Silo ædificio aliquo tectum fuiſſe; neque enim credibile arbitratur, ut nulla poſcente neceſſitate, imbrium & aeris injuriis expoſitum relinqueretur. Cum tamen ſciamus, Arcam regnante Davide poſitam fuiſſe in medio pellium (*b*), cenſemus pariter, Sanctuarium in Silo non aliud habuiſſe tegimen, quem pelles, quæ, ut neceſſitas poſtulabat, repararentur. Videtur tamen, Tabernaculum ſtatutum fuiſſe ſub quercu quadam, ab eaque utcunque protectum (*c*).

ANNO MUNDI 2560. ante Chriſtum 1440.

Religionis ſedes in Silo figitur.

VIII. Septem reliquæ Tribus, quæ nihil ad-

Terræ diviſio perficitur.

(*a*) Joſue XVIII.
(*b*) 2. Reg. VII. 2.
(*c*) Joſue XXIV. 26.

adhuc terræ acceperant, contentæ otio illo pacis, quo in amæna illa regione fruebantur, nulla tenebantur ſollicitudine partem ſuam poſtulandi, ne forte illa potiti, humum exercere cultura, & ſolæ in ditione ſua bellum adverſus Chananæorum reliquias & gerere, & pati cogerentur. Quare Joſue exprobrata ejuſmodi deſidia præcepit, ut tres viros eligerent ad inviſendam regionem non adhuc diſtributam, renunciandumque ſibi, quæ ejus eſſet dimenſio, ut ſcilicet ea diviſa in ſeptem partes pro ſeptem Tribubus, ſorte educi poſſet, quid ſingulis contingeret, pro more jam cum ceteris Tribubus ſervato. Viri illi Tabulam Geographicam delineantes, Geometrarum opera, ut narrat Joſephus, deſcripſerunt in illa nomina ſingularum urbium, in qua & totam regionem ſeptem in partes diviſerunt. Poſt reditum illorum Joſue coram Tabernaculo jactis ſortibus illam Beniamin, Simeon, Zabulon, Iſſachar, Aſer, Nephtali, & Dan diſtribuit (*a*).

Sors Simeonis in medio Judæ.

IX. In diſtributione autem regionis nihil antiquius habuit Joſue, quam ut poſſeſſiones, expenſis tum ſingularum Tribuum numero, tum ſoli qualitate, æquarentur. Quare cum Judas, numero ſcilicet hominum frequentiſſimus, æquo tamen majorem occupare regionem intelligeretur, corraſum eſt ex illa quiddam, ut in partem Simeonis cederet. Hinc etiam accidit, ut in ditione alterius Tribus poſitæ urbes, ad alteram pertinere interdum inveniantur.

X. Poſt

(*a*) Joſue XIX.

X. Poſt diſtributam populo regionem, omnium poſtremus Joſue portionem ſuam obtinuit, urbem ſcilicet Thamnath-Saraa, in montibus Ephraim, quam ita novis ædificiis auxit, totumque locum illum ita reſtituit, ut tamquam conditæ illius urbis novus auctor haberetur. In eodem conventu Joſue ex Domini mandato ſex urbes in aſylum ſegregavit, ſcilicet cis Jordanem Cedes, Sichem, & Hebron; trans vero amnem Boſor, Ramoth, & Gaulon (*a*). Tunc etiam Levitarum Optimates ſteterunt coram Eleazaro, Joſue, ac Tribuum Principibus, qui terræ diſtributionem curabant, expoſueruntque, rei æquitatem poſtulare, ut antequam generalis ille conventus ſolveretur, & ſingulæ Tribus in poſſeſſionem ſortis ſuæ immitterentur, urbes ſibi aſſignarentur in ſedem, cum Tribus Levi in generali regionis diſtributione, cum ceteris minime veniret in partem ex Dei mandato per Moyſem præſcripto. Ita vero fieri voluit Deus, ut Sacerdotes, & Levitæ utpote gens peculiari miniſterio, & religione ſibi addicta, per omnes late Tribus diffunderetur, quo ſcilicet omnes continerentur in Legis obſequio (*b*). In Sacerdotum igitur, Levitarumque domicilium 48. Urbes ex univerſis Tribubus ſelectæ ſunt, cum agris adjacentibus, ſpatio bis mille cubitorum, pro animalium paſtura; in quarum urbium numero ſex Refugii urbes comprehendebantur. Tribus autem Levi in tres familias, Caath,

Joſue portio. Urbes Refugii, Sacerdotum, & Levitarum.

(*a*) Joſue xx. xxvi. 29.
(*b*) Num. xxxv. Paral.

Caath, Gerſon, & Merari, dividebatur. Aaron e familia Caath ſatus quartam aliam conſtituebat, privilegiis, & gloria Sacerdotii ceteris inſigniorem. Quare Levitæ diſtributa in quatuor partes omni ea quadraginta & octo urbium poſſeſſione, eamdem ſortium jactu in quatuor ſuæ Tribus familias diviſere. Mirabili autem Numinis providentia factum eſt, ut familia Caath, quæ Sacerdotii prærogativa fruebatur, portionem ſuam in Tribu Juda haberet, ubi Templum Domino erigendum erat. Credimus autem, cum ejuſmodi urbes Levitis traderentur, conceſſum illis tantummodo jus ſeligendi in iis, quas ipſi occupare poſſent ædes, reliquas vero habuiſſe ſibi ejuſdem Tribus homines, in quorum portione urbes illæ continebantur. Porro ædes a Levitis occupatæ vendi poterant; minime vero agri urbibus Leviticis ſpatio bis mille cubitorum circumjacentes (*a*). Sunt qui velint, omnes omnino Levitarum urbes aſyli privilegio donatas fuiſſe, quibus Auctor Vulgatæ favet (*b*). Sed communis Interpretum ſententia, e Scripturæ textu expreſſa, ſex tantum refugii urbes conſtituit (*c*).

Tribus Transjordanicæ Altare in ripa fluminis erigunt.

XI. Accidit inter hæc quod pene Iſraelitas omnes inter ſe ſe commiſit. Tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſis, poſt latam fratribus opem in Chanaanitidis acquiſitione, imperaverat Joſue, ut ad propria trans Jordanem redeuntes, cum fratribus, qui domi ſe con-

(*a*) Levit. xxv. 32.
(*b*) Joſue xxi. 27. 31. xxxv. 6.
(*c*) Joſue xx. Num. 36. 37.

continuerant, ſpolia ex hoſtibus relata dividerent. Cum ad Jordanem veniſſent, in ripa ejuſdem fluminis ingentem ſtruem ex aggeſta humo, & lapidibus, inſtar cujuſdam Altaris, erexerunt, perpetuum ſui cum ceteris Iſraelitis conſenſus monumentum. Rem peſſime acceperunt Iſraelitarum reliqui, conſtitutam Aram irreligionis, & apoſtaſiæ ſpiritu rati. Quare convenientes in Silo, injuriam Numini irrogatam bello ulciſcendam putarunt. Ut tamen in re tanti momenti cautius procederetur, eo Phinees, filium Eleazari ſummi Sacerdotis, una cum cisjordanicarum Tribuum Optimatibus ablegarunt, ut ab illis rationem ejus rei exquirerent. Phinees igitur illos conveniens: Cum Aram, inquit, conſtruxeritis, non alium facile quam Beelphegor, vetus Numen Regionis, quam incolitis, huic Aræ imponere meditamini. An ignoratis, quanti ſteterit Iſraeli hujus Numinis ſuperſtitio? Cur potius vetus peccatum non expiatis? Achani privati hominis crimen, furorem Domini in univerſum Iſraelem provocavit. Quid non de ſcelere veſtro publico, & communi timendum eſt? Si prophana vobis videtur terra, in qua ſedem fixiſtis, utpote divinæ præſentiæ pignore, & Arca carens, tranſmiſſo flumine ad nos migrate, hereditatem nobiſcum habituri. Quibus illi reſponderunt, Altare illud a ſe erectum fuiſſe, non alia de cauſa, quam ut ſui cum fratribus fœderis, uniuſque inter utroſque populos originis, monumentum extaret, non vero ut ſuper illud victimas ſacrificarent, aut fal-

falſum Numen colerent. Quare Phinees factum vehementer probans: Nunc certo, ait, nobis conſtat, Dominum opem ſuam nobis non ſubducturum, cum vobis certum ſtet propoſitum in ejus obſequio nobiſcum perſeverandi. Redeunte autem Phinee cum ſociis ad propria, illi epigraphen appoſuerunt Altari: *Teſtimonium noſtri erga Deum obſequii* (*a*).

Joſue ſacrum fœdus cum populo innovat.

XII. Inclinans jam ad exitum Joſue, intellexit, mollioris vitæ commodis dediſſe ſe populum, nimiaque uti erga Chananæos indulgentia; metuens vero ne cum illis tandem convenirent, conjungerenturque amicitiæ, connubiorum, & religionis vinculo, populi conventum indixit, alii volunt in Thamath-Sara, alii in Silo, alii in Sichem; ibique graviſſimis verbis hortatus eſt Iſraelitas, ut in obſequio Domini perſeverantes, omne cum exteris gentibus commercium vitarent. Reputabat autem e re maxime eſſe, ſi vetus cum Domino fœdus confirmaretur. Quare commemoratione beneficiorum Dei in id animos, menteſque Iſraelitarum præparavit, certam ſpondens illis Numinis opem, ſi a promiſſa fide non deſciſcerent, ultionem vero & extrema omnia, ſi initum cum eo fœdus negligerent. Significavit tamen nihil ſibi de inconſtantia, & mobilitate illorum polliceri. At populus, Dominum, dicebat, nunquam deſeremus, nec recedemus a fœdere, quod nobiſcum inire dignatus eſt. Speramus autem futurum, ut ille beneficia erga nos ſua non minuat, neque id nobis

(*a*) Joſue XXII.

nobis infortunii accidat, ut in ea incurramus mala, quæ tu minitaris. Tunc Joſue: Si quis, ait, ex vobis reliquias aliquas ſervat propenſionis erga Numina olim in Meſopotamia, & Ægypto a patribus veſtris culta, abdicet a ſe illas ſtatim, & jam nihil nunc habeat amoris niſi in Deum, ejuſque Religionem. Cum autem fœderis præcepta recitata fuiſſent, expoſitumque, quæ Dominus ex populo ſuo exigeret, & quibus ipſe conditionibus viciſſim ſe erga populum obſtringeret; annuit populus, fidemque ſuam, & obſervantiam jurejurando teſtatus eſt. Hæc omnia publicis Tabulis deſcripta fuerunt, eademque Joſue addidit Codici Moyſis, qui in Arca ſervabatur, neve illorum memoria periret, ingentem lapidem ſub quercu, juxta Tabernaculum Dei in monumentum erexit (*a*). Cenſet Chaldæus, deſcriptam fuiſſe in eo lapide totius rei in hoc cœtu geſtæ hiſtoriam.

ANNO MUNDI 2570. ante Chriſtum 1430. *Joſue obitus.*

XIII. Intra modicum ab eo conventu tempus obiit Joſue, annorum centum & decem, ætate grandævus, exactis in regimine annis ſeptemdecim, licet Marshamus regimen hoc ad annos 25. proroget. Sepulturæ mandatum eſt illius cadaver in Thamnath-Saraa. Illi publico luctu parentatum fuiſſe, quamquam ſilet Scriptura, rei tamen æquitas ſuadet. In connubio vixiſſe, liberoſque genuiſſe, nullibi apparet. Deus ipſe hunc virum ad regendum populi ſui clavum elegit; cujus quidem electioni, Belli, & Pacis virtutibus ille reſpondit.

(*a*) Joſue XXIV.

Quiſnam Libri Joſue Auctor.

XIV. Operis, quod Liber Joſue dicitur, Auctor ſine controverſia idem creditur. Illius nomen præferunt exemplaria Hebræa, Græca, Latina, ceteraque omnia. Auctor Eccleſiaſtici fert: *Joſue ſucceſſor Moyſis in Prophetis*; ſive, ut habet Græcus, in *Prophetiis* (*a*); ideſt, juxta plures, in hiſtoria populi Dei, ſacriſque Libris ſcribendis. In extremo ejuſdem Operis capite hæc leguntur: *Scripſit omnia verba hæc;* nempe ad minus omnia, quæ in eodem capite continentur. Si vero poſtremi hujus capitis Auctorem credamus Joſue, cur non & reliqui libri, cum in ipſum omnia quadrent? Inficias tamen non iverim, additamenta quædam in libro notari, ab altera, quam Joſue manu, appoſita. Sed hoc ſolemne eſt & aliis libris ſacris æque ac prophanis.

Quas ſedes petierint Chananæi, a Joſue fugati.

XV. Sunt qui putent, Chananæos, e Paleſtina a Joſue pulſos, in Africam primum, deinde in Americam divertiſſe. Ad Americam quod ſpectat, res eſt inter incertas incertiſſima. Conjecturæ pro aſſerenda Americanorum ex Phænicibus, ſive Chananæis origine, plerumque ex morum, linguæ, & religionis inter utraſque gentes affinitate petuntur. Verum ſi quæ ſunt apud Americanos lineamenta Chananæorum, ſunt etiam quædam Judæorum, ſicut & quædam Chriſtianorum admixta, ſed ſuper hæc omnia eminet Paganiſmus. Aliquid veroſimilius ſtatueretur de Africanis. Extant, teſte Procopio, in urbe Tingitana geminæ columnæ, hanc præferentes Phæniciis cha-

(*a*) Eccl. XLVI. 1.

characteribus inſcriptionem: *Nos genus ſumus, qui prædonem Joſum filium Nave fugientes, in tutum recepti ſumus*. S. Auguſtini ætate Africani de origine ſua requiſiti, Chananæos (Canani) ſe prodebant (*a*). Veteris denique linguæ Punicæ, & Chananææ, ſive Hebrææ conſenſum, idem Auguſtinus, Hieronymus, & Critici agnoſcunt. Quæ tamen a nobis dicta, non ita accipienda contendimus, ut alia petiiſſe loca Chananæorum nulli credantur. Inachiæ, ſeu filii Inachi, in tota Græcia celebratiſſimi, non alii creduntur ab Enacim, ſeu filiis Enach gigantis in Scriptura notiſſimi. Cadmus Thebarum conditor patrem habuit, ex Suida, Agenorem, ſive Ogigem, qui ipſiſſimus videtur Og Rex Baſan. Alii ita meditantur. Cedmonæi genere erant Hevæi, ſedeſque circa montem Hermon habebant (*b*). Ex illis originem referebat Cadmus, & Hermione ejus uxor. Quæ in fabulis narrantur de anguis dentibus a Cadmo ſeminatis, e quibus germinaverint armati homines, deducta ſunt ex etymologia nominis Hevæi, quod Phænicio ſermone ſerpentem ſonat. Cadmus igitur Thebis ſeminavit anguis dentes, Hevæos ſcilicet, gentem bellicolam, & laboribus duratam.

Eleazarus ſummus Sacerdos moritur, cui Phinees ſuccedit.

XVI. Circa idem tempus, quo Joſue fatis ceſſit, mors quoque Eleazari ſummi Sacerdotis contigit, cujus funus curaverunt Iſraelitæ in Gabaath urbe Ephraimitica, quæ privato

(*a*) Expoſit. inchoat. Epiſ. ad Rom.

(*b*) Gen. xv. 19.

jure Phinei, illius filio, & in Sacerdotio ſucceſſori ceſſerat, in præmium forte eorum, quæ ab eo egregie geſta fuerant (*a*).

Quænam Judicum Imperii forma. Variæ de annis, quibus imperarunt Judices, opiniones. Quis Libri Judicum Auctor. Seniorum Anarchia. Tribus Juda Dei oraculo electa, bello Adonibeſechum fregit. Ephraimi expeditio.

CAP. V.

Judicum electio, & imperium. I. JUdices, quorum hiſtoriam exinde dabimus, Rempublicam Iſraelis ea temporum intercapedine moderati ſunt, quæ a Joſue obitu ad uſque conſtitutos Reges interceſſit. Quare nomen illud non ita ad literam uſurpatur, quaſi virum dumtaxat juri dicundo deſignatum ſignificet, cum penes illos eſſet ſumma tum Pacis cum Belli poteſtas. Judicum auctoritas Regum imperio non impar erat, ſine faſtu tamen, & ſatellitio, eiſque comparari poſſunt Archontes Athenienſium, & Romanorum Dictatores. Vectigalibus non donabantur, ſolis muneribus, quæ ſponte illis offerebantur, contenti. Eorum dignitas, nec hereditario jure, nec electione humana contingebat, ſed Deus, Iſraelis ſolus, & verus Imperator, illos in ſuos Legatos, aut Vicarios eligebat. Quamvis autem Deus ut plurimum per ſemetipſum, ſeu per apertum ſuæ voluntatis indicium Iſraelitarum Judices excitaret, nihi-

(*a*) Joſue XXIV. ult.

nihiloſecius aliquando populus, quin claram Dei revelationem opperiretur, quem avertendis calamitatibus opportuniorem duceret, ſeligebat, uti cum Jephte factum ſcimus. Non ſemper autem omnibus Iſraelitis, ſed iis tantum, quibus liberandis eligebantur, Judices imperabant. Sic neque Jephte citra, neque ultra Jordanem Barac jus dicebat. Electi tandem non quidem ad tempus erant, ſed imperium per totam vitam prorogabant.

II. Judicum imperium, ab obitu ſcilicet Joſue uſque ad initium Regni Saulis, tercentis & undequadraginta annis, hoc eſt, ab anno Mundi 2570. uſque ad annum 2909. perduraſſe ſtatuunt in rebus chronologicis peritiſſimi viri. In annis tamen ſupputandis non levis difficultas occurrit. Poſt egreſſum enim ab Ægypto uſque ad conditum Salomonis Templum, Scriptura annos 480. numerat (*a*). Verum cum illi anni, qui ex libro Judicum, ac primo Regum colliguntur, hanc ſummam multo ſuperare videantur, aliqua ratio ineunda eſt, ut variantes iſtæ ſupputationes concilientur. Duplex occurrit. Prima annos ſervitutum in annos Judicum refundit; quare dum, exempli cauſa, narrat Scriptura (*b*) poſt Othonielis victoriam Iſraelitas per 40. annos pacem obtinuiſſe, vult hæc ſententia, horum annorum periodum ſumendam eſſe, non ab ipſa Othonielis victoria, ſed a morte Joſue; ut ſenſus ſit: A morte Joſue aduſque obitum Othonielis ſpatium 40. annorum effluxit; quo tempo-

Variæ de Judicum annis opiniones.

(*a*) 3. Reg. VI. 1. (*b*) Judic. III. 11.

ris ſpatio Iſraelitarum regio octo annis hoſtium dominio ſubdita, priſtinæ libertati ab Othoniele reſtituta eſt. Huic ſententiæ ſubſcribit Uſſerius. Cum autem illa Scripturæ textui vim inferre videatur, ac diſtincta omnino, & ſeparata miſcere, alteram rationem & quidem commodiorem inivit Marshamus. Suſpicatur igitur, Scripturæ ſupputationes non eſſe ſucceſſivas, ſed collaterales, quod Judices, ſervitutes, & Anarchiæ fuerint plane diverſæ ultra, & citra Jordanem. Duabus iſtis rationibus tertiam addunt illi, qui ut e re maxime exiſtimaverint, modo priore, modo poſteriore utuntur. Omitto illorum opinionem qui cenſent, ſacro textui irrepſiſſe mendum, ponuntque Templi ſtructuram non anno 480. ſed vel 520. cum Petavio; vel 580. cum Capello, vel 620. cum Valthero, vel 680. cum Serario.

Anni, quos Liber Judicum cōplectitur. Operis Auctor incertus.

III. Liber Judicum non complectitur geſta omnium eorum Principum, qui eo dignitatis titulo, & honore præfulxere, ſed ultra Sampſonem non progreditur; quare nihil in eo de Heli, nihil de Samuele. Obiit autem Sampſon anno Mundi 2887. juxta Chronologiam, quam ſequimur; ut liber ille hiſtoriam 317. tantum annorum exhibeat. De hujus libri Auctore ambigitur; alii enim ipſos Judices ſuæ ſingulos hiſtoriæ ſcriptores aſſignant, alii Phineem, alii Samuelem, alii Ezechiam, alii Eſdram, alii alios. Unum autem eumdemque eſſe totius Operis Auctorem, qui poſt Judicum ætatem floruerit, ſatis produnt ea, quæ capite ſecundo, verſu decimo & deinceps leguntur, ubi

ubi totius hiſtoriæ generalis quædam idea, & ſumma exhibetur. Et hæc quidem ante Judicum hiſtoriam præfari opportunum exiſtimavimus.

IV. Joſue nullum ſibi delegerat ſucceſſorem, qui Iſraelitarum Rempublicam adminiſtraret. Hinc Seniores ſuam ſingulos Tribum poſt illius obitum rexiſſe, pluribus perſuaſum eſt, ita tamen, ut coacto in Silo coram Fœderis Arca totius gentis concilio, de rebus, quæ omnes ſpectarent, deliberarent. Seniores igitur, qui Moyſi, & Joſue coævi fuerant, quique coram ſpectaverant Domini prodigia, auctoritate, qua præſtabant in populo, & exemplo probitatis ſuæ Religionem in Iſraele ſartam tectam ſervarunt (*a*). Quoto tempore Hebræi in obſequio Domini fideles manſerint, ſatis accurate definiri non poteſt. Id ſpatii ad annos circiter quindecim poſt obitum Joſue nos cum quibuſdam ſtatuimus. Solutus autem exemplo, & auctoritate magnorum illorum Virorum populus, cum Chananæis commercia, amicitias, conjugia primum contraxit, deinde in illorum etiam vitia, & idololatriam prolapſus eſt. Hanc autem prævaricationem, cui ſeptennium aſſignari poteſt, Iſraelitis exprobravit Angelus, quem Deus miſit e Galgalis ad locum Flentium, Silo ſcilicet, uti quidem videtur, quo populus convenerat, Feſtum aliquod forte celebraturus. Porro nomine Angeli nonnulli Phineem ſummum Sacerdotem intelligunt, vel alium quempiam virum ſan-

Anno Mundi 2580. ante Chriſtum 1420.

Seniorum regimen quod excipit Anarchia.

(*a*) Joſue XXIV. 31. Jud. II. 7.

ſanctum; nomen autem Flentium loco manſit, quod Angelo illo exprobrante crimina, pœnaſque minitante, Hebræi in lacrymas effuſi ſunt (*a*). Verum temporaria fuit hæc pœnitudo, & fucata; quare duram a Domino ultionem, multis variiſque identidem captivitatibus afflicti, in ſuum caput provocarunt (*b*).

Tribus Juda Adonibeſechum armis fregit.

V. Eo temporis ſpatio, anno tamen incerto, accidit ut ſemel coactus in concilium populus Dominum Pontificis miniſterio conſuleret, quænam inter Tribus, omnium prima, arma ſuſciperet in Chananæos, quos Iſraelitarum cervicibus inſultare ſentiebant (*c*). Tribus Juda oraculo deſtinata eſt, quæ in expeditionis ſocietatem Tribu Simeonis vocata, ſecundo prælio Adonibeſechum, Dominum ſcilicet, ſive Regem Beſec, Chananæorum Ducem, victoria 70. Regum ſuperbientem, occiſis decem hominum millibus, fregit, captoque manuum ac pedum extrema abſcidit. Adonibeſechus hujus punitionis juſtitiam agnoſcens, ultro confeſſus eſt, actum ſecum a Domino, ut ipſe cum captis Regibus agere conſueverat. Septuaginta namque Reges ſuo imperio ſubjectos habere non contentus, amputatis manuum illorum ac pedum ſummitatibus, cogebat cibum carpere more canum ſub menſa ſua, projectas cibi regii reliquias comedentes. Inde Hebræi ad Hieroſolymorum obſidionem profecti, Adonibeſechum ſecum adduxerunt, ubi mortuus eſt. Urbem autem illam

vi

(*a*) Judic. 11.
(*b*) Infra c. 7.
(*c*) Judic. 1.

vi captam, & igne devaſtatam inhabitarunt filii Juda, & filii Benjamin, inter quorum Tribus media jacebat, permiſſa tamen Jebuſæis Arce, ſive maxime edito, & validiſſimo urbis loco, quem ad Davidem uſque illi occuparunt. Verſis deinde armis in Chananæos maxime meridionales, non infima quædam loca ſortis ſuæ occupantes, urbes in montibus conſtitutas expugnarunt, ſed exiſtentes in agris ſubigere minime valuerunt, quod earum defenſores falcatis curribus uterentur.

Cinæorum portio.

VI. Cinæi poſteri Jethronis, ſoceri Moyſis, qui cum Iſraelitis in Terram Promiſſionis venerant, partem ſuam habuerunt in Tribu Juda in urbe Palmarum. Verum hac portione minime contenti, conjunctis cum Juda armis, in expeditionem Arad proceſſerunt; qua regione ſuperata, ſedes ibi fixerunt; retinueruntque aduſque Saulis ætatem, Amalecitis permixti (*a*).

Tribus Ephraim expeditio.

VII. Felici armorum Juda, fœderatorumque ſucceſſu animata Tribus Ephraim cum dimidia Manaſſis, ſumptis armis cinxerunt Bethel, ditionis ſuæ urbem, miſſiſque exploratoribus, qui opportunos aditus, & minus munitos inſpicerent, nacti ſunt hominem, cui ſpem fecere tum vitæ ſervandæ, tum præmii ditioris potiundi, ſi quidem locum aptum, quo ingrederentur, oſtenderet. Annuit ille: quare ingreſſi, cives omnes interfecerunt, proditorem tantum dimittentes. Hic in regionem Hethim, facile Hethæorum ad meridiem Cha-

(*a*) Exod. xviii. 27. & 1. Reg. xv. 6.

Chanaanitidis, Arabiam Petræam verſus ſe conferens, urbem condidit, quam Luzam appellari voluit; quo nomine & Bethel patria ſua olim dicebatur. Eadem Tribus Ephraim urbem quoque Gazer ſubegit, ſed Chananæos, qui in ea degebant, non delevit: quam præpoſteram indulgentiam ceteræ Tribus Zabulon, Aſer, Nephtahali imitatæ ſunt; nam in hoſtes ſingulæ regionis ſuæ verſæ, cum eos necare poſſent, malo ſuo ſervare maluerunt, tributo illis impoſito. Tribus tamen Dan Amorrhæorum armis in montium anguſtias compulſa fuit (*a*).

Michæ Idolum. Danitæ expeditionem in Lais ſuſcipiunt. Bellum ceterarum Tribuum in Tribum Beniamim. Virginum raptus.

CAP. VI.

Michæ Idololatria. I. AD calcem Libri Judicum tres referuntur hiſtoriæ, de Michæ ſcilicet Idolo, de Danitarum expeditione in Lais, & de Beniamitarum fere omnium exterminio; quas contigiſſe putant Interpretes eo temporis ſpatio, quod obitum Joſue, piorumque Seniorum, dum licentia in Anarchia regnaret, conſecutum eſt (*b*). Quædam igitur vidua Ephraimitica, cum 1100. argenteos reconditos apud ſe haberet, accidit ut ſubito quæſiti, non invenirentur; quare femina in querelas ver-

(*a*) Judic. I.
(*b*) Vide Calm. in Judic. XVII. I.

verſa, furem diris omnibus devovit. Michas ejus filius, ſive quod pecunias ipſe ſurripuiſſet, ſive quod ab alio raptas recepiſſet, matri reſtituit. His acceptis, mulier primum fletus compeſcere, deinde filium benedictionibus cumulare; ſignificavit tandem, deſtinaſſe ſe pecuniam illam cultui divino, ut ſcilicet in ornamenta ſacerdotalia, ſacraſque immagines impenderentur: velle autem, ea in privato Sacello venerationi expoſita, ejuſdem filii cuſtodiæ committere. Dictis ſtetit femina, ex ea enim pecunia confecto Ephod, aliiſque ornamentis, & quibuſdam imaginibus, ſuperſtitioſo cultu, & fortaſſe etiam idololatrico (paucos enim inveneris, qui hujuſmodi ſcelus abeſſe velint) omnia in domo Michæ conſecravit. Ille maternæ voluntati obſequens, primo quidem unum e filiis ſuis Sacerdotio initiavit, dein nactus juvenem quemdam Levitam, loco filii Sacelli Antiſtitem conſtituit (*a*).

Danitarum expeditio in Lais.

II. Interea Tribus Dan, cui anguſtior erat regio, de coloniis in alienas regiones mittendis conſilium inivit. Ad aptum locum explorandum miſſi ſunt quinque viri, qui in itinere Levitam, Michæ Myſtam, offendentes, ut Dominum conſuleret, rogarunt. Illo fauſta omnia ex ſuo commento, vel ex dæmonis præſtigio, promittente, læti abierunt, reverſique ad ſuos renunciarunt, Lais urbem ad fontes Jordanis, civibus nullo periculi timore incautis, facile opprimi poſſe. Ea ſpe adducti Danitæ, illic deſti-

(*a*) Judic. XVII. 27.

deſtinarunt coloniam 600. viris aptis ad arma cum ſuis familiis conſtantem; cumque hi ad Michæ domum perveniſſent, Lararium expilantes, ſuaſerunt Levitæ, ut ſecum pergeret, herique ſui exportaret Ephod, & Idola. Michas autem intellecto furto, abeuntes clamoribus proſequebatur; ſed minis Danitarum territus & querelas ſuppreſſit, & ad propria remeavit. Occupata ab illis Lais, Idolum e Domo Michæ ſublatum ibidem erectum eſt, ejuſque Sacerdotium Jonathan, filio Gerſan filii Moyſi, qui forte idem eſt ac Levita, de quo huc uſque, commiſſum fuit. Porro ſuperſtitio illa tandiu urbem Lais, Dan deinceps appellatam, tenuit, quandiu Tabernaculum in Silo manſit, nempe uſque ad Samuelis regimen. Quin poſt illud tempus, poſteri Jonathan novæ ſe iterum addixerunt ſuperſtitioni, Sacerdotio ſcilicet Vitulorum aureorum, quos in eadem urbe, non minus ac in Bethel, Jeroboamus conſecraverat; perſeveraveruntque in eadem fæce, quoaduſque Aſſyrii illos una cum decem Tribubus captivos adduxerunt (*a*). Nunc de Bello in Benjamitas.

Beniamitæ uxore cujuſdam Levitæ abutuntur.

III. Quidem Levita, cui ſedes in montibus Ephraimiticis, Bethleem Juda venit, uxorem, quæ ab eo in patrium larem diffugerat, ad propria reducturus. Poſtquam nonnullis diebus in Soceri domo ſubſtitiſſet, iter ſuum inſtituens, Gabaam urbem Tribus Benjamin venit; cumque nullius dignaretur hoſpitio, tandiu in foro conſidere coactus fuit, donec a Senio-

(*a*) Calmet in Judic. XVIII. 31.

niore quodam invitaretur. Vix a cœna ſurrexerunt, cum illico facto ad eam domum a civibus concurſu, elatis vocibus ſenem poſtularunt, ut Levitam produceret, eiſque illum in libidinem permitteret. Senex nequidquam conatus eſt imminentem in hoſpitem turbinem avertere; quare cum eos pertinaces cerneret, nedum Virginem puellam filiam ſuam, ſed & ipſius Levitæ uxorem illis ſe permiſſurum promiſit, ſi ab incepto abſtinerent. Cum Levita ſenem fruſtra loqui intelligeret, uxorem ſuam produxit eorumque licentiæ permiſit. Femina igitur tota nocte abuſi ſunt viri nequiſſimi, quæ deinde derelicta, cum domum regreſſa, jam veſtibulum attigiſſet, exanimis extentis brachiis concidit (*a*).

Bellum in Beniamitas decretum.

IV. Lugubri aſpectu Levita dolore concitatus, defunctæ cadaver aſino imponens, domum ſuam reduxit; quod deinde in duodecim fruſta conciſum, ſuum ſingulis Tribubus tranſmiſit, addita rei geſtæ narratione. Coacto ad eam rem Iſraelitarum concilio in Maſpha, viros Benjamin requiſierunt, ut ſceleſtiſſimos homines pœna afficiendos permitterent. Verum Benjamitæ non tantum recuſarunt, ſed armis Gabaæ cives defendere aggreſſi ſunt. Collegerunt itaque Benjamitæ exercitum 25000. virorum, additis inſuper 700. e viris Gabaæ, enſem utraque manu tractantibus, & jaculandis funda lapidibus adeo peritis, ut vel crinem petiiſſent. Validior erat exercitus ceterorum Iſraelitarum 400000. qui coacti ad Silo, Domi-

(*a*) Judic. XIX.

minum conſuluerunt de providendo ſibi Duce. Dominus autem reſpondit: *Juda ſit dux veſter*, videlicet, Tribus Juda prima hoſtes aggrediatur.

Res Iſraelitis primo infeliciter ceſſit.

V. Summo alterius diei mane filii Iſrael moventes locarunt ad Gabaa caſtra, urbemque illam infeſtis armis aggreſſi ſunt; ſed Benjamitæ eruptione in illos facta, 22000 occiderunt. Conſternati eo caſu Iſraelitæ noctem in fletibus coram Domino, ſcilicet coram Arca, quam eo e Silo translatam credimus, egerunt. Iterum autem quærentibus, num reparandum eſſet bellum, Dominus reſpondit: *Aſcendite ad eos, & inite certamen*. Mane igitur in prælium inſtructi, Gabaam propius acceſſerunt; iterumque erumpentes Benjamitæ tanto impetu proruerunt in illos, ut 18000. cæderent. Animis magis quam prius concidentes Iſraelitæ, conſtituerunt ſe ante Arcam, aſſidenteſque ac plorantes jejunium prorogarunt ad veſperam: tum oblatis holocauſtis, & hoſtiis pacificis, Deum iterum interrogarunt per Phineem ſummum Sacerdotem, num iterum ferenda eſſent arma in Benjamitas, vel temperandum ab illis; & Deus: *Aſcendite, cras enim tradam eos in manus veſtras*. Affirmant Hebræorum Scriptores, geminam illam Iſraelitarum cladem in pœnam Idololatriæ Michæ accidiſſe. Veroſimiliora docent, qui putant, documentum tunc Deus mortalibus dediſſe, ut faſtum deprimant, ac de viribus ſuis diffidant, ſpemque collocent ſuam non in cauſæ æquitate, nec in brachii ſui robore, uti

tunc

tunc Iſraelitæ fecerunt (*a*), ſed in Numinis ope, atque miſericordia. Cum enim eo adducti fuiſſent, ut coram Arca provoluti infirmitatem ſuam fletibus, & ejulatibus faterentur, tunc certam Deus victoriam illis promiſit.

VI. Diviſi igitur trifariam exercitus, partem conſtituerunt in inſidiis retro poſt urbem, ut inſinuantes ſe clam in illam, flammis omnia traderent, vacuam habitatoribus nacti. Agmen alterum 10000. proceſſit in hoſtes, mandatis onerati, ut cum erumpere ex urbe inimicos intelligerent, fugam ſimularent. Qui reſtabant occuluerunt ſe in loco nomine Baal-thamar, non prius prodituri, quam cum Benjamitæ longius receſſiſſent ab urbe. Res ſucceſſit pro voto; erumpentes enim patentibus portis alacres Benjamitæ, graves inſtiterunt Iſraelitis fugam ſimulantibus, nulla cautione urbi ſuæ providentes; quam nacti occaſionem retro in inſidiis ſe ſe continentes, irruerunt in urbem, totamque late ſubmiſerunt incendio. Ad ſublatum incenſæ urbis fumum, verſo ore fugam ſimulantes, quorum latera fulciebat exercitus ex inſidiis ad Baal-thamar ſurgens, ſuperfuderunt ſe hoſtibus, paſſimque trucidarunt. Verſi illi in fugam, cum repetere urbem tentarent, circumfundi ſe hoſtibus ſenſerunt, qui poſt incenſam urbem in ipſos eruperant. Ea dies 25100. Benjamitarum nece cruentata fuit. Quibus in fuga obtigit ſalus numero 600. receperunt ſe ad Petram Remmon. Secundum hæc, victores urbem ingreſſi nemi-

Benjamitæ ab Iſraelitis pene deleti.

(*a*) Judic. xx. 22.

nemini pepercerunt; iiſdemque cædibus, & incendio ſævitum eſt in omnes Benjamitarum urbes. Nequaquam autem contenti deleviſſe præſentes, conſilium etiam ineunt plane iniquum, Tribum ſcilicet æque univerſam tradendi exitio, prohibendique, ne ſi qui forte e diſcrimine elapſi fuiſſent, genus Benjamiticum per connubia propagarent, obſtringentes ſe jurejurando, filias ſuas illis numquam daturos (*a*).

Reparandæ Benjamitarum Tribui virginum raptus permittitur.

VII. Hujus ſceleris pœnitudine tacti Iſraelitæ, de reparanda Benjamin Tribu in Silo agunt. Accidit autem opportune, ut urbs in Galaaditide Jabes cladi deſtinaretur, quod arma in Benjamitas non ſociaſſet. Selecti igitur 10000. viri illuc mittuntur, maſculos omnes, & mulieres trucidaturi, reſervatis tantum innuptis puellis, quæ connubia cum Benjamitis inirent. Cum vero 400. tantum virgines in Jabes invenirentur, non ſatis multæ fuerunt, ut ſinguli Benjamitæ, qui 600. erant, uxorem ſuam haberent. Quare Benjamitarum reliqui, Seniorum conſilio obſequuti, virgines, quæ nihil tale ſuſpicientes, ſecure quoddam Feſtum in Silo, choræas ducentes, ac muſica inſtrumenta tractantes, celebrabant, ex latebris coorti rapuerunt, inque thorum adſciſcerunt. Querentibus autem illarum patribus reſpondebatur: Venia digni ſunt Benjamitæ, non enim rapuerunt illas jure belli, tamquam hoſtes, qui mulieres rapiant captivas, ſed acceperunt ſibi in uxores ſinguli ſingulas. Eo rede-

(*a*) Judic. XXI.

redegit illos neceſſitas; vos coegiſtis recuſantes connubia cum illis miſcere, &, quod gravius eſt, jurejurando vos in eam rem obligantes: de veſtra igitur culpa vobis dolendum eſt.

Hebræi ſerviunt Chuſan, Eglon Philiſtæis, & Jabin. Liberantur autem ab Othoniele, Aod, Samgar, Debora, & Barach.

CAP. VII.

I. CRimina, & perfidiam Iſraelitarum captivitate, vel ſervitute Deus puniebat, a qua tamen per excitatos a ſe Judices in libertatem reſtituebat. Primo igitur octennis ſervitutis jugo a Chuſan-Raſathaim Rege Meſopotamiæ oppreſſi ſunt Hebræi, qui Othonielem filium Cenez, Calebi generum, vindicem a Deo precibus impetrarunt. Ille enim Deo afflante Regi cladem, libertatem Iſraeli attulit. Quo autem apparatu, & directione hoc bellum, quod utique leve non fuit, Dux ille peregerit, ſilente Scriptura neſcimus. Fructus victoriæ fuit pax per 40. annos prorogata, cujus initium a Joſue quidam repetunt, ut alibi diximus (*a*), ac ita totum hoc temporis ſpatium ſignant:

ANNO MUNDI 2591. ante Christum 1409. *Prima Hebræorum ſervitus ſub Chuſan octo annis producta, quam Othoniel excuſſit.*

Anno Mundi 2560. Joſue pacem comparat.
Anno 2570. Joſue diem claudit.
Anno 2585. Iſraelitæ prævaricantur.
Anno 2591. Rex Chuſan populum ſubjugat.
Anno 2599. Othoniel Iſraelem liberat.

(*a*) Judic. III. 8. Vide ſupra Lib. 5. c. 5. n. 2.

Aliis autem magis placet illorum ſententia, qui 40. annorum ſupputationem exordiuntur ab eodem anno 2559. quo primum Othoniel pacem populo procuravit eamque claudunt anno 2639.

ANNO MUNDI 2662. ante Chriſtum 1338. *Secunda ſervitus ſub Eglone per annos 18. Aod patriam liberat.*

II. Eglon Moabitarum Rex, Ammonitis, & Amalecitis fœderatus, regiones transjordanicas, & partem Benjamiticæ ſpatio 18. annorum oppreſſit. At Deus pronas aures Iſraelitarum precibus præbens, circa annum Mundi 2680. Aod, filium Geræ e Tribu Benjamin, ambidextrum ſuſcitavit. Aod miſſus ab Hebræis ad Regem, deferendis ſive muneribus, ſive tributis, ſicam ancipitem, capulo ad longitudinem manus ſub ſago ad dextrum latus celavit; forte ut minus obſervaretur, cum ceteri enſem ad ſiniſtram ſuſpenſum tenerent. Ad Eglonem, qui forte Jerichunte regnabat, introductus Legatione abſoluta ſocios dimiſit. Abeuntibus illis, dixit ad Regem, habere ſe aliquid, quod cum ipſo ſecreto communicaret. Rex oraculum ab illo effari ratus; quippe qui de Galgalis veniebat, ubi Idola a Moabitis colebantur, domeſticos omnes diſcedere juſſit. Tunc Aod propius ad illum factus, afferre ſe oraculum dixit. His auditis continuo Rex ſurrexit venerationis gratia; Aod vero abreptam ſtatim ſiniſtra manu ſicam in ejus ventrem pinguiſſimum totam adegit; ſtatimque, ne extracto quidem e vulnere gladio, e conclavi egreſſus januas clauſit, atque transgreſſo periſtylio dilapſus eſt. Domeſtici interim, qui Regem ventrem purgare putabant, tantiſper ſe

con-

continuerunt: cum diutius fruſtra expectaſſent, tandem recluſis foribus ingreſſi, occiſum illum invenerunt. Aod interea Seirath Ephraim verſus fugiens validum exercitum coegit, quo Jordanis vadis occupatis, tranſitum tentantes cædebat. Edita tunc 10000. hoſtium ſtrages Iſraeli pacem 80. annorum attulit. Cujus quidem initium nos deſumimus a pace per Othonielem parta, alii ab hac ipſa ſtrage; qui & cenſent pace illa non totam late regionem fruitam eſſe, ſed transjordanicam tantum; eamque protrahunt ad Madianitarum uſque incurſionem.

III. Poſt Aodum a Scriptura laudatur Samgar, de quo illud tantummodo proditum eſt, 600. Philiſtæos vomere, ſive bovis ſtimulo percuſſiſſe (*a*). Plures ſane Scriptores Samgar e cœtu Judicum Iſraelis expungunt, rati vixiſſe illum, cum rerum potiretur Aod, vel Barac. Præſidium aliquod Reipublicæ contulit, dum ſuorum manu reſtitit Philiſtæis, qui facile nil aliud tunc temporis moliebantur, quam prædam ex Iſraelitarum agris deportare. Ex inſtrumento, quo adverſus hoſtes uſus eſt, agricolam egiſſe credimus, eoſque ſuorum manu ſtipatum cæcidiſſe ſubita potius rixa, quam belli apparatu.

Anno incerto. *Samgar 600. Philiſthæos occidit.*

IV. Jabin Rex Chananæorum, qui in urbe Aſor imperabat, jugum ſervitutis Iſraelitis potiſſimum Chanaanitidis Septentrionalis impoſuit, eoſque ſubditos tenuit 20. annorum ſpatio, donec excitata a Domino Debora liberta-

ANNO MUNDI *2699.* ante Chriſtum 1301.

(*a*) Judic. III. 31.

Tertia ſervitus per annos 26. ſub Jabin Rege Aſor, quem Debora, & Barac fregerunt.

tem comparavit (*a*). Femina hæc Prophetis erat, & uxor Lapidoth, judicabatque Iſraelem ſub quadam palma, ſive in palmeto, inter Ramam, & Bethel in montibus Ephraim, quo diſſidentes Hebræi conveniebant. Hæc accitum Barac filium Abinoem, juſſit Dei monitu, coactum ex Tribubus Nephtali, & Zabulon 10000. virorum exercitum ad Thaborem educere in Siſaram Ducem exercitus Jabin, victoriam ad torrentem Ciſon certo pollicita. Illo nonniſi Debora comite hoc bellum ſe ſuſcepturum ſignificante, Prophetis adeſſe conſenſit; ſed futurum prædixit, ut ea victoria non ipſi Barac, ſed feminæ tribueretur. Jahelem intelligebat, quæ Siſaram interfecit; vel ſe ipſam per quam præcipue filiis Iſraelis victoria parta eſt. Itaque Debora cum Barac in Cedes, Nephtali metropolim, profecta eſt, inſtructoque 10000. exercitu, ſimul ad montem Thabor proceſſere. Quo cognito Siſara nongentos falcatos currus, & omnem exercitum ad Ciſon duxit, ibique caſtrametatus eſt. Tunc Debora: Surge, inquit, Barac, hac enim die tradidit tibi Deus Siſaram. Deſcendit itaque Barac de monte Thabor; cumque Dominus perterruiſſet Siſaram, & omnem exercitum ejus, nullo negotio profligatis hoſtibus maxima victoria potitus eſt.

Jahel Siſaram necat.

V. Siſara de ſuo periculo ſollicitus, e curru deſcendens, pedes Haroſeth Gentium verſus fugam arripuit. Cumque ad Tabernaculum Haberi Cinæi, Chananæis haud inviſi, per-

(*a*) Judic. IV.

perveniſſet, rogatus a Jahele Haberi uxore, eo ingreſſus, pallio ſe obduci, atque internæ humorum agitationi ſedandæ lacte refici, paſſus eſt. Recreatus igitur nonnihil, feminam rogavit, ut ad oſtium Tentorii excubias ageret, ac neminem ſe in tentorio hoſpitio recepiſſe, interrogantibus reſponderet. Jahel ſtatim in loco ſe conſtituit; ſed ut Siſaram alte dormientem animadvertit, ingenti clavo in ejus tempora malleo addacto, cervicem illius terræ infixit. Vix hæc illa geſſerat, cum Barac ſuperveniens, hoſtem ſuum in ſanguine natantem, exanimemque vidit. Ita Iſrael ſervitutem Jabin excuſſit. Tunc Debora, & Barac hilari cantu Deo gratias agentes, præconia propriæ virtutis, fortiſque Jahelis, ac Tribuum Zabulon, Nephtali, & Iſſachar, quæ in partem victoriæ venerant, celebrarunt; viciſſim vero diris devoventes habitatores Meroz, plurimum traduxerunt ignaviam Tribuum Ruben, Gad, Aſer, & Dan, quod fratribus ſuppetias ferre renuerint. De Tribubus Juda, Benjamin, & Simeon ne verbum quidem; cujus ſilentii in cauſa fuiſſe poteſt, quod Jabin ſervitus ad ipſas nihil omnino ſpectaret. Porro hanc victoriam 40. annorum pax ſubſecuta eſt.

Quarta ſervitus, ad quam ſolvendam Gedeon eligitur. Is aram Baalis evertit. Vellus primum, deinde Area rore perſunditur. Victoria de Madianitis. Gedeon Ephod conficit, quod populo ſcandalum eſt.

CAP. VIII.

ANNO MUNDI 2752. ante Chriſtum 1248. *Quarta ſervitus ſub Madianitis per annos ſeptem, ad quam ſolvendam Gedeon excitatur.*

I. MAdianitæ ad eas anguſtias populum redegerant, ut in cavernas ſe recipere, atque in munitiſſimis, arduiſque locis continere coegerint (*a*). Poſt ſatos autem ab Hebræis agros, illi per totam regionem diſcurrentes, immaturas adhuc meſſes colligebant; pecora etiam, ſi quando occurriſſent, abigebant, mactabantque. Duriſſima illa ſervitus ſeptennio duravit. Tot oppreſſi malis Iſraelitæ, precibus ad Dominum clamarunt, qui tandem exorari paſſus, miſſis primum Prophetis, ingentia illorum crimina exprobravit; deinde ad Gedeonem filium Joas e Tribu Manaſſe, Ephræ commorantem, Angelum legavit. Porro Gedeon tunc temporis excutiendo tritico in torculari occupabatur. Angelus autem ſpectandum ſe præbuit ſub quærcu, apud quem erat torcular; convenienſque virum: Salve, inquit, Deo amice, & hominum fortiſſime. Cui Gedeon: Quorſum iſta, cum tot malis opprimamur? Quo prodigia, quibus majores noſtri a Deo ſervabantur, cum nos ſub Madianitarum jugo deſtituat? Tunc Angelus: I, ſat

(*a*) Judic. VI. VII.

ſat habes virtutis, ut Iſraelem liberare poſſis. Te ego mitto, hoc ſcias. Detrectanti autem provinciam Gedeoni Dominus, ſive Angelus vices Domini gerens, ſe illi affuturum, hoſteſque ope ſua proſtrandos fore, pollicitus eſt. His auditis, Gedeon pignus aliquod petiit, quo promiſſi hujus ſecuritatem cognoſceret; ſimulque rogavit, ut tandiu ſubſiſteret, quandiu convivium pararet. Annuente illo domum ingreſſus, ſtatim paravit in caniſtro integrum hædum elixatum, jus carnium in olla, & panem azymum, eaque omnia ad Angelum ſub quærcu detulit. Angelus vero: Affer, ait, carnem, & azyma, eaque lapidi huic impone, ipſumque lapidem jure carnis perfunde. Paruit illico Gedeon, & Angelus extenta virga, appoſitas dapes attingens, ſubito ignem e petra expreſſit; quo carnes, panem, & jus carnium vorante, Angelus inter flammas evanuit.

II. Hactenus cum Propheta aliquo colloqui ſe Gedeon putaverat. Cum primum autem Angelum agnoviſſet: Heu, exclamavit, Domine: Angelum præſentem vidi. Sed a Deo mox animo confirmatus, ſtatim Altare excitavit, cui nomen indixit: Pax Domini. Subeunte nocte Dominus dormienti apparens, imperavit, ut Lucum, & Aram Baal, quem ipſius pater Joas colebat, deſtrueret, ejuſque loco Aram Domino ſuper illo lapide, in quo antea ſacrificium obtulerat, excitaret, ipſique Aræ unum ex paternis bobus in holocauſtum adolendum imponeret. His a Gedeone, opera *Gedeon Aram Baalis deſtruxit.*

decem ſervorum ſuorum uſo, peractis, poſtera die Ephræ cives factum intelligentes, irrogatam Numini injuriam ulturi, Joas convenere, filium, ut interficeretur, poſtulantes. Quibus Joas: An veſtrum eſt Baal ulciſci? Si Deus eſt, ipſe ulciſcatur. Exinde Gedeoni nomen indictum *Jerobaal*, ſcilicet Baal videat, vel jus ſuum defendat.

Primo vellus, mox area rore perfunditur.

III. Inter hæc Madianitæ, trajecto Jordane in valle Jezraelis, ſatis vicina Thabori, caſtrametati fuerant, cum Gedeon ſubito divini Spiritus æſtro abreptus, Iſraelitas e familia Abiezer cognatos ſuos, & neceſſarios, tum omnem circa populum, ſub ſigna vocavit; miſſis etiam per totam regionem orientalem Chanaanitidis legatis, Tribus Manaſſe, Aſer, Zabulon, & Nephtali ad eam expeditionem, excutiendumque Madianitarum jugum invitavit. Aucto iis confluentibus exercitu, Gedeon Deum poſtulavit, ut prodigio ſe a Deo miſſum populis in libertatem aſſerendis oſtenſurus, efficeret, ut expanſum a ſe in area vellus rore, arente interim circum tellure, perfunderetur. Voti compos factus, iterum poſtulavit, ut terra circum rore madida, vellus viciſſim ſiccum ſervarerur. Hoc etiam exhibuit Deus vocationis ſignum.

Gedeon exercitum reformat.

IV. Secundum hæc, Iſraelitarum exercitus in Madianitas in Jezrael caſtrametatos prodiens, ad fontes Arad ſubſiſtit. Tunc Deus Gedeoni alloquutus, majorem eſſe exercitum, quam oporteret, ſignificavit, ſibi victoriam, non copiarum viribus, acceptam referri volens.

lens. Quare Gedeone omnibus animo deſpondentibus regreſſum permittente, 22000. ab exercitu receſſere. Cum 10000. tantummodo reliqua eſſent, nimius adhuc numerus viſus eſt. Artem & viam docuerat Deus Gedeonem, qua imbecilles ſegregaret a ſtrenuis: univerſos ad flumen deductos, quo ſitim extinguerent, ex ipſo hauſtu aquæ facile probavit, ut qui curſim limphas manu in os projicerent, & quaſi more canum lingua lamberent, retinerentur ad prælium; qui vero curvato genu, vel toto corpore procumberent, aquis commodius potandis ſe ſe componentes, rejicerentur. Ita ad 300. reducti ſunt (*a*).

Militibus tuba, & lampade a Gedeone inſtructis, victoria de Madianitis parta.

V. Poſt hæc Dux ipſe a Deo juſſus, in hoſtium caſtra cum Phara ſervo ſuo irrumpens, Madianitam quemdam ſomnium ſocio narrantem audivit; hordeaceum, ſcilicet, ſubcinericium panem vidiſſe, qui in Caſtra Madianitarum devolutus, obvium papilionem dejecit. Cui alter: *Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia caſtra ejus*. Fauſto omine ex hoſtibus accepto Gedeon lætus ad ſuos rediit, eorumque animis confirmatis, ſingulis ſingulas dedit tubas, lagenaſque vacuas, quibus lampades, ſive faces, aut tedæ condebantur; ſimulque præcepit, ut quæ ipſe faceret, omnes imitarentur. Teſſera autem ea die data: *Domino, & Gedeoni*. Diviſum poſtea in tres turmas exercitum, tribus diverſis partibus ad hoſtium caſtra tertia noctis vigilia deduxit; ſu-

(*a*) Judic. VII.

ſubitoque confracta ingenti ſonitu lagena, lampadem prodidit, ſimulque buccina inſonuit. Exemplum Ducis ceteri ſequuti ſunt exclamantes: *Gladius Domini, & Gedeonis*. Continuerunt ſe tamen quiſque in ordine ſuo, ne ad medium uſque caſtrorum procedentes, militum paucitatem hoſtibus proderent. Subito clamore territus hoſtis, turbatuſque reputabat, tres hoſce Iſraelitarum cuneos, nonniſi tibicines eſſe, qui ceteros milites excitarent, ac reliquo agmini facem præferrent; cumque eos jam in caſtra perrupiſſe perſuaſi eſſent, illico quoſcumque habebant obvios, indiſcriminatim cædebant, quidquid fugæ ſuæ opponebatur, ferientes. Mutua cæde confectis hoſtibus, reliquos, qui diſcrimini ſe proripiebant, Iſraelitæ ex Tribubus Manaſſe, Nephtali, & Aſer, ii ſcilicet, quantum conjicimus, quos Gedeon veſpere diei præcedentis remiſerat, inſecuti ſunt. Interea Gedeon miſſis per Tribum Ephraim legatis, monuit, ut vada cuſtodirent, ne hoſtium aliquis Jordanem tranſiret. Juſſa exequentes Ephraimitæ, duos Madianitarum Principes, Oreb & Zeb, captos interfecerunt. Cum autem ad Jordanem Dux perveniſſet, certior factus eſt, hoſtium manum, cautione ſua, diſpoſitis ad ripas amnis cuſtodiis, eluſa, flumen tranfretaſſe: quare trajecto cum ſuis Jordane, Madianitas ultra Sochot, & Phanuel inſecutus eſt; eoſque improviſo adortus, quippe qui in tuto receptos ſe crediderant, facile diſſipavit, duobus Regibus, Zebee, & Salmana in poteſtatem acceptis. Inde ante

So-

Solis occaſum ad Sochoth, & Phanuel iter convertit (*a*).

VI. Porro cum eæ urbes hoſtem inſequenti annonam antea denegaſſent, relata victoria, pœnas ex illis acerbiſſimas exegit. Optimates enim Sochot ſpinis dilaniavit, atque contrivit; incolas vero Phanuel, everſa prius eorum turri, trucidavit. Zebee deinde & Salmanam, quales fuiſſent viri, quos in Thabor monte occiderant, interrogavit. Quibus reſpondentibus, ipſi Gedeoni ſimiles fuiſſe, & inter ceteros quemdam veluti Regis filium, ille ait: Fratres mei, & filii matris meæ erant: vivit Deus; ſi ab illis abſtinuiſſetis, ego etiam a nece vobis inferenda temperaſſem. Tunc ad primogenitum ſuum Jethar verſus: irrue inquit, in eos, & jugula. Eo autem interficere formidante, quod puer eſſet, Gedeonem rogarunt miſeri Principes, ne puerili dexteræ lento vulnere necandi traderentur. Tu, inquiunt, nos interfice. Quod cum ſtatim præſtitiſſet, aureas bullas, ceteraque ornamenta, quibus regiorum camelorum phaleræ diſtinguebantur, detraxit. Secundum hæc, Ephraimitæ, capita Oreb, & Zeb ab ſe abſciſſa deferentes ad Gedeonem, cum eo conqueſti ſunt, quod ad bellum accitis Tribubus Zabulon, Aſer, & Nephtali, ipſos non admonuiſſet, niſi poſt fuſos hoſtes, & cum Jordanis vada occupanda eſſent. Sed brevi murmur quievit, commendata illorum virtute. Quod a vobis, inquit Dux, geſtum eſt, captis interfe-

Gedeon cives Socoth, & Phanuel punit, captoſque Zebee, & Salmanam occidit.

(*a*) Judic. VIII.

ſectiſque Oreb & Zeb, magnopere ſuperat mearum copiarum molimina, & quæ veſtræ virtutis argumenta nunc in manibus exhibetis, optimam vobis victoriæ partem reſervatam fuiſſe, oſtendunt.

Gedeon e manubiis hoſtium Ephod conficit, quod populo ſuperſtitioſi cultus eſt occaſio.

VII. In ejus victoriæ præmium ab Iſraelitis Gedeoni, ejuſque in perpetuum filiis, populi dominium oblatum fuit. Ille ejuſmodi honorem Domino reſervari juſſit; ſignificavit tamen, ſi quidem vellent amoris hujus ſui argumentum aliquod exhibere, darent ſibi e recepta ea præda inaures, quas hoſtes auribus appenſas geſtabant. Petenti libentiſſime populus acquieſcens, ſuper ſtratum in terra pallium eaſdem manubias conjecit, tantumque ex ea re auri comparatum eſt, ut 1700. aureorum ſiclorum pondus æquaret, præter aureas camelorum phaleras, torqueſque, ac ornamenta, & purpureas veſtes, quibus Reges Madianitarum utebantur. Ex collectis divitiis Gedeon Ephod conflavit in monumentum victoriæ, familiæque inſigne, quod in Patria illius Ephra ſtatutum, ipſi totique familiæ, necnon Iſraeli univerſo ſucceſſu temporis exitio fuit. Populus enim ratus integrum ſibi eſſe adorare, & conſulere Dominum, ubicumque ornamentum nanciſceretur illi perſimile, quod Moyſes in uſum ſummi Sacerdotis paraverat, neglecto Tabernaculo, & Arca, Ephod Gedeonis ſuperſtitioſum cultum exhibuit. Filios habuit Gedeon ex pluribus, quas duxerat, uxoribus, ſeptuaginta; quem numerum auxit Abimelech ex concubina, hoc eſt, uxore ſecundi

di ordinis, natus. Obiit circa annum Mundi 2768. poſt nonum Imperii ſui annum. Mortuo autem Gedeone, Iſraelitæ a Domino recedentes Baal-Berith Sichimitarum Idolum, quod fœderibus præerat, Deum ſibi elegerunt. Leviſſima etiam fuit populi erga memoriam, & familiam hujus Ducis ſollicitudo.

Abimelechus imperium invadit apud Sichimitas, quos e ſeptuaginta fratribus ſuperſtes Joathan artificioſa oratione monet. Sichimitæ deſciſcunt ab Abimelecho; quo tandem occiſo Reſpublica primum a Thola, deinde ab Jair adminiſtratur.

C A P. IX.

I. ABimelechus Hebræorum regimen poſt Patris obitum invaſit, Iſraelis Rex, ſive Judæ a Sichimitis primo, inter quos ipſius matris familia ſatis pollebat, tum a pleriſque Iſraelitarum ſalutatus (*a*). Septuaginta ſiclis a Sichimitis dono acceptis, vagorum manum collegit, a quibus quaſi Princeps ſtiparetur. Gedeonis patris ſui domum in Ephra deveniens, ſuper unum lapidem 70. fratres interfecit, præter unum Joatham ceteris juniorem, qui fuga elapſus, illius ſe crudelitati ſubtraxit (*b*).

Anno Mundi 2769. ante Chriſtum 1231. *Abimelechus a Sichimitis Princeps ſalutatur.*

II. Cum vero omnes Sichem & Mello incolæ ad quærcum Sichem conveniſſent, ut Abi-

Joathani ad Sichimitas adhortatio.

(*a*) Munſt. Vat. Grot. Jun. Druſ. Cajet.

(*b*) Judic. IX.

Abimelechum Regem confirmarent, Joathan de hoc admonitus, montis Garizim excelſa conſcendit, elataque voce, populo illic collecto hæc dixit: Congregatæ arbores, ut ſibi Regem ſtatuerent, dixerunt olivæ: Super nos imperium cape. At illa: Numquid, ait, poſſum deſerere oleum meum, meamque pinguedinem, quibus dii, & homines utuntur, ut arboribus imperans, me turbis & ſollicitudinibus pro illis committam? Tunc illæ ficum allocutæ: Veni, inquiunt, & ſuper nos impera. Quæ reſpondit: An relinquere potero dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, ut inter vos promovear? Vineam pariter interrogarunt. At illa: Qui, inquit, vinum meum, quod Deum, & homines lætificat, amittam, ut arborum imperium aſſumam? Regnum tandem rhamno detulere, quæ dixit: Si vere me vobis in Regem eligitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite; ſi vero abnuitis, exeat ignis de rhamno, & devoret cedros Libani. Ænigmata autem explicaturus Jonathan, hæc addidit Sichimitis. Serio perpendite, an jure Abimelechum fratrum ſuorum minimum, & filium ancillæ Gedeonis in Regem veſtrum elegeritis, & vobis a patre meo collata beneficia rependeritis, dum hominem 70. fratrum ſuorum interfectorem, Regem ſtatuiſtis, nefarii homicidii hac electione comprobatores facti, & complices. Si bene egiſtis, Abimelechus vobis, vos Abimelecho mutua felicitas eſtote; ſin vero contra jus feciſtis, egrediatur bellicus ignis ex Abimelecho, & devoret habita-

bita-

bitatores Sichem, & Mello; mutuuſque viciſſim ex Sichem, & Mello ignis exoriens Abimelechum abſumat. His dictis effugit in Bera.

III. Tres annos regnavit Abimelechus in Sichem, & illius viciniis. Tunc vero, Deo ita permittente, orta inter ipſum & Sichimitas diſſenſione, ii fratricidæ crudelitatem deteſtati, conjurantes in abſentem, inſidias poſuere in montibus, ut redeuntem interficerent. Quemdam, Gaal nomine, in ſui ſubſidium advocarant, a quo confirmati ex urbe egredi, & circumjacentem regionem vaſtare cœperunt; quin & lætiſſimis conviviis inſtructis, inter compotationes Abimelecho dira imprecabantur. His ad Zebul Præfectum urbis ab Abimelecho conſtitutum, delatis, Principem de omnibus docuit. Nec mora; Abimelechus collecto exercitu, nocte Sichem venit. Ut dies illuxit, populi e montibus deſcendentes viſi ſunt, ſtatimque cognitus eſt cum ſuis Abimelech. Gaal e Sichem cum ſuis militibus egreſſus, prælium adverſus Abimelechum iniit; ſed ab adverſariis fractus, in Sichem redibat; at inde a Zebul expulſus, abire coactus eſt. Nec alia de ipſo Scriptura.

Sichimitæ in Abimelechum conjurant.

IV. Poſtera vero die populus e Sichem contra Abimelechum armatus iterum prodiit; at ille, cui mens ipſorum nota erat, in tres turmas exercitum diviſit, per varia loca in inſidiis diſponens. Ut Sichimitæ apparuerunt, ipſe ex inſidiis egreſſus, adeo ſtrenue illos invaſit, ut continuo proſtratos in fugam compulerit.

Sichem capitur, & evertitur.

lerit. Tunc reliquæ exercitus Abimelechi turmæ, latebris relictis, fugientes per campos perſecutæ ſunt. Abimelech ad civitatem iter direxit, totaque die obſeſſam cepit, illamque depopulatus diruit, ac ſalem, ubi illa fuerat, diſperſit. Qui e Sichem elabi potuerunt, ad turrim ſatis munitam confugere. Hos Abimelechus omnes occidere decrevit. Cum ſuis igitur militibus ad montem Selmon profectus, magnam lignorum ſtruem collegit, regreſſuſque turrim illam ſuccendit. Quare omnes, qui intus erant, aut igne conſumpti, aut fumo ſuffocati, periere.

Abimelechus interficitur.

V. Hinc Abimelechus ad oppidum Thebes, quod ab ipſo defecerat, profectus eſt. Oppidani omnes in turrim fortiſſimam, in medio civitatis ſitam confugerant, ibique ſe munierant. Abimelech ad turrim accedens, portam ſuccendere tentabat; cum mulier quædam jacto deſuper molæ fragmine, illi caput imminuit, cerebrumque diſperſit. Tunc Abimelechus accito ad ſe armigero: Evagina, inquit, gladium, & me interfice, ne a femina occiſus dicar. Abimelecho mortuo, qui eum ſecuti fuerant, in ſuas ſe domos receperunt.

ANNO MUNDI 2771. ante Chriſtum 1229.

Thola Judicat populum.

VI. Thola poſt Abimelechum rerum potitus, ſpatio 23. annorum ad obitum uſque populo præfuit (*a*). Patrem habuit Phuam, Gedeonis germanum: ſed Thola ad Tribum Iſſachar, Gedeon vero ad Tribum Manaſſe ſpectabat, quod forte eadem femina viro Tribus Manaſſe primo nupta Gedeonem ediderit, dein

(*a*) Judic. x.

in alteri e Tribu Iſſachar, quo parente natus ſit Phua.

VII. Tholæ ſucceſſit Jair ex familia Manaſſe, qui totam regionem Argob ultra Jordanem, uſque ad limites Geſſur, & Machati poſſidebat. Triginta filios genuit, totidem urbium nomine *Havoth-Jair*, præfectos. Horum potentiam ex alio ſatis valido pro ea ætate argumento commendat ſacer Textus, referens ſcilicet, ſingulis ſuum fuiſſe aſinum, quo veherentur. Poſtquam 22. annos regnaſſet Jair, in urbe Camon ultra Jordanem diem clauſit.

Anno Mundi 2794. ante Chriſtum 1206. *Jair Rempublicam adminiſtrat.*

Quinta ſervitus, cui excutiendæ excitatur Jephte. Inſigne hujus Judicis votum. Bellum inter Galaaditas, & Ephraimitas. Abeſan, Abialon, & Abdon Judices. Idumæorum nomen Chriſtianis affictum.

CAP. X.

I. Iſraelitæ novis ſceleribus vetera cumulantes, cultuſque idololatricos Phænicum, Ammonitarum, Moabitarum, Philiſtæorumque ſibi adſciſcentes, ab Ammonitis hinc, inde a Philiſtæis Deo vindice, affligi cœperunt, non quidem ut regio in hoſtium poteſtate veniret, ſed ita tamen, ut per duodeviginti annorum ſpatium, tota illorum excurſionibus terra pateret, diriperetur que. Horum annorum exordium anno Mundi 2799. illigamus, quamquam ea res incerta ſit. Ammonitæ igitur, Jordanis vada tranſgreſſi, ditiones Juda, Ben-

Anno Mundi 2799. ante Chriſtum 1201. *Quinta ſervitus ſub Ammonitis, & Philiſthæis per 18. annos.*

jamin, & Ephraim excurrerunt; quæ tamen levia ſunt, ſi cum irrogatis ab ea gente malis in Judæos transjordaniticos conferantur (*a*). Caſtra locaverant prope urbem Galaad, quam juris eſſe ſui contendebant. Iſraelitæ pœnitentia ducti, Gentium Idola jam abjecerant, parantesque in hoſtes bellum in Maſpha Galaad, ad fontes torrentis Jaboc, tentoria fixerunt, ubi, oblata ſuprema imperii dignitate illi, qui primum Ammonitas aggrederetur, fruſtra ambitionem virorum totius Galaaditidis Principum tentarunt.

Jephte in Judicem eligitur.

II. Ea tempeſtate Jephte oriundus ex urbe Maſpha, patre cognomento Galaad, matre vero meretrice, vel concubina, aut cauponaria, ſive alienigena, juxta varias variorum opiniones, in regionem Job ſe receperat, quod fratres ipſius ex legitimo conjugio procreati, illum e domo patris extorrem egiſſent, juris hereditarii incapacem eſſe obtendentes (*b*). Porro Jephte collectitia ac prædonum manu coacta, plurimum valebat: quare ad illum Iſraelitæ, viribus, & virtute deſtituti, ex Maſpha, ubi caſtra habebant, miſerunt, qui propoſito Principatus præmio, ad ſuſcipiendum contra Ammonitas bellum invitarent. Ille primum eorum in ſe inclementiam exprobravit, quod injuſtis fratrum ſuorum conatibus, a quibus e domo patris ſui expulſus fuerat, non reſtitiſſent; deinde etiam atque etiam rogantibus annuit, ea conditione, ut poſt confectum bel-

(*a*) Judic. x. 6. (*b*) Judic. xi.

bellum in ſuum Ducem reciperent, quod ab illis ſacramento promiſſum eſt.

III. Jephte per legatos Ammonitas rogavit, cur regionem Iſraelitarum vaſtarent? Cui eorum Rex reſpondit, ſe ea repetere, quæ Iſraelitæ ex Ægypto reduces ſibi abſtulerant. Jephte iterum per novos nuncios admonuit, Iſraelitas nihil ex iis, quæ Ammonitarum eſſent, occupaſſe, ſed regionem illam tantummodo, quæ etſi Ammonitis, ſive eorum fratribus Moabitis, antea paruerat, Iſraele tamen ex Ægypto in Chanaanitidem proficiſcente, juris Amorrhæorum facta erat; eamque jure belli ſibi vindicaſſe, tradente Domino accepiſſe, jamque inde a tercentis annis poſſediſſe. Porro ab anno 2552. quo Moyſes Sehonem Amorrhæorum Regem debellavit, uſque ad Principatum Jephte nequaquam 300. annos excurriſſe, reperimus. Verum Jephte numerum rotundum maluit adhibere. Indixit dein Jephte Ammonitis Dei judicium, ſi ipſorum culpa ad bellum deveniretur.

ANNO MUNDI 2817. ante Chriſtum 1183.

Jephte Iſraelitarum jus contra Ammonitas tuetur.

IV. Cum vero Ammonitarum Rex his rationibus non acquieſceret, Jephte jam Spiritu Dei plenus, totam regionem Iſraelitarum tranſjordanicam percurrens, exercitum coegit, quem contra hoſtes duxit. Ea occaſione hujuſmodi voto ſe Domino obſtrinxit: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino* (*a*). Commiſ-

Jephte Ammonitas vincit, votumque a ſe factum ſolvit.

(*a*) Judic. XI. 31.

miſſo prælio, victoria penes Jephte fuit. Victor domum regrediebatur, cum ſubito venienti unica filia lætabunda, atque inter muſica inſtrumenta exultans occurrit. Eo pater aſpectu inopinato, graviſſimoque dolore correptus, veſtes diſcidit, deceptumque ſe, deceptamque filiam exclamans, votum ſuum filiæ expoſuit. Illa voti complementum nihil ſe morari reſpondit; tantum petiit, ut in montibus cum puellis ſociis libera vagari duobus menſibus permitteretur, ut una cum illis virginitatem ſuam (nulla enim in Iſraele poſteritate relicta, ſe morituram intellexit) ploraret. Eo temporis ſpatio evoluto, voto patris implendo, in holocauſtum immolandam ſe obtulit; quo autem ritu, quo loco, quo Sacerdote, ignoramus. Inde puellarum ex Iſraele mos, ut quotannis per dies quatuor defleant acerbum hujus virginis fatum.

Fueritne revera Jephte filia immolata.

V. Qui communem perſuaſionem de immolatione filiæ a patre voto promiſſa evertere conantur, voto obligaſſe Jephte, ajunt, quodcunque revertenti ſibi occurriſſet, ſive hominem, ſive brutum, ſed non æquo utrumque ritu; hominem enim conſecraturum ſe ſpopondit Domino, illum Tabernaculi ſervitio addicendo; brutum vero, in holocauſtum offerendo. Puella igitur quamdiu vitam prorogavit, in conclavi prope Tabernaculum, vel in domo Patris ſui clauſa, pietatis operibus, nullo viro tradita, vacavit (*a*). Sed hiſce reponi-

(*a*) Kinchi, Rabb. a- Druſ. Grot. Lyr. Marian. lii, Munſt. Vatab. Clar.

ponimus, Hebraico textui poſſe quidem allatum ſenſum ſubeſſe, ſed non eſſe recedendum a verſione Vulgatæ, Septuaginta, Syriaci, Arabici, quæ de homine tantum, & non de bruto loquuntur: *Quicumque primus*. Porro ea ſe res ultro prodit. An forte ſperare poterat Jephte, occurſurum ſibi obviam bovem aliquem, aut ovem, vel capram? Nonne res eſt manifeſta, homines tantummodo, & quidem amicos, & neceſſarios, de victoria ab amico, vel propinquo relata gratulatum venire? Cum Jephte votum ſuum nuncupavit, extraordinarium aliquid, & ſingulare Deo offerre cogitabat, cujus merito impetraturum ſe a Deo victoriam ſperabat. Quid autem extraordinarii, & ſingularis voviſſet, ſi primum ex pecudibus, ſibi forte a victoria reduci obvium, in holocauſtum deſtinaſſet?

Viri fides, & religio laudatur.

VI. Quicumque priorem literæ interpretationem ſequuntur, ii ſane rudem ignorantiam, vel etiam impium, & infandum ſcelus in Judice Iſraelis admittant neceſſe eſt; quod tamen fieri nequit, cum Jephte a S. Paulo in Juſtorum numero recenſeatur (*a*). Fatemur quidem, votum ſtultitiæ damnandum eſſe, voti vero executionem impietatis; ſed fidem & religionem, quibus Jephte in votum adductus fuit, Spiritus Sancti motioni adſcribendam eſſe; ob idque in numero Juſtorum ab Apoſtolo recenſeri meruiſſe (*b*).

Sterilitas olim magis inviſa, quam mors.

VII. At patrem rogavit puella, ut ſibi facultatem daret, non *mortem*, ſed *virginitatem* plo-

(*a*) Hebr. XI. 32. (*b*) S. Thom.

plorandi ſpatio duorum menſium, quod norat, poſt illum terminum non ad necem, ſed ad vitam cælibem, ſervitiis Templi deſtinari. Id non obſcure inſinuat Scriptura: *Fecit ei* (pater) *ſicut voverat*, *quæ ignorabat virum*; ideſt, clauſam ac cælibem vitam vivere adegit. His reponimus, puellam defleviſſe duram neceſſitatem, qua cogebatur mortem ſubire, antequam filios procrearet. Ea enim erat ejus temporis conditio, ut ſterilitas probro haberetur, & maledicto, magiſque inviſa, quam interitus ipſe. Ceterum nonne Jephte pollicitus fuerat holocauſtum? Ergo holocauſtum obtulit. Hoc innuunt illa verba: *Fecit ei*, *ſicut voverat*. Quod autem additur, *Quæ ignorabat virum*, illud tantum præſefert, puellam ſcilicet obiiſſe, antequam conjugio copularetur. Huic ſententiæ ſuffragantur Joſephus, Paraphraſtes Chaldæus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theodoretus &c. Fabula Idomenei ex hac hiſtoria conficta creditur. Hic e Trojano bello redux, in præſentiſſimo furentis procellæ diſcrimine conſtitutus, votum Neptuno nuncupavit, ſe illi ſacrificio oblaturum, quidquid ingredienti domum ſuam primum occurreret. Cum filius ſe ſe illi primum obtuliſſet, votum exſolvit. Caſus equidem Trojæ per Græcos, cui Iphigenia præluſit, hoc tempore ſignatur. De voto ſatis.

Bellum inter Ephraimitas, & Galaadites. Magna cædes ob male pronunciatum Schibboleth.

VIII. Interea Ephraimitæ honorem relatæ victoriæ Jephte invidentes, trajecto tumultuoſe Jordane, virum convenere, querentes ſe in cogendis ad bellum copiis neglectos eſſe, minitan-

tanteſque domus illius everſionem.. Factum Jephte excuſavit, teſtatus ſe illos acciviſſe; ſed cum vocati non adfuiſſent, prælii diſcrimini ſe commiſiſſe. Cum Ephraimitæ his nequaquam acquieſcerent, exprobrarentque per contemptum Galaaditis: Vos meri putique Galaadites eſtis, gens nempe nihili, & a genere Iſraelis & Joſephi aliena, nec Tribui Ephraim, nec Tribui Manaſſe, ut fratres habiti: Jephte coacto ex Galaaditis exercitu, illos prælio fregit, fugavitque; deinde obſeſſo a victoribus Jordanis vado, quotquot flumen tranſgreſſuri accedebant, an ex Ephraimitis eſſent, interrogabantur. Negantes pronunciare cogebantur hanc vocem *Schibboleth*, nempe ſpicam. At illi impedimento linguæ aſpirationem pronunciare non valentes, proferebant: *Sibboleth*, quo indicio proditi continuo occidebantur. Ea die ex Ephraimitis 42000. deſiderati ſunt. Poſt ſexennium, quo Jephte judicavit, mortuus eſt, & in urbe Malpha Galaaditidis ſepulturæ mandatus.

IX. Jephte ſucceſſit in principatu Abeſan Bethleemites, qui annis ſeptem populum judicavit. Filios habuit triginta, filias totidem. Filios omnes, & filias conjugio copulavit, ſocer triginta nuruum, totidemque generum factus. Succeſſorem habuit Ahialon Zabulonitem per annos decem, quem excepit Abdon Pharathonites in terra Ephraim, cujus quadraginta filii, & triginta ex eis nepotes, totidem aſinis vehebantur. Tam magnus filiorum numerus polygamiam regnaſſe oſtendit.

ANNO MUNDI 2823. ante Chriſtum 1177.

Abeſan, Ahialon, & Abdon judicem agunt.

Octo annis apud Abdon rerum ſumma fuit. Nil præterea de tribus hiſce Judicibus Scriptura.

Unde Chriſtianis Idumæorum nomen a Judæis datum.

X. Per omnes tamen ferme Orientales, qui de Libris ſacris norunt aliquid, pervagatur traditio, ætate Abdon coloniam quamdam Idumæorum migraſſe in Italiam, ex qua Latinus Rex, Romulus Urbis Conditor, & Imperatores Romani originem ſuam duxerint. Non immerito ſuſpicaremur, fabellam hanc a Judæis primo procuſam fuiſſe, ut illis jus quoddam conciliaretur, tribuendi Romanis, & Chriſtianis Idumæorum nomen, eoſque onerandi omnibus illis maledictis, quæ ſacri Libri apprecantur in Edom, & Idumæos. Cabaliſtæ aliam ineuntes viam, qua eodem perveniant, defendunt, animam Eſau, ex quo Idumæi, migraſſe in corpus Jeſu Chriſti per metempſycoſim; unde factum, ut Hebraice ſcripta nomina Jeſua, & Eſau eaſdem præferant literas, ſed ordine variato. Abamanel ad morum ſimilitudinem confugit. Eſau, inquit, furebat in Jacob, moliebaturque illum privare jure majoris natu, bonis, ac vita; paria agitant Chriſtiani in Judæos (*a*).

(*a*) Vide Baſnag. Hiſt. Judæor. t. 1. l. 2. c. 5.

Sexta ſervitus. Heli judicat, judicat & Samſon, cujus ortus, res geſtæ, & interitus deſcribuntur.

CAP. XI.

I. NOn ſatis convenit de exordio ſextæ ſervitutis, quæ annos 40. complectitur. Nos obvium Scripturæ ſenſum ſequentes cum anno Mundi 2848. illud componimus (*a*). Hæc ſervitus, ſi Marshamum audias, una eſt eademque cum quinta, duplo tamen productior. Cum Iſraelitæ trans Jordanem ſub Ammonitis gemerent, Philiſtæi cis amnem Hebræos vexabant. Eodem temporis intervallo per varia Chanaanitidis loca Jairus, Jephte, Abeſan, Ahialon, Abdon &c. judicabant filios Iſraelis, ſua ſinguli in regione, ubi fuerant electi. Hæc Marshamus (*b*). Porro hæc Philiſthæorum vexatio nec omnes Iſraelitas cis Jordanem oppreſſit, nec vera fuit ſervitus, ſed gravis potius moleſtia. Hoc premente ſervitutis jugo, Heli judicavit, Samſon oppreſſos levare cœpit, Samuel grande opus abſolvit. Heli igitur ſummus Sacerdos, ex Ithamaris progenie, eodem exordientis ſervitutis anno Principatu in Iſraelem auctus creditur, quem juxta Hebræum, & Vulgatam per 40. annos adminiſtravit (*c*). Neſcimus autem, quomodo ad eam poteſtatem Heli evectus fuerit.

ANNO MUNDI 2848. ante Chriſtum 1152.

Sexta ſervitus ſub Philiſthæis per 40. annos producta. Heli Judex ſimul & Sacerdos.

II.

(*a*) Judic. XIII.
(*b*) Canon. Cron. Ægypt. p. 293. edit. Londin.
(*c*) 1. Reg. 4. 18.

Angelus ortum Samſonis parentibus prædicit.

II. Porro Heli judiciariam poteſtatem ineunte, Angelus Domini ſub hominis forma apparuit uxori Manue Danitæ, quæ ſterilitatis morbo laborabat, eique filii ſpem fecit, mandans ne quid unquam vini, aut meracei liquoris, nihilque impuri deguſtaret, eademque diſciplina infantem mox a partu educaret; quem proinde actutum Deo dedicans, perpetua Nazareatus religione obſtringeret. Is enim, adjecit Angelus, Iſraelem e manibus Philiſtæorum vindicabit. Manue his ab uxore auditis, Dominum exoravit, ut vir idem, qui antea uxori, ſibi oſtenderetur, clarius edocturus, quæ de puero Deus ſibi imperaret. Votis Manue annuit Dominus; quare Angelus iterum uxori ſpectandum ſe præbuit. Ab illa continuo accitus Manue, interrogavit, num ipſe eſſet, qui antea feminæ filium promiſiſſet? Affirmanti ſubdidit: Ecquam infanti educationis rationem præſcribis? Cui Angelus: Jubeo, inquit, abſtinentiam, & religionem, quam uxori tuæ antea ſignificavi. Orante autem Manue, ut tantiſper ſuſtineret, donec hœdum in cibum pararet, renuit Angelus, monuitque, ut illum potius in holocauſtum Domino mactaret. Quæſo te ſaltem, excepit Manue, ut vel nomen tuum indices, ne, ſi promiſſiones impleantur, condigno a nobis honore frauderis. Ad hæc Angelus: Quid, ait, nomen meum quæris, quod eſt פלאי, *Peli* hoc eſt, Admirabile, Myſteriis plenum, Sublime, Arcanum?

Sacrificium Manue, & ortus Samſonis.

III. Secundum hæc, Manue allato hœdo cum liba-

libationibus, Domino litavit, rei interea eventum una cum uxore opperiens. Joſephus, & vulgo Commentatores referunt, angelicæ virgæ contactu ignem ſubito proſiliiſſe, quo holocauſtum abſumeretur; nihil tamen ea de re aperte Scriptura. Cum fumus ſuſtolli cœpiſſet, Angelus inter flammas elatus, in cælum aſcendere viſus eſt; quo indicio Manue Angelum eſſe agnoſcens, ſignificavit uxori, metuere ſe ne ſibi, viſo Angelo, lethum immineret. Deſpondentem animo uxor confirmavit, oſtendens, ſi gravius aliquid in illos conſtitutum foret, nunquam Deum filii ſpem feciſſe, aut holocauſtum acceptaſſe. Altero anno Samſon in lucem editus, valido corporis robore, conſilioque procurandæ fratribus ſuis ſalutis, libertatiſque, illius, qui virum afflabat, Spiritus ſpecimen brevi exhibuit. Porro in agro Dan inter Saraam & Eſthaol ſedem habebat.

Samſon leonem dilacerat, cujus in ore mel deinde reperit.

IV. Accidit, ut Thamnatam urbem Philiſthinorum veniens, puellæ forte occurrentis amore caperetur; quam ſibi uxorem a parentibus ſuis poſtulans, nunquam ab illis dimoveri potuit, ut aliam e filiabus Iſraelis duceret (*a*). Hæc tamen inſciis parentibus a Deo agebantur, ut opportuna præberetur occaſio belli atque diſſidii inter Hebræos, & Philiſtæos. Coacti igitur parentes Thamnatam venerunt, poſtulatiſque cum femina pro filio nuptiis, connubium firmatum eſt. In eo autem itinere Samſon paululum e via deflectens, leun-

(*a*) Judic. XIV.

leunculum in ſe irruentem obviam habuit, inſolitoque robore, ac animi virtute ſe auctum ſentiens, abreptum illum, non ſecus ac tenellum hœdum diſcerpſit. Deinde in viam ſe reducens, factum ſiluit. Poſt aliquod tempus Thamnatam ad nuptias celebrandas repetens, eundem occiſi leonis locum inviſit, atque areſcens cadaver nactus, examen apum gutturi ejus inſediſſe deprehendit. Favum igitur colligens, partim ipſe comedit, partem guſtandam parentibus tradidit; nihil tamen de toto rei eventu aperiens.

Anno Mundi 2867. ante Chriſtum 1133. *Nuptiarum occaſione Samſon ænigmate tentat paranymphos, & Judicem agit.*

V. Ut Thamnatam venit cum parentibus, nuptiarum cæremonia, & convivia ſolemnia celebrata ſunt, triginta juvenum comitatu ab incolis honoris gratia Samſoni adjecto. Hos porro juvenes Samſon ænigmate ſe tentaturum ſignificavit; cui ſi toto nuptialis hebdomadæ ſpatio enodando pares fuiſſent, triginta tunicarum, totidemque palliorum præmium ſe perſoluturum ſpondebat; parili mulctandi pœna, ſi victi ceſſiſſent. Porro ænigma Samſonis iſtud: *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*. In ſenſu verborum explorando fruſtra juvenes ſe torſerunt: tandem ad fraudem confugientes, apud uxorem Samſonis precibus primum, deinde minis inſtiterunt, ut ſecretum a viro exprimeret. Nolebat autem Samſon uxori revelare quod parentibus non revelaverat; at ſeptima convivii die vehementius ab ea poſtulatus, rem aperuit. Illa ſtatim omnia ad juvenes retulit; qui Samſonem convenientes: Quid, inquiunt, melle dul-

dulcius, quid validius leone? Tunc Samſon excandeſcens: *Si non araſſetis in vitula mea, non inveniſſetis propoſitionem meam*. Simul vero Samſon, nova Spiritus Sancti vi incitatus, Aſcalonem urbem Philiſthinorum contendens, triginta viris occiſis, illorum veſtes victoribus ſolvit, dimiſſaque uxore, ad patrem regreſſus eſt. Munus liberatoris hoc facinore obire cœpit, ætate annorum duodeviginti, quod per annos 20. egregie functus eſt (*a*).

Samſon adhibitis vulpibus ignem in hoſtium meſſes injicit.

VI. Poſt aliquod temporis femina illa uni ex illis juvenibus nupſerat, cum forte Samſon, ira ſedata, ad uxorem ſuam inviſendam veniens, hœdum attulit. Volentem ſecretum conclave ingredi ſocer prohibuit, ſe filiam ſuam alteri locaſſe, ratum priora connubia illum reſpuiſſe, reſpondens. Verum, addidit, eſt mihi altera filia, juventutis, & elegantiæ flore præſtans: hanc tibi uxorem ultro promitto. Samſon his auditis: Nihil eſt, inquit, in poſterum cur de me querantur Philiſtæi, ſi ultionem de illis repetam acerbiſſimam. Nec mora: in agrum contendens, 300. vulpibus coactis, binas & binas cauda junctas, faces trahentes accenſas, in meſſem Philiſthinorum immiſit. Illico flamma meſſes flaveſcentes depaſcens, inque trituræ jam præparatas, atque in areis diſpoſitas ſerpens, miſere omnes abſumpſit. Incendio inde ad vineas, & oliveta extenſo, omnia devaſtata ſunt: Ebullire terram Promiſſionis vulpibus plures teſtantur. Potuit etiam Samſon plurium

(*a*) Judic. xv. 20.

rium induſtriam, nec unicum ſane diem iis capiendis impendere. Quare non eſt cur ingentem hanc vulpium copiam quis miretur. Tot malorum cauſa Philihæi audita mulierem, ejuſque patrem concremarunt, quibus tamen Samſon: Ultione, inquit, hac veſtra nondum contentus ſum, nec deſiſtam, quin pro meritis iterum puniam. Nec ſane vana minitatus eſt; ita enim Philiſtæos in variis Regionis eorum locis percuſſit, ut veluti ſtupidi nec fugere, nec reſiſtere poſſent.

Cedes aſini mandibula edita.

VII. Sibi deinde in ſpecu Etham ſedem conſtituit. Philiſtæi viri latebris exploratis, frequenti manu in ditionem Juda ingreſſi, regionem vaſtabant. Quibus avertendis malis incolæ a Philiſtæis rogati, ut Samſonem traderent, 3000. viri agmine ad ſpecum venientes, ei ſignificarunt, ut vinculis alligatus hoſtibus ſe tradi permitteret. Non renuentem illum, vitam tamen jurejurando paciſcentes, recentibus, craſſiſque funibus alligatum ad Philiſtæos adduxerunt. Vix in conſpectu ventum erat, cum Samſon ſubito a Deo robore impulſus, diſruptis vinculis, abreptaque forte illic occurrente aſini mandibula in hoſtes irruens, tanta illos cæde proſtravit, ut 1000. deſiderarentur. Hujus victoriæ epicinium dein occinuit: *In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum delevi eos, & percuſſi 1000. viros.* Abjecta autem poſt victoriam maxilla, loco nomen *Ramat-Lechi*, ideſt, *Elevatio maxillæ* remanſit.

Aqua e dente molari educta.

VIII. Accidit ſub hæc, ut ingenti ſiti vir ſtre-

ſtrenuus æſtuans, cum ejus moleſtiam ferre ulterius non poſſet, opem a Deo quæreret; qui ſtatim roganti facilis *aperuit molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ.* Aſpera ac prærupta ſaxa aliquando apud Hebræos dentes appellantur (*a*); quare Deus e ſaxo, cui nomen *dens molaris*, forte in loco victoriæ mandibulæ ope à Samſone relatæ occurrente, venam aquæ eduxiſſe crederetur. Cum vero eodem loco, & ſaxum dens molaris dictum, & nomen mandibulæ conjungerentur, inde plures autumarunt, fontem aquæ non e ſaxo, ſed e dente mandibulæ aſini eductum. Veroſimilius nos, & minori prodigio hunc fontem e ſaxo deducimus; nec nos tantum, ſed & Joſephus, & Paraphraſtes Jonatham, & interpretes plurimi. Ferunt autem Lechi diſtare ab Aſcalone ſeptem circiter leucis ad Orientem. Fons ille diutius, & forte adhuc in Palæſtina ſubſiſtit (*b*).

Samſon portas Gazæ evellit, fertque.

IX. Poſt hæc, Samſon Gazam urbem Philiſtæorum contendens, cum apud feminam proſtitutam vel cauponam divertiſſet, continuo confluentibus ad domum turbis, aliis interim urbis fores cuſtodientibus, obſeſſus eſt (*c*). Orientem auroram Philiſtæi opperiebantur, ut diſceſſum tentantem virum caperent, occiderentque; ſed ille tertia noctis vigilia ſurgens, foribus urbis, ejuſque ſeris & ſtipitibus in humeros ſublatis, montana Hebronis verſus ſe contulit.

X. Suc-

(*a*) 1. Reg XIV. 4. XV. 19.
(*b*) Calm. in Judic. (*c*) Judic. XVI.

Samſon a Dalila proditus, capitur.

X. Succeſſu temporis Samſon in Dalilam feminam vallis Sorec inclinans, ſive illam in uxorem duxerit, uti nonnulli credidere, ſive turpem cum ea conſuetudinem foverit, uti plerique maluerunt, frequentius eo ventitabat. Porro femina ingentis pecuniæ ſpe a Philiſtæorum Principibus corrupta (ſinguli enim 1100. argenteos promiſerant) quæſivit a viro, quanam potiſſimum in parte ſui corporis ſitam haberet vim illam, qua ſupra hominem pollebat; & quid facto opus eſſet, ut ea privaretur? Reſpondit, ſi ſeptem humentibus nervicibus funibus alligaretur, ſe ut ceteros imbecilliorem futurum. His vinculis alligato, mulier ſtatim clamare: Samſon in te ruunt Philiſtæi. Aderant revera hoſtes in occulta domus parte; qui tamen revelare ſe ſe non prius volebant, quam rei periculum fieret. Nihil autem Samſon ſuſpicabatur, ratus omnia agi per ludum, quin cubabat humi ſecurus. Ad Dalilæ autem vocem ille continuo experrectus, vincula non ſecus ac tenue filum diſrupit. Tunc Dalila enixius eadem de re Samſonem interrogavit; & Samſon iterum reſpondit, opus eſſe ut recentibus funibus alligetur. Verum his alligatus exclamante muliere ut prius, funes nullo negotio fregit. Tertio Dalilæ eadem contentius requirenti, ait Samſon: ſeptem comæ ſuæ crines, ſive plexus, licio alligandi, terræque clavo affiigendi. Dalila re, uti antea, fruſtra tentata, cum Sampſon illius clamore excitatus crines, licium, ipſumque clavum facillime extraxiſſet, irriſam ſe tertio

con-

conqueſta, ingeminatis precibus, ut voti ſui compos fieret, etiam atque etiam rogavit. Flexus tandem Samſon veram ſuæ virtutis ſedem eſſe comam intonſam, Deoque Nazareorum voto ab utero matris conſecratam, prodidit. His auditis mulier Principes Philiſtæorum, ut ſemel adhuc ad ſe venire non gravarentur, admonuit. Venientibus illis, ac pecuniam ex condicto afferentibus, Dalila viri in ſinu ſuo dormientis comam abraſit, ſtatimque illum a ſe removens, adeſſe hoſtes inclamavit. Samſon continuo experrectus, ut defenſionem parabat, viribus ſubito ſe deſtitutum ſenſit. Quare a Philiſtæis captus, catenis oneratus, ac luminibus orbatus, Gazam deductus eſt, carcerique traditus, ac molæ vertendæ, tamquam vile mancipium damnatus.

Unde Samſonis virtus?

XI. Coma Samſonis utrum cauſa eſſet phyſica, & naturalis roboris illius, an tantum moralis, & veluti pignus peculiaris providentiæ Numinis huic viro tandiu invigilantis, quandiu in ſe proferret inſigne conſecrationis, & Nazareatus? Vulgo Patres & Interpretes putant, cauſam hanc fuiſſe moralem; nec injuria plane: quamquam enim denſa, ingens, & florens coma corporis robur indicat, atque etiam auget, nemo tamen admirandam Samſonis virtutem ab ipſius coma unice repetet. Fabula crinis fatalis Niſi Megaræ Regis, ex quo ipſius vita, & imperium unice pendebat, quodve Scilla ipſius filia præcidit, ex hac hiſtoria Samſonis expreſſa videtur (*a*).

(*a*) Ovid. Metamorph. l. 8. Pauſan. in Atticis.

Samſon ſua morte tria Phiſiſtæorum millia interimit.

XII. Gazenſis carceris aliquo tempore evoluto, ſuccreſcente interim Samſonis coma, paulatim priſtinus vigor redibat; cum forte Philiſtæorum Principes, religioſo in Templo Dagonis cœtu indicto ob gratias agendas pro conceſſa ab hoſtibus liberatione, ſolemnitatem inibant. Inſtructis igitur Feſti conviviis, inter pocula, & dapes ob augendam etiam lætitiam. Samſonem coram ludentem, ſeu calonum, lixarumque turba jocis ſanniſque viro indignis petitum, ſpectare placuit. Deductus igitur vir cæcis quibuſdam ſaltationibus pro ſpectantium voluntate diutius luſit; dein ſpecie quidem quaſi de ludo feſſus, ductorem ſuum rogavit, ut ad duas columnas, quibus tota Templi machina fulciebatur, nonnihil quieſcere permitteret. Has vero columnas ſtringens Samſon, implorata ſimul Dei ope, ut ad injuriam in oculis ab hoſtibus receptam reparandam ſibi vires non impares ſuppeditaret, ſingulis manibus ſingulas concutiens: *Moriatur*, inquit, *anima mea ſimul cum Philiſtiim*. Columnis labantibus Templum corruit, omneſque ſimul Philiſtæos, qui Templi ſuperiora, & inferiora implebant, oppreſſit. Quare, qui Philiſtæos vivens afflixerat, moriens graviore clade affecit, deletis tot gentis Principibus. Obiit anno ætatis 38. poſtquam Judicem, ſeu verius Liberatorem, per viginti annos egiſſet. Heli ſane per id temporis Iſraelem judicabat. Hic forte Religionis res potiſſimum curabat, alter bellicas, aut plures erant variis in locis Judices. Fratres Samſonis funus illius curarunt,

runt, ſepelieruntque cadaver inter Saraa, & Eſthaol in ſepulcro patris ſui Manue.

XIII. Nonnulli ex Patribus mortem Samſonis peculiari ſancti Spiritus ductui adſcribendam cenſent, eoque nomine virum excuſant. Alii tamen ideo abſolvendum cenſent, quod Judicem, & Aſſertorem Iſraelis cum ageret, nihil ſibi cavens, hoſtium tantummodo necem, & populi ſui ultionem ſpectare potuiſſet. Quæcumque tamen ſit Herois excuſandi ratio, in cenſu profecto Sanctorum, præunte Paulo, adſcribendus eſt (*a*). Cum vero Samſonis vita tot prodigiis referta ſit, nihil eſt quod miremur, ſi prophani e geſtis ejus glorioſa quædam in Heroum ſuorum decus tranſtulerint. Et quidem geſtorum Herculis pars nonniſi in Samſone veritatem hiſtoricam habet, ut merito affirmari poſſit, Herculem Samſonem eſſe perſonatum. Herculis nomen pro Sole interpretatur Macrobius (*b*); eadem pariter eſt interpretatio nominis Samſonis. Duæ columnæ Herculis, & totidem Samſonis, utrique malorum finis. Hercules numquam uſus eſt enſe; nec de Samſonis armis quidquam umquam legimus. Uterque eliſo leone claruerunt. At glorioſius ſit Sampſoni, Chriſti imaginem exhibuiſſe. Samſon alienigenam uxorem ducit, quemadmodum Chriſtus amorem ſuum alienigenæ largitur, Eccleſiæ ſcilicet ex Gentibus conſtitutæ; qui non ſecus ac alter, ſuis probris, cruce, ac morte, de ſuis hoſtibus triumphat. Mortem Samſonis brevi, an-

Anno Mundi 2888. ante Chriſtum 1112.

Samſon interit, qui Herculem quidem, ſed magis Chriſtum exhibet.

F 2 no

(*a*) Hebr. XI. 32. (*b*) Satur. l. 1. c. 20.

no ſcilicet ſequenti, excepit Heli interitus; poſt quem Samuel populum judicavit. Porro Samuelis & Heli hiſtoria, quam mox dabimus, ſuperiorum Judicum, & ſubſequentium Regum Iſraelis ſimul connectit.

Anna precibus obtinet Samuelem, quem Domino conſecrat. Scelera Ophni, & Phinees, quorum patri Heli Samuel infortunium revelat. Bellum inter Iſraelitas & Philiſtæos, in quo Arca capitur, & Ophni, & Phinees cæduntur. Mors Heli. Arcæ translatio. Bethſamitarum temeritas punita.

CAP. XII.

ANNO MUNDI 2848. ante Chriſtum 1152.

Anna a Phenenna deſpecta precibus Samuelem filium obtinet.

I. ELcanæ, qui genus ſuum ex Levi per familiam Caath referebat, habebatque ſedes in Ramath, ſive Ramathaim Sophim in Tribu Ephraim, geminæ erant uxores, Anna, & Phenenna, illa ſterilis, hæc fecunda. Accidit autem ut ille una cum tota familia ad Arcam Domini in Silo de more aſcenderet. Ut vero ad urbem pervenerunt, Elcana poſt oblatum Domino ſacrificium, convivium coram Domino celebravit; in quo hoſtiæ partem ſingulis convivis diſtributurus, Phenennæ tantum dedit, quantum ipſi, filiiſque ſatis eſſet; Annæ vero, utpote quæ ſine filiis eſſet unicam tantummodo portionem miniſtravit, eximiam tamen illam, atque e dapibus coram ſe poſitis ſelectam, ut eo ſpeciali privilegio uxorem magis dilectam diſtingueret (*a*).

Ea

(*a*) 1. Reg. l. 5. cum Calm.

Ea re alterius arrogantia recruduit, quæ ſterilitatem alteri, quaſi Dei vindicis pœnam, objiciebat. Annam propterea cibum faſtidientem Elcana conſolari conatus eſt, ſe ſe decem filiorum loco exhibens. His verbis tandem impetravit, ut cibum deguſtaret. Mox tamen a menſa in Tabernaculum ſola convolans, Deum intimo cordis affectu ut ſibi filium largiretur, oravit, voto ſe obſtringens, eundem filium, cum per ætatem licuiſſet, Deo in perpetuum oblaturam, perpetui Nazareatus legibus a ceteris Levitis diſtinctum. Cum vero nihil conceptis verbis ederet, ſed ſuſpiria tantum, & tacita ex imo corde vota ad Deum dirigeret, Heli ſummus Sacerdos temulentam ratus, verbis corripuit; ſed illa teſtata, nihil ſe deguſtaſſe, quo mentis inops efficeretur, mœrorem ſuum in cauſa fuiſſe dixit, cur animam ſuam coram Domino effunderet. Quibus auditis, Heli pacem, & votorum complementum precatus, illam dimiſit. Anna ad virum lætior reverſa, cibo ſe refecit, omnemque nubem doloris de cetero diſcuſſit; cumque omnes in Patriam rediiſſent, Anna non diu poſt filium concepit, quem editum *Samuel*, ſive *Saul-meel*, hoc eſt, *Poſtulatum a Domino*, appellavit.

Samuel Tabernaculo offertur.

II. Aliquot poſt annos ablactatum infantem mater Tabernaculo obtulit, delatis ſimul tribus vitulis, totidemque farinæ menſuris, & amphora vini, mactatoque vitulo in Sacrificium Domino, tradidit Heli puerulum; ac voti ſimul ſui cauſam exponens: Vive diu, ait,

ac vale Domine: ego ſum mulier illa, quæ olim coram te, ut mihi fecunditatem largiretur, Dominum rogavi; nec fruſtra, hunc enim filium ille mihi conceſſit. Quare agnoſcens, rem eſſe Domini, mihique ab eo commodatam, illam reſtitutum huc veni. Anna dein canticum ea de re adornavit, in quo miſericordiam, & omnipotentiam Dei pluribus commendat, ſeſeque præ æmula Phenenna effert in Domino; mentemque e privato illo beneficio, quod acceperat, erigens, futurum Meſſiæ Regnum, & Eccleſiæ gloriam prædicit (*a*). Poſt oblationem, Heli utrique Samuelis parenti benedixit, qui ad propria remearunt. Puer igitur Samuel pro ſua ætate obſequiis Tabernaculi impendebatur, Ephod lineo indutus, cui mater tunicam, ſtatis quibuſdam diebus ſolemnibus ipſa per ſe deferens, addebat. Tres adhuc filios, & duas filias Anna peperit (*b*). Tradunt Judæi, Phenennam non tantum parere ceſſaſſe, ut Samuel natus eſt, ſed & genitis ante liberis orbatam fuiſſe ſenſim, eo paſſu, quo Anna novos, & novos gignebat.

Filiorum Heli ſcelus.

III. Heli duo erant filii, Ophni, & Phinees, ambo impii, officium ſuum neque Deo, neque populo reddentes. Cum enim quis pacificam victimam immolaſſet, eorum famulus dum coquebantur carnes, partem, quam eximiam judicaſſet, vel quam forte apprehendiſſet fuſcinula, extrahebat, neglecta Legis ſanctione, quæ Sacerdoti nonniſi armum, & pectu-

(*a*) 1. Reg. II. 10. (*b*) 1. Reg. II. 18.

ctuſculum hoſtiæ pacificæ concedebat. Ad hæc, Sacerdotes portionem ſuam exigebant antequam adeps Altaris igne adoleretur; id quod repugnabat Legis præſcripto, jubentis primum omnium offerri Deo ea, quæ offerenda præcipiebantur. Crudam etiam ſumebant ſibi carnem, cum tamen antea ex veteri more coquenda eſſet. Si quis autem jus & conſuetudinem obtendiſſet: Trade, audiebat, alioquin tollam vi. Quo utique flagitio a victimis Domino immolandis populum amovebant. Tandem filii Heli ita erant effrenes, ut dormire cum mulieribus illis, quæ ſacras excubias ad oſtium Tabernaculi faciebant, veriti minime ſint (*a*).

IV. Scelera filiorum patrem non fugiebant; ſed Heli incuria, ac præpoſtera in filios indulgentia uſus, leviter objurgans, commonebat, ne in poſterum ita ſe gererent. Haud bonus rumor, inquit, percrebuit, vos populis violandæ Legis Dei exemplo eſſe. Si vir in virum peccat, poterit ei reddi propitius Deus: ſi vero in ipſum Deum, quis erit interceſſor? Enervibus adeo verbis increpati de caſtigandis moribus nec cogitabant quidem. Quare patrem, mandante Domino, increpavit Propheta, quem ſilente Scriptura penitus ignoramus, exprobravitque, quod oblitus beneficiorum in Aaronem generis illius Principem a Deo collatorum, maluiſſet prophanare Sacrificia, & oblationes, quam abjicere filios ſuos a ſacro miniſterio, quo turpiter adeo

Heli in filios indulgentia increpatur.

F 4 abu-

(*a*) 1. Reg. 11. 12. 22.

abutebantur; idque ne careret ipſe, filiique iis proventibus, quibus pingueſcebant. Domus tua, addidit, a Templi miniſterio amovebitur, & eo uſque contereur, ut nemo ex ea ad ſenilem perveniat ætatem. Videbit æmulum ſuum in eo dignitatis gradu, unde illa deturbata fuerit. Porro Sacerdoti illi, ejuſque poſteris dignitas coram Reipublicæ Principe in perpetuum manebit: e contra, qui ex te reliquus fuerit, obſecrabit ſupplex Sacerdotes reliquos, ut admittatur ad munera illa, quibus tolerandæ utcumque vitæ, nummuli quidam, & offæ lucrantur. Ne vero hæc vana ſibi reputentur, utrumque filium Ophni, & Phineem eadem die interfectos antequam moriaris, nuntium tibi veniet. Verum tot a viro Dei prænunciata mala, ardentius Heli in filios ſtudium ac ſeveriorem diſciplinam nequaquam effecere (*a*).

Translati Sacerdotii hiſtoria.

V. Uti translati Sacerdotii hiſtoriam percipias, damus hic ſeriem Pontificum ab Aarone. Aaron, Eleazar, Phinees, Abiſue, Bocci, Ozi (*b*), omnes e familia Eleazari. Poſt Ozi vel Uzi, Sacerdotium ad Heli delatum eſt, qui genus ſuum ex Ithamaro, altero Aaronis filio, referebat. Heli autem utroque filio Ophni & Phinee orbatus, ſucceſſorem habuit Achitobum ex filiis tertium, quem excepit Achias, tum Achimelech, tum Abiathar, ex quo Sacerdotium iterum devolutum eſt ad Sadocum e familia Eleazari, regnante Sa-

(*a*) 1. Reg. 11. 23. ſeph. Antiq. l. 5. c. ult.
(*b*) 1. Paral. VI. 3. Jo-

Salomone, quod contra hunc Principem Abiathar Adoniæ partes foviſſet. De modo autem, quo Heli ſummum Sacerdotium adeptus fuerat, altum apud Scripturas ſilentium, variæque efferuntur conjecturæ. Sunt qui privata auctoritate uſurpatum ab illo credant. Alii commiſſam illi volunt eam dignitatem, quod e familia Eleazari Sacerdotes vel ſegniores eſſent, vel ſceleſti, vel minores ætate, vel nulli. Quidam judiciariæ ejus in Iſraelem poteſtatis gratia, Sacerdotio ornatum a populo credunt, quo turbatis eo tempore rebus conſultius provideretur. Ut ut res acciderit, tranſlationem hanc Deo maxime annuente contigiſſe, verti in dubium minime poteſt.

VI. Contigit autem ut Samuel, cum in conclavi, juxta Tabernaculum dormiret, ſummo mane antequam lampades candelabri contra Sanctuarium collucentes extinguerentur, vocari ſe ſenſerit (*a*). Puer ad Heli accurrens, a quo accitum ſe credebat, quid vellet requiſivit. Ille acciviſſe negans, cubitum ire juſſit. Vix puer ſomnum reſumpſerat, cum iterum, & tertio voce audita, toties ad Sacerdotem ſe contulit: qui tandem divinum aliquod ſuſpicatus, lectum repetere juſſit, monens, ut ſi rurſum revocaretur, quantocius reſponderet: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus*. Paruit Samuel: cui Dominus: Rem faciam, quæ ingenti horrore audientes corripiet; quidquid a me decretum eſt, prædictumque contra Heli, ejuſque domum, urgebo, do-

Deus Samueli ultionem ſuam in Heli revelat.

(*a*) 1. Reg. III. 3.

donec abſolvam. Iniquitas, qua filiis ſuis æquo indulgentiorem ſe ſe exhibuit, nullis hoſtiis, nulliſque muneribus expiabitur. His auditis Samuel iterum dormiturus ſe ſe reclinavit. Ut dies illuxit, Heli de omnibus certior fieri a Samuele voluit, diris in ipſum, ni pareret, pronunciatis. Cum vero audiiſſet, quæ a puero referebantur, totum ſe Dei voluntati commiſit. Pœnitens ne, an indolens? Incertum. Perſeveravit autem Deus manifeſtare ſe ſe Samueli, cujus proinde fama late ſe per univerſum Iſraelem diffudit, ex eo maxime quod rariſſimi tunc eſſent Prophetæ; deque miſſione, & dotibus prophetiæ, quæ illi ineſſet, fides certa tunc maxime conſtitit, cum capta a Philiſtæis Arca, Heli, ejuſque filii interiere.

ANNO MUNDI 2888. ante Chriſtum 1112. *Arca capitur, Iſraelitæ cæduntur, Heli & Filii intereunt.*

VII. Philiſtæi igitur Iſraelitis bellum intulerunt; cumque quatuor millibus Hebræorum cæſis, ceteros in primo congreſſu fugaſſent, majores natu ex Iſraele in ſui auxilium Arcam Fœderis duci voluerunt: qua ſtatim ab Ophni, & Phinee in caſtra e Silo aſportata, ingentique clamore ab Iſraele elato tota late perſonuit terra (*a*). Audientes hæc Philiſtæi obſtupuerunt, cumque Arcam in caſtra veniſſe compertum habuiſſent, novo correpti metu: Væ nobis, exclamarunt, venit in caſtra Deus, qui Ægyptiis cladem intulit. Qui ſervabimur? Confortati tamen, detrectanteſque in Hebræorum poteſtatem venire, illos prælio adorti, Deo ſic permittente, iterum profliga-

(*a*) 1. Reg. IV.

garunt, interfectiſque Ophni, & Phinee, atque hominum 30000. ipſa Arca potiti ſunt, quam Azotum detulerunt. Quæ cum audiſſet Heli, corruit e ſella repente retrorſum, contritaque cervice occubuit, vir 98. annorum grandævus, cujus propterea oculi caligaverant, poſt judicatum 40. annis Iſraelem. Uxor quoque Phinees utero gravis, eo nuncio audito, doloribus partus ſubito agitata, & immature peperit, & pariendo interiit. Porro filius appellatus *Ichabod*, hoc eſt, *Ubi gloria?* Quod quidem nomen tempori conveniebat; ſiquidem gloria Iſraelis, capta Dei Arca, tota evanuerat: evanuerat etiam gloria Domus Heli.

VIII. Philiſtæi Azotii in Templo ad latus Dagonis Arcam collocarunt; ſive quod contemptui habentes Hebræorum Deum, Arcam illius numini ſuo, veluti trophæum victoriæ, ſtare voluerint, ſive quod pleni obſequio rei ſanctiſſimæ, nullum illi digniorem locum conſtituere ſe poſſe putaverint. Summo autem mane ſurgentes Azotii Dagonem proſtratum ac more ſupplicis, victique prono in terram ore, coram Arca invenerunt; cumque Numen ſuum in priorem locum reſtituiſſent, altera die ingredientibus ſimulacri quidem truncus ſuper baſim occurrit, caput vero, & brachia a reliquo corpore avulſa jacebant ſuper limen: quare calcare limen Templi Dagonis religioni deinceps duxerunt illius cultores (*a*). *Dagon coram Arca dejicitur.*

IX. Porro Azotii percuſſi a Domino in ſecretiori natium parte quodam morbi genere, quem *Arca hoſtibus fatalis.*

(*a*) 1. Reg. v.

quem alii hæmorrhoides, alii dyſenteriam, alii fiſtulam, alii cancrum, alii luem veneream fuiſſe autumant, dolore adeo intolerabili excruciabantur, ut miſeros homines alte ejulare, quin & mori tandem cogeret. Villæ etiam eorum & agri magna murium copia devaſtati fuerunt. Intelligentes autem Azotii, haſce plagas ſibi infligi ob captam Arcam, de illa remittenda conſilium inientes, omnibus Philiſtæorum Satrapis convocatis expoſuerunt: Ecquid faciemus de Arca Dei Iſrael? Quibus Gethæi: optimum ſibi videri, ſi Arca per urbes Provinciæ circumduceretur. Id conſilii datum credimus, quod Gethæi mala illa a naturalibus cauſis, puta aere Azoti corrupto, inducta putarent. Nec mora: Arca quidem circumducta eſt, ſed incolæ urbium, quo illa tranſibat in poſterioribus, non ſecus ac Azotii, torquebantur. Quare Accaronitæ videntes in finibus ſuis Arcam, de morte ſibi metuentes, convenerunt Satrapas, expoſtularuntque, ut in locum ſuum eam remitterent.

Arca additis muneribus in Judæam remittitur.

X. Septem menſes in Regione Philiſtæorum, Arca permanſerat, cum Philiſtæi conſulentes Sacerdotes, & divinos, petierunt, an, & quomodo Arca remittenda foret? Magi autem illi reſponderunt, Arcam indonatam remitti non debere. Pro quinque igitur Philiſtæorum Provinciis, Azoto, Gaza, Aſcalone, Geth, & Accaron, quinque imagines anorum, & totidem murium aureas efformarent, inque capſula, ad latus Arcæ poſita, conderent, quæ expiationis loco eſſent, ſi quid pec-

peccatum in ejus ſanctitatem fuiſſet toto eo tempore, quo ſacrum depoſitum in regione perſeveravit; quibuſque agnoſcere profiterentur, plagas illas ab Hebræorum Deo ſe ſe excepiſſe, nec ab alio morbi remedium ſperare. Addiderunt divini, plagas illas a Deo vindice immiſſas procul dubio eſſe, interque Philiſtæos Ægyptiorum exemplum renovari, qui volentes nolenteſque Hebræorum populum remiſerunt, poſtquam Deus illos percuſſiſſet. Quod ſi adhuc ea de re dubitarent, facile amoveri eam dubitationem poſſe, junctis ſub novo plauſtro, cui Arcam imponerent duabus vaccis jam fetis, ſed jugo minime aſſuetis, quæ ſi recta currum traherent contra ac deberent, in agrum Bethſamiticum verſus Iſraelitarum ditionem, neglectis vitulis ſuis, domi retentis in terra Philiſtæorum, illud prodigium apertiſſimum veritatis argumentum haberetur. Ajunt quidam, in hac re divinis illis id conſilii Deum ipſum indidiſſe. Contraria tamen opinio ſedit pleriſque, ratis homines nihil propoſuiſſe, niſi quæ ſuggerebat ſive ſuperſtitio, ſive mentis conjectura. Utcumque ſe ſe habeat res, Magis illis ſua fides ita conſtitit, ut nihilo melius veris Prophetis ceſſurum fuiſſet. Omnibus enim juxta eorum conſilium paratis, vaccæ quamvis mugientes, rectam tamen in agrum Bethſamiticum ſignarunt viam. Bethſamitæ, qui triticum metebant, videntes Arcam lætati ſunt. Depoſita autem antea per Levitas Arca & capſella ſuper magnum lapidem, *Abel*, id eſt luctum,

po-

poſtea appellatum, in agro cujuſdam civis Bethſamitæ, cui nomen Joſue, iidem Philiſtæi, vel, ut aliis videtur, ipſi Bethſamites, concidentes ligna plauſtri, vaccaſque illis imponentes, holocauſtum Domino obtulerunt. Plauſtrum enim illud, & vaccas, quæ Arcæ ſervierant, in alios prophanos uſus adhibere religio erat. Aliis etiam ſacrificiis loci incolæ coram Arca Domino litarunt.

Curioſus Bethſamitarum aſpectus punitur. Arcæ tranſlatio in domum Aminadab.

XI. Dominus tamen illos percuſſit, deletis ſeptuaginta ex Optimatibus, de reliqua vero plebe quinquaginta millibus, quod proprioris ad Arcam acceſſus, & inofficioſæ contemplationis reos ſe ſe reddidiſſent (*a*). Nonnulli (*b*), quibus numerus iſte nimius videtur, ajunt, Deum e quinquaginta millibus ante Arcam collectis, ſeptuaginta necaſſe. Verum ii vim Scripturæ inferunt. Bethſamitæ cæde ſuorum territi, habitatores Cariathiarim per ablegatos rogarunt, ut venirent, & ad urbem ſuam Arcam exportarent. Illi autem nihil cunctati, intulerunt ſacrum depoſitum in domum Abinadab, qui Gabaam incolebat, ſummitatem ſcilicet urbis Cariathiarim, ejuſque filium Eleazarum antea rite conſecratum, vel potius legalibus maculis purificatum, Arcæ cuſtodiæ deputarunt (*c*). Mirari ſubit, cur Arcam in Tabernaculum, quod in Silo ſervabatur, non retulerint. Forte Cariathiarim Urbs commodior, & tutior erat. Manſit Arca

(*a*) 1. Reg. VI. 29. Cleric. Boch.

(*b*) Joſeph. Lyran. Abul. Clar. Sanct. Tirin.

(*c*) Jud. XVIII. 31. & 1. Reg. XIV. 3.

ca in Cariathiarim 71. annis. Adventum vero Arcæ in illam urbem vicennalis pax in Iſraele ſecuta eſt (*a*), toto ſcilicet tempore, quo Samuel ante Saulis regimen Rempublicam adminiſtravit, manente populo, opera moniriſque tanti Ducis, in obſequio Domini.

Samuel regimen init. Victoria de Philiſtæis, & pax inde ſecuta. Filios ſuos Samuel pro ſe Judices creat. Populus de iis quæſtus Regem poſtulat. Saul eligitur. Bellum Ammonitarum in Jabitas. Regnum Sauli confirmatur. Allocutio Samuelis ad populum.

CAP. XIII.

I. POſt Heli obitum univerſi Iſraelis Judex & ductor Samuel renunciatus eſt; cujus electio occaſione cœtus, pro tranſlatione Arcæ ex urbe Bethſames in Cariathiarim, coacti, facta creditur. Supremam autem dignitatem iniens, populum rogavit, ut ſuæ in Deum pietatis ſpecimen in repurganda ab extraneis deorum ſimulacris regione exhibentes, divinam ſibi opem adverſus hoſtes demererent (*b*). Ejus monita executioni ſtatim ab omnibus mandata ſunt, abjectis Idolis Baalim & Aſtaroth, impenſiorique cultu Domino ſe ſingulis addicentibus. Indictus deinde alter populi conventus in Maſphat, ad quem omnes convenientes, cum Samuel funderet pro illis preces, illi viciſſim jejuniis, & orationbus inſti-

ANNO MUNDI 2888. ante Chriſtum 1112.

Samuel Judicem agit. Conventus populi in Maſphat.

(*a*) 1. Reg. VII. 2. (*b*) 1. Reg. VII. 3.

ſtiterunt; ſimulque aquam coram Domino profundentes, criminum ſuorum exomologeſim fecerunt. Nomine aquæ, quidam lacrymas intelligunt, alii balneum, quo ſe ſe populus, veſteſque, ut alias ſæpe, eluerit; ceteri, quibus aſſentior, effuſam fuiſſe re vera aquam, tamquam ſymbolum lacrymarum, quas effundere deſiderabant, & re ipſa coram Domino effundebant (*a*).

Philiſtæi orante Samuele fugantur.

II. Iſraelitas ſacris agendis occupatos facile opprimendos rati, Philiſtæi arma in illos intulerunt; ſed populus haud ſegnis fuit, implorataque per Samuelem Sacrificio agni lactentis Dei ope, venientibus occurrentes, prælium inierunt. Dum manus utrimque consererentur, ingenti, ſubitoque fragore cælum obſtrepens, terrore Philiſthæos concuſſit, adeo ut deſertis ordinibus, omnes in fugam effunderentur. Iſraelitæ fugientibus ultra Bethehar inſtantes, ea hoſtes clade proſtravere, ut & captas antea urbes inter Accaron, & Geth, victoribus deſerere, & toto adminiſtrationis Samuelis tempore ſe ſe ab Iſraelitarum ditione continere cogerentur. Hic finis ſervitutis 40. annorum ſub Philiſtæis. Erectum tunc victoriæ monumentum *Lapis Adjutorii* appellatum, cui inſcripta creditur hæc Epigraphes: *Huc uſque auxiliatus eſt nobis Dominus* (*b*). Porro Samuel ſingulis annis ditionem luſtrans in Bethel primum, dein Galgalis & Maſphat jus dicens, tandem domum ſuam in Ramath repe-

(*a*) Grot. Jun. Tirin. Sanat. Calm. (*b*) 1. Reg. VII. 12.

repetebat. In ea urbe Altare non tam privatæ, quam publicæ Religionis gratia erexerat, undique Iſraelitis ad illum conſulendum, atque judicium ſubeundum confluentibus. Secutus eſt autem in ea re majus illud humano, quod ſibi affulgebat, lumen; neque id exempli excuſari potuiſſet in ceteris, cum erigere Altare extra Tabernaculum divina ſanctione vetitum eſſet (*a*).

III. In ſenium vergens Samuel cauſarum pondus in filios ſuos Joel & Abiam transtulit, judiceſque conſtituit Berſabee, ut vicariam pro ſe gererent poteſtatem; qui tamen a paternis veſtigiis adeo aberrarunt, ut muneribus acceptis, avaritia miniſterium ſuum corrumperent. Rei indignitate Seniores populi permoti, querelas ea de re ad patrem deferentes, rogarunt, ut Regem pro omnium more ſibi conſtitueret (*b*). Graviter hæc tulit Propheta, ratus id futurum Deo, qui peculiarem Principatum gerebat in populo, injurioſum. Quare tabeſcens vir ſanctus, Deum precaturus acceſſit. Reſpondit illi ſtatim Deus, auſcultaret populum: *Non enim*, ait, *te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*. Simul autem injunxit Samueli, exponeret populo Regis jura. Scirent igitur ab illo aſſumendos eſſe e populo corporis cuſtodes, rhedarios, præfectos, agricolas, meſſores, fabros; filias quoque Iſraelis addicturum ſibi in unguentarias, focarias, panificas. Neque hæc ſatis, ſed Rex extendet inſuper manum ſuam in agros ve-

ANNO MUNDI 2908. ante Chriſtum 1092.

Iſraelitæ Regem poſtulant, cujus jura exponuntur.

(*a*) Deut. XII. 3. (*b*) I. Reg. VIII.

veſtros, & vineas, & oliveta, quæ omnia mercedis loco tradet famulis ſuis. Nihil erit tandem ſive ex mancipiis, ſive ex jumentis, quod non uſurpet, eo jure, quo ſibi ex redditibus omnibus decimas, & populum univerſum in ſervitutem aſſeret. Tunc, adjecit, ſuſtolletis ad Deum clamores veſtros, quibus ille ſurdas præſtabit aures. Vos enim ultro Regem poſtulaſtis. His minime moti Iſraelitæ, Regem etiam atque etiam ſibi dari petierunt, dicentes: Si malum eſt Regi parere, illudne pejus nobis, quam ceteris omnibus gentibus accidet? Si bonum, cur eo careamus? Lis autem eſt inter Eruditos de Regis juribus a Samuele juſſu Domini expoſitis. Nonnulli enim cum Grotio tuentur, imperatum fuiſſe Prophetæ, ut exponeret id quod juſte in ſuum, ac Reipublicæ commodum, Reges ſibi eſſent vindicaturi. Sed Interpretum plerique docent, Samuelem expoſuiſſe tantummodo ea, quæ futura prævidebat, quæ tamen auctoritate ſua neque probaret, neque tueretur; quin potius eo illum ſpectaſſe, ut a temerario conſilio populum removeret. Quidquid ſit de hac controverſia, Regem ſe daturum Samuel promiſit. Supremam tamen Judicis dignitatem per totam vitam geſſit. Saule etenim regnante, ſua illi auctoritas fere tota in populum, ipſumque Regem manſit, ut ex iis, quæ ſumus ſcripturi, planum fiet (a).

Samuel certiorem facit Saulem de Regno illi a Deo decreto.

IV. Cum forte Cis e Tribu Benjamin aſinas ſuas amiſiſſet, Saulem filium ſuum, quo in

(a) 1. Reg. VIII. 15.

in toto Iſraele nullus melior proceriorque, ad illas quærendas miſit (*a*). Saul fruſtra plurima regionis parte luſtrata, tandem deſperans, regreſſum ad patrem ſuum in Gabaam diſpoſuerat; ſed a ſervo monitus, ut Samuelem Prophetam eadem de re conſuleret, illum adire conſtituit. Ambo igitur Ramatham contendentes, puellas ad hauriendas aquas egreſſas de viro interrogarunt, quæ reſponderunt illum aſcendere ad urbem, parvoque intervallo ipſos præcedere; veniſſe autem ex agro, ſacrificio, & convivio cum populi Optimatibus adfuturum. Samuel urbem ingreſſus verſo ad portam ore obviam habuit Saulem cum famulo ſe ſe quærentem; ſimulque Deo revelante intellexit, virum illum a Deo in Regem populi deſtinari; ſtatimque occurrens, excepit venientes. Saule virum, de Vidente (qui poſtea Prophetæ dicti ſunt antea Videntes appellabantur) ubi eſſet interrogante, Samuel ſe ſe quem quæreret eſſe prodidit; juſſitque ut præcedens crepidinem Ramathæ imminentem peteret, ubi convivium religioſum celebrandum erat, facta illi ſpe ſecreta omnia revelandi: Nihil, ait, interim de aſinis ſollicitum te eſſe volo, inventæ enim ſunt. Porro non aſinæ tantum, ſed optima quæque Iſraelis te manent domumque tuam. Saul Regnum ſubodoravit: quare & anguſtiores Tribus ſuæ fines, & anguſtiſſimam in ea Tribu familiam ſuam ob oculos poſuit; ſed a Propheta coactus, in aulam convivii introductus eſt; eique primo

G 2 men-

(*a*) 1. Reg. IX.

menſæ loco aſſidere juſſo, Samuel honoris gratia integrum victimæ armum de induſtria ſervatum appoſuit. Poſt convivium in oppidum redierunt; cumque Samuel illum docuiſſet ea, quæ Deus ſtatuerat, & monita in eam rem plura dediſſet, ſolum in ſolario, ut dormiret, reliquit.

Saul in Regem ungitur. V. Mane alterius diei cum ad inferiora urbis deſcenderent ambo, & ſervus, innuente Samuele, nonnihil a Domino ſe ſe recepiſſet, Propheta eductam olei phialam, totam in caput Saulis effudit (*a*). Dein oſculo exceptum, eum in Regem, Domini juſſu, ſe inunxiſſe, ut de hoſtibus populi ulciſceretur, ſignificavit. Quæ quidem, ait, a me prolata Domini oracula ex eo rata eſſe intelliges, quod cum ambo in diverſa receſſerimus, duo tibi viri occurent e Zelzelach loco ſito juxta ſepulcrum Rachelis, qui de inventis aſinis patris tui certum nuncium afferent. Inde procedenti tibi ad Quercum Thabor, tres viri obviam fient, adorandi gratia in Bethel tendentes, a quibus duos panes accipies. Tandem cum ad collem Dei, ubi ſtatio Philiſtæorum, veneris, chorum Prophetarum e colle deſcendentium, muſiciſque inſtrumentis canentium, offendes; quibus adjunctus, ſubitoque Dei ſpiritu afflatus, in alterum virum mutaberis. Poſt hæc in omnibus, quæ tibi obtigerint, a Domino te dirigendum ſcias. Imperavit tandem Samuel, ut cum diſcriminis aliquid immineret, ſtatim ſe ſe conferret in Galgalam, quo ſe venturum

(*a*) 1. Reg. IX. 27. & X.

rum ſemper ſpopondit intra ſeptem dierum ſpatium, ut Dei voluntatem in re præſenti aperiret. Prophetæ oracula ſingula ejuſdem diei eventus probavit. Porro cum Saul Prophetis occurriſſet, illis admixtus cum ceteris prophetavit: quod prodigii loco omnibus rem ſpectantibus acceptum eſt, adeo ut in proverbium abierit: *Num & Saul inter Prophetas?* Cum autem Prophetarum cœtus ſolutus fuit, ſingulis ad ſua ſe ſe recipientibus, Saul a Dei Spiritu deſtitutus prophetare ceſſavit. Ut in Gabaam ad patris ædes venit, patruus ſuus, qui viſum ab illo Samuelem didicerat; quæ dixiſſet Samuel, interrogavit; ſed ille prudenti cautione ſiluit quæ ad Regiam dignitatem pertinebant.

VI. Succedente tempore, Samuel advocata populi concione, in Maſphat de Rege eligendo juxta eorum vota deliberavit (*a*). Jactæ ſunt ſemel & iterum, & ſæpius ſortes. Primo enim ſortes jactæ ſunt in duodecim Tribus, & electio cecidit in Tribum Benjamin; tum in Benjamin familias, & paruit familia Metri; deinde in domos Metri, & extracta fuit domus Cis; denique in ſingula capita Cis, & Sauli Regnum contigit. Statim quærere de Saule; ſed cum non inveniretur, Dominum conſuluerunt, quo indicante, in angulo domus latens inventus eſt. Deductus deinde in theatrum, cum ex humero ſurſum ceteris eminere viſus eſſet, eo omine accepto: En, ait Samuel, quem virum vobis Dominus in Regem deſti-

ANNO MUNDI 2909. ante Chriſtum 1091.

Saul ſortito eligitur.

(*a*) 1. Reg. x. 17.

deſtinavit! Ad quæ una populi vox: *Vivat Rex*. Mox Propheta coram omnibus Jus Regum perlegit, exaravit, condiditque in Tabernaculo; quibus abſolutis omnes ad propria rediere. Saulem domum regredientem, pars exercitus, cui divina conſilia probabantur, comitata eſt; ceteri virum contemnebant, tanquam contra adverſarios Iſraelis infirmo ſatis præſidio futurum. Horum tamen dicteria Saul ne audire quidem ſimulavit.

Naas Ammonitarū Rex Jabitas aggreditur.

VII. Poſt menſem a denunciato Saule in Regem Iſraelis, Naas Ammonitarum Rex urbem Jabes Galaad invaſit (*a*). Jabitæ viribus hoſtis impares, Regi, datis utrinque conditionibus, deditionem obtulerunt. Cum vero ille reſpondiſſet, haſce a ſe exhiberi conditiones, ut ſingulis oculum dexterum erueret, eoſque opprobrium Iſraelis redderet, urbis illius Optimates ſeptem dierum inducias petiere; quo temporis ſpatio niſi ſuppetiæ ferrentur, illius arbitrio ſe ſe committerent. Per univerſum igitur Iſraelem nuncios miſerunt, opem a fratribus poſtulantes. Qui autem ex illis Gabaam venerant, ea quæ ſibi acciderant referentibus, ex omnibus, qui ea audierant lacrymas expreſſere. Saul interea cum ex agro ſequens boves reverteretur, populumque plorantem videret: Quid habet, inquit, populus, quod plorat? Auditis vero nunciis Jabes, a Spiritu Domini correptus, cæſoque in fruſta utroque bove, ſingula fruſta ad ſingulas Iſraelis regiones miſit, eadem eorum armentis eventura

(*a*) 1. Reg. XI.

tura minitatus, qui Saulem, & Samuelem ſequi detrectaſſent.

Saulis victoria de Ammonitis. Regnum Sauli confirmatum.

VIII. Populus igitur timore correptus ad ſtatum locum unanimes convenere, ex Iſraele 300000. ex Juda vero 30000. quos ipſe Saul in Bezech recenſuit. Tunc nuncios reverti juſſit, & oppidanis nunciare, ſe mane alterius diei antequam Sol medium ſui curſum emenſus eſſet, ſalutem allaturum. Regreſſi nuntii caverunt, ne de iis, quæ agerentur, Naas doceretur; quin cives Jabes Regi renunciantes, mane alterius diei ſe ſe ad illum proceſſuros, ipſumque ſibi, quæ voluerit, facturum. Nullum hic mendacium. Erupturi quidem erant, ſed adverſarii, non captivi. Verborum autem ambiguitas id effecit, ut hoſtes minus ſibi caverent, rati nullum reſtare obſeſſis auxiliorum ſpem. Porro Saul veſpere caſtra movens Jordanem tranſmiſit, magniſque per totam noctem itineribus primo mane inexpectatus, improviſuſque ad Ammonitarum caſtra pervenit; ſtatimque exercitum in tres turmas dividens, eo impetu hoſtes invaſit, ut eos omnino deleverit: ii autem, quibus aditus fugæ, in diverſa ita acti fuere, ut duo ſimul non remanſerint. Videntes hoc Iſraelitæ: Ubi ſunt, inquiunt, qui Saulem Regno imparem volunt? Tradantur in manus noſtras, ſtatimque illos interficiemus. At Saul in Dei auxilium victoriam referens, iram compeſcuit; Samuel vero redeuntem ab ea expeditione populum in Galgala ad innovandam Regis electionem deflectere juſſit. Cum eam quæ in Maſphat ſta-

tuta fuerat, non omnes æque probaſſent, ad alteram electionem, quæ priorem illam firmaret, deveniendum erat, ut Saul ab univerſo Iſraele agnoſceretur. Porro ea cæremonia acta eſt coram Domino. Forte Arca eo delata fuerat; quanquam Sacrificia ingenti omnium plauſu ea occaſione celebrata, Sacerdotum præſentia, Regia unctio, fides Sauli nomine Dei confirmata; hæc omnia, eſto Arca defuerit, merito appellaretur Cœtus Domini, vel coram Domino celebratus.

Samuel populum arguit. IX. Poſt confirmatum Sauli Regnum, & antequam conventus dimitteretur, de innocentia ſua ſecurus Samuel, a populo quæſivit, an aliquid in ſe querelarum haberent? Cum nihil in illo populus reprehendiſſet, Propheta hujus approbationis teſtem Dominum & Regem vocavit: quod populo ratum habente, iterum Samuel ad eos converſus, poſt revocata in illorum mentem omnia a Deo Iſraeli præſtita beneficia, oſtendit, Deum quidem, quæ ſuarum eſſent partium, ſemper, ſed tunc præcipue, Regem conſtituendo, impleviſſe; reliquum proinde eſſe, ut ipſi viciſſim Domini dicto morigeros ſe ſe præſtarent, quo & in ſe, & in Regem largam divinæ benedictionis munificentiam deducerent. Si autem in Dominum ſuperbam erexerint cervicem, graviorem in ſe Dei manum, ut olim eorum patres, expectarent. Ut diſcerent tamen, grandem Domino injuriam, Regem poſtulantes, irrogaſſe, adjecit, deducturum ſe e nubibus nimbum & tonitrua, quamvis id anni tem-

pus

pus, meſſis nempe frumentariæ, decurreret, quo raræ in Palæſtina pluviæ diſtillarent. Nec mora; vix protenſis ad cælum manibus, nimbus, & tonitrua adeo gravia inſonuere, ut ſubito horrore populus concuſſus, veniam a Deo irrogatæ in illum injuriæ expoſtularent. Tunc Samuel bono juſſis eſſe animo, nunquam ſe a precibus pro populo temperaturum ſpopondit. Inde domum omnes remiſſi ſunt (*a*).

Anni, quibus Saul Regnavit. Philiſthæi iterum Iſraelitas aggrediuntur. Saulis inobedientia. Victoria de Philiſtæis per Jonatham. Alia Saulis bella. Saul ob ſervatum Regem Agag reprobatur.

C A P. XIV.

Difficilis de annis regnantis Saulis textus.

I. F*ilius unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet: duobus tantum annis regnavit ſuper Iſrael, & elegit ſibi Saul tria millia* (*b*). Hæc Scripturæ verba exponentes nonnulli, ajunt, Saulem, cum Regnum inivit, morum innocentia perinde fuiſſe, ac puerum unius anni; biennio autem in ea vitæ ſanctitate perſeveraſſe. Malunt alii Hebræum reddere: *Saul filium genuit anno primo, cum regnare cœpit: & cum duobus annis regnaſſet, elegit* &c. Equidem Isboſeth filius Saulis, Regnum inivit ætatem agens annorum 40. conſtat autem, putrem ejus 40. pariter annis regnaſ-

(*a*) 1. Reg. 12. (*b*) 1. Reg. XIII. 1.

gnaſſe (*a*). Primo igitur Regni Saulis anno Isboſeth natus eſt. Sunt qui ita textum reddunt: *Cum anno uno, vel duobus regnaſſet Saul, elegit* &c. Hebræi, quos duces Interpretum frequens turba ſequitur, docent, Saulem biennio tantum regnaſſe: quod duplici mollito ſenſu explicari poteſt. Regnavit biennio legitimo jure, antequam a Deo reprobaretur; vel regnavit biennio ſolus, poſtquam obiit Samuel. Qui enim abſolute volunt Saulem revera biennio tantum regnaſſe, difficile brevi huic temporis ſpatio omnia ab eo geſta accommodabunt. Sunt & aliæ interpretationes his minus pronæ, magiſque violentæ, quibus locum inter obſcura totius Scripturæ obſcuriſſimum luce aliqua donari conati ſunt Scriptores. Sed illis omiſſis, virorum doctorum ſententiam, quantum credimus, vero propriorem, amplectentes, laudata verba ita interpretamur. *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet;* hoc eſt, Hactenus de iis, quæ primo Regni ſui anno geſſit Saul: *Duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael, & elegit tria millia;* nempe, altero autem anno, ſive biennio poſt elegit &c.

ANNO MUNDI 2911. ante Chriſtum 1089.

Inobedientia Saulis a Samuele increpata.

II. In quodam igitur populi conventu tria hominum millia conſcripta ſunt a Saule, reliquis ad propria redeundi facultate impertita; ex quibus Saul ipſe duo millia ad pellenda ex urbibus Machmas & Bethel præſidia Philiſtæorum impendit; mille vero filio ſuo Jonathæ tradens, eo duce ſtationem Gabaæ occu-

(*a*) Act. XIII. 20.

cupantes, loco cedere coegit; quo accepto nuntio, populo excutiendi tandem Philiſtæorum jugum ſpes facta eſt. Hinc in Galgal ad Saul omnes confluxere. Neque interim Philiſtæi ſibi immorandum rati, ad urbem Machmas exercitum 30000. (3000. habet Syriacus, & Arabs, & Criticorum doctiſſimi) curruum & 6000. equorum, præter immenſam peditum vim coegerunt. Adventu, & propinquitate hoſtis territi Iſraelitæ, ſinguli in diverſa ad montes abire, cui malo prompto auxilio accurrendum intellexit Saul; opperiri tamen Samuelis adventum ſeptem diebus ex ipſius mandato cogebatur. Cum fruſtra uſque ad exitum ſeptimæ diei, & uſque ad horam, qua venturus Propheta minime omnium videbatur, expectaſſet, tandem Rex ipſe per ſe, ut plerique tradunt, Sacrificium obtulit, quo exercitum expiaret, pararetque ad præliandum. Vix litaverat, cum Samuel ſuperveniens occurrentem ſibi Saulem interrogavit, cur Sacrificium obtuliſſet? Sauli anguſtias, ad quas redactus fuerat, cauſanti, ſtulte ſe geſſiſſe Propheta reſpondit, objurgatoque quod finem hebdomadæ prævertens, hoſtiamque ſine Prophetæ præſentia mactans, divinas juſſiones violaſſet; denunciavit futurum, ut a Deo illi, ejuſque familæ ereptum Regnum, in virum probum, morigerumque transferretur. Inde Samuelem Gabaam tendentem Saul una cum 600. viris, qui e tota turba remanſerant, proſecutus eſt.

Jonathæ de Philiſthæis victoria.

III. Videntes Philiſtæi, quod Iſraelitæ certa-

tamen detrectarent, ex Machmas, ubi tentoria fixerant, tres cuneos ad diripiendam regionem miſerunt. Jonathas opportunitate abſentiæ triplicis hujus manus utens, patre, & ceteris inſciis, reliquum exercitum aggredi ſtatuit (*a*). Ad caſtra igitur hoſtium per duorum ſcopulorum anguſtias ſibi aditum reſerans, armigerum ſuum monuit, non ultro ipſis eundum, ſi conſiſtere, ſi vero progredi ab hoſtibus juberentur, de victoria certis, properandum. Utriſque autem ad Philiſthæos accedentibus, veluti muribus de cavernis egreſſis illudentes excubiæ: Aſcendite, inclamabant, ad nos, malo veſtro intellecturi, quid temeritas proſit. Quare illi impavide manibus pedibuſque reptantes, ſuperarunt rupes, ac viginti viros brevi medii jugeri ſpatio, quod in longum juxta Columellam quinque & triginta pedibus, juxta alios vero, ſexaginta extenditur, trucidarunt. Stragis hujus rumor metum & confuſionem per tota late hoſtium caſtra diffudit, pervaſitque vicinas terras, falſo ſibi perſuadentibus Philiſthæis, univerſum Iſraelitarum exercitum in caſtra ſua irrupiſſe. Quem tumultum ubi Saul e ſuis cuſtodibus didicit, de auctore cædis inquiſivit, recenſitiſque militibus, Jonatham ejuſque armigerum abeſſe comperit. Quare ſtatim juſſit Achiæ Sacerdoti, ut applicaret ſe Arcæ, quam Iſraelitæ in caſtra detulerant, & conſuleret Dominum. Nondum abſolverat cæremoniam Sacerdos, cum ex tumultu & clamore in caſtris hoſtium ſubi-

(*a*) 1. Reg. XIV.

ſubito iterato, qui magis magiſque creſcebat, intelligens Saul rei opportunitatem adeſſe, ac circumſtantia illa ſatis indicaſſe Deum propenſam in populum voluntatem ſuam, omni deliberandi mora ſublata, ceſſare Sacerdotem juſſit, copiaſque in hoſtes immiſit, quorum plurimos, alterum altero confodiente, mutuis vulneribus peremptos invenit. Collecto autem ex Iſraelitis, qui in illo temporis articulo ad eum confluxerant, exercitu 10000. virorum, ceteris qui fugæ ſe dederant, inſiſtens, uſque ad Bethaven perſecutus eſt. Quod autem magis magiſque hujus victoriæ gloriam auget, atque commendat, illud eſt, ex omnibus ſcilicet militibus Saulem tantummodo, & Jonatham lancea & gladio armatos fuiſſe (*a*). Philiſthæi enim, quo tempore potiores fuerunt, uſum armorum interdixerant Hebræis, caverantque, ne in regione illorum ex fabris ferrariis quiſpiam habitaret. Quin & fabris inſtrumentorum colonicorum carebant Iſraelitæ, ſibique ea a Philiſthæis comparabant. Non deerant tamen illis arcus, funda, ſecuris, ſtimulus, vomer, ſudes, quibus armati in bella prodirent.

Jonathas populo intercedente mortem evadit.

IV. Victoriæ gaudium triſtis rei eventus turbavit. Diris Saul Iſraelitas devoverat, qui tota ea die aliquid cibi ad veſperam uſque, & antequam hoſtes penitus diſſiparentur, deguſtaſſet. Jonathas paterni voti ignarus, porrecta virga in favum forte in nemore occurrentem, mellis aliquid carpſit, libavitque, quo

(*a*) 1. Reg. XIII. 19.

quo oculorum aciem longa inedia debilitatam reparavit. Statim autem de patris imperio a quodam monitus, omnes a patre turbatos conqueſtus eſt; ingeſtoque ſuorum oculorum exemplo, ait: Quid roboris non percepiſſet exercitus, ſi inimicos inſequens, cibis inventis non abſtinuiſſet? Sub veſperam autem populus fame adactus, vertit ſe ad prædam, ovibuſque ac bobus mactatis, non ſatis expectavit, ut totus ſanguis hauriretur, hauſtuſque humo tegeretur, juxta ac gentis mos ferebat. Hæc reſciens Saul, indoluit, juſſitque, ut ſinguli ad ſe adducerent pecus ſuum; quibus ſuper quodam ſaxo magno occiſis, ac ſanguine rite purgatis, paſti ſunt Iſraelitæ. Saxum deinde illud in Altare Domino erexit; quod antea nunquam per ſe ſe auſus fuerat, cum id muneris Prophetam, aut Sacerdotem expoſceret. Secundum hæc, profugos hoſtes inſectari expetens, ne eorum aliquis cædem evaderet, Dominum per Sacerdotem conſuluit; quo minime reſpondente, intellexit, peccatum aliquod hujuſce ſilentii in cauſa eſſe (*a*). Quare ſortium indicio reum ad mortem explorari juſſit, ne excepto quidem Jonatha filio ſuo. Promiſſis ſtetit; cum enim cecidiſſet ſors ſuper Jonatham, qui ultro vetiti cibi ſe reum faſſus eſt, ultimo ſupplicio illum damnavit; ſed populo ob eximium illud facinus, quod in Philiſthæos mox patraverat, intercedente, liberatus eſt. Saulis res in dies procedebant, hoſtibus undique Moabitis, Ammonitis, E-

dom

(*a*) 1. Reg. XIV. 37.

dom, Rege Soba in Syria, & Philiſthæis in ordinem redactis, quarum victoriarum tempus & circumſtantiæ omnino ignorantur. Poſſunt tamen conſignari inter annum Mundi 2912. & annum 2930. Quæ tamen victoriæ miræ videri non debent; ubi enim viros ſtrenuos, belloque aptos nactus eſſet, nullis parcebat ſumptibus, quin eos ſibi ſociaret. In militiæ autem Principem Abner filium Ner patruelis ſui delegit.

ANNO MUNDI 2930. ante Chriſtum 1070. *Bellum in Amalecitas. Saul Dei præcepto minus paret.*

V. Amalecitarum, qui Iſraelitas in deſerto bello laceſſere, atque exercitus extrema miſere trucidare auſi fuerant (*a*), Dominus inhumanitatem deteſtatus, eaque victoria, quam Joſue in eodem deſerto de illis retulerat, non adhuc contentus, per Samuelem juſſit Sauli, ut adverſus eos expeditionem ſuſciperet; caveret autem, ne cui parceret, ſed omnia, ne infantibus quidem lactentibus exceptis, ipſiſque pecoribus, anathemate devoveret (*b*). Rex Prophetæ dicto obſequens, exercitum 200000. Iſraelitarum, & 10000. virorum Juda coegit, monitiſque Cinæis, Jethronis poſteris, ut ſubducerent ſe ſe clam ab Amalecitis, quibuſcum res admixtas habebant, hoſtium fines ingreſſus, regione quidem ab Hevila uſque ad Sur e regione Ægypti, direpta, Amalecitas trucidavit, ſed Agag gentis Regi, rariorique pecori, ac ſpoliorum optimis parcere maluit. Reducens dein in Galgala victorem exercitum, cum ad montem Carmeli ad meridiem Judæ (al-

(*a*) Exod. XVII. 14. Deut. XXV. 17.

(*b*) 1. Reg. XV.

(alterum a Carmelo ad Mediterraneum) perveniſſet, trophæum, ſive, ut habet Hebræus, *Manum*, perpetuæ victoriæ ſuæ monumentum erexit. Interim tranſgreſſi mandati querelas Deus cum Propheta inſtituens, electi in Regem Saulis pœnitere ſe dixit. Samuel mœrens totam noctem veniæ a Deo exorandæ indulſit. Mane vero alterius diei Saulem in Galgalis offerentem Sacrificia ex primitiis manubiarum convenit; cumque poſt primas ſalutationes, audiiſſet ab illo omnia, quæ Deus juſſerat, executioni mandata fuiſſe: Quæ, reſpondit, pecudum vox meis in auribus inſonat? Rege, ſervatas illas a populo, ut Domino litaretur, reſpondente: Te, ait Propheta, humilem & deſpectum homuncionem Dominus ad hanc dignitatem elevavit, ut Amalecitas exterminares; id tamen muneris tibi injunctum neglexiſti. Cauſante illo iterum, omnia in Sacrificium non a ſe, ſed a populo ſervata: Quid, adjecit Samuel, nonne victimis quibuſque, divinis juſſionibus humilis obtemperatio præſtat? Refractarios Deus eodem horrore ac Magos, & Idololatras reſpicit. Tu Deum, at te viciſſim Deus a Regno depellit.

Saul reprobatur, & Agag occiditur.

VI. Tunc Rex nimia ſe in populum indulgentia peccaſſe profeſſus eſt; rogare tamen Prophetam, ut ipſe in ſe ejuſdem iniquitatis pondus ſuſciperet, atque una ſecum ad Dominum adorandum veniret. Renuentem alterum atque in diverſa jam abeuntem, Saul pallio apprehenſo retinebat: quare ſtatim ejuſdem pal-

pallii pars abſciſſa Regi manſit. Converſus illico Samuel: Dividendi, ait, a Deo regni tui omen hinc accipias, ſciaſque, illud, te adhuc ſuperſtite, alteri præſtantiori viro tradendum. Nec de hoc dubita. Victoriarum Dominus delictum hoc tibi non condonabit; neque enim a* ſententia, perinde ac homo, recedere poteſt. Rex etiam atque etiam crimen ſuum faſſus, rogavit, ſaltem ut ſimul pergerent ad Dominum, quo honori ſuo coram populo conſuleretur. Acquieſcens Samuel, Regem ſecutus eſt. Ut venit Propheta, produci coram ſe Agag Regem juſſit; qui tremens: Siccine, ait, ſeparat amara mors? Cui Samuel: Quemadmodum tu matres plurimas, ita ego matrem tuam orbabo: quo dicto illum in fruſta concidit coram Domino. Inde Samuel Ramatham, Saul Gabaam reverſi ſunt. Porro Propheta reliquo vitæ ſuæ ſpatio Regem ploravit, ſed conſuetudinem cum illo omnem abrupit.

David in Regem eligitur. Bellum Philiſthæorum in Saulem. Victoria Davidis de Goliath. Saulis odium in Davidem. Fœdus amicitiæ inter Davidem & Jonatham. Perſecutiones Saulis David fugit. Samuel moritur.

ANNO MUNDI 2934. ante Chriſtum 1066.

CAP. XV.

David in Regem ungitur.

I. SAmuel, qua erat caritate erga Saulem conſtantiſſima, nunquam viri rejectionem deflere ceſſaſſet, niſi Dominus palam illi juſ-

juſſiſſet, ut a lacrymis temperaret, ſimulque ad ungendum in novum Regem unum ex filiis Iſai, quem ipſe indicaſſet, in Bethleem proficiſceretur (*a*). Propheta iram Saulis, ſuumque periculum cauſatus eſt. Cui Dominus: Sacrificium prætendens, Iſai tibi convivam adhibebis, qua occaſione Regem indicabo. Aſſumpto igitur cornu olei, ac vitulo, Bethleem venit, venientemque Seniores omnes loci, honoris gratia exceperunt; quibus, Si quis veſtrum, ait, labem aliquam ferat, eluat ſe ſe, immunemque deinceps a maculis ſervet, ut e ſacrificio, quod ego oblaturus ſum, deguſtet. Cum primum in domum Iſai ingreſſus eſſet, ſingulos ejus filios coram ſe producendos præcepit. Producto primum Eliab natu majore, de merito juvenis ex optima illius corporis habitudine argumentum capiens, Samuel intra ſe ait: Num coram Domino eſt deſtinatus in Regem? Sed ſtatim ſe deceptum intellexit. Deus enim manifeſtavit illi, ſe non elegantem corporis formam, ſed animum probum, rectumque intueri. Suo deinde ordine ſeptem filii coram Propheta ſtatuti, quos omnes rejecit. Samueli, num alios haberet filios interroganti, nullum eſſe reliquum, reſpondit Iſai, niſi natu minimum paſcendis ovibus diſtractum. Illum actutum acciri juſſit Propheta. Vix conſpectum, deſtinatum in Regem paruiſſe, Deo revelante, edoctus, ſtatim ſuperfuſo pueri capiti oleo, in Regem inunxit. An autem coram univerſa familia, ce-

(*a*) 1. Reg. xvi.

ceteriſque ad Sacrificium, conviviumque invitatis, celebrata fuerit hæc cæromonia, ſive coram Patre tantum, vel eo etiam remoto, Scriptura non prodit. Quin ajunt nonnulli, myſterium unctionis ipſi quoque Davidi ignotum, uni tantum Samueli patuiſſe. Cum tamen unctio illa ſolemnis eſſet, ex qua totum Davidis jus in Regnum petebatur, res popoſciſſe videtur, ut coram multis teſtibus perageretur, qui cum opportunum eſſet, inaugurationem illam manifeſtarent. Exinde David ſpiritu Domini, qui a Saul receſſit, afflatus eſt, qui illi infudit dotes omnes corporis & animi, quæ Regem decent; quia tamen iterum paſcendis ovibus occupatus eſt, nulla majori obſervantia diſcretus.

II. Aliquanto poſt Saul atro melancholiæ morbo correptus, cujus occaſione a dæmone plurimum exagitabatur, Davidem accivit, ut eo cithara coram ſe ludente morbi vis remitteretur; audivit enim a quodam, ea in re juvenem, ceteroqui fortiſſimum, prudentem, ac Deo acceptum, multum valere. Suo munere David egregie functus, regii armigeri honorem promeruit; nec tamen inde factum, quin, cum morbus Saulis remitteretur, ad patrem rediret.

Saulis morbus Davide ludente remittitur.

III. Secundum hæc, cum Philiſthæi motis in Hebræos armis inter Socho & Azecam caſtra locaſſent, ac Saul copias in valle Terebinthi detineret, Gigas ex urbe Geth, Golias nomine, ſingulis diebus e caſtris Philiſthæorum proſiliens, Iſraelitis inſultabat, ſtre-

Davidis de Golia victoria.

nuos quoſcumque, ut ſecum manus conſererent, invitans, propoſita conditione ut victi victoribus ſervirent (*a*). Vir ingenti corporis mole terribilis, ſex cubitos palmo excedebat, duos ſcilicet homines proceriſſimos, armiſque corpori paribus munitus erat. Protectus caput caſſide ærea, æreis pariter crura ocreis, & clypeo ex eodem metallo humeros, ſquamea lorica induebatur, cujus pondus erat quinque millium ſiclorum, librarum ſcilicet centum quinquaginta cum quadrante, hemiuncia in ſiclum, & unciis ſexdecim in libras aſſignatis. Tractabat autem lanceam, ceu texentium liciatorium, cujus ferrum 600. ſiclos, id eſt, viginti fere libras æquabat. Scriptor quidam (*b*) accurate ſcrutatus pondus armorum Goliæ, dato ſingulis partibus illa componentibus æquo pondere, colligit, æquaſſe libras 272. & uncias tredecim. Conſuetum autem pondus armorum militis fuiſſe unius talenti, ſive 60. librarum ex duodecim unciis, tradit Plutarchus (*c*). Conſtituta fuerat a Saule in præmium ei, qui gigantem ſuperaſſet, ingens divitiæ vis, nuptiæ regiæ puellæ, a tributis denique, ceteriſque oneribus pro tota patris domo exemptio. Sed certamini timor potius, quam præmii ſpes, omnes ſollicitabat. Solidis 40. diebus duo exercitus coram poſitis, in caſtris ſe continuerunt. Sub idem tempus David a patre miſſus, ut quid de fratribus in exercitu

(*a*) 1. Reg. XVII.

(*b*) Hoſtius Hiſtor. Monomach. c. 5.

(*c*) Plutarch. in Demetrio.

citu militantibus nuntiaret, in caſtra venit, qui Goliath audacia indignatus, ignominiam Iſraelis ſe facile uiturum palam dicebat. Quamvis autem temeritate a fratre ſuo natu majori damnaretur, eadem tamen quin identidem aſſereret, ſe continere non valebat. His ad Saulem delatis, illico David accitus eſt; quærentique Regi, an tantum ſibi animi viriumque eſſet, ut Philiſthæum illum aggrederetur, reſpondit: Cum greges in ſaltu paſcerem, leo nonnumquam, vel urſus clam veniens ovem rapiebat; hunc ego perſecutus, e faucibus prædam eripiebam, feramque in me ſævientem, apprehenſam ſuffocabam. Quid ni ergo, quod in feras valui, in Philiſthæum non poſſim? Rex animoſitati Davidis fauſta precatus, ſuis armis indutum ad pugnam procedere juſſit. Sed ille impediri ſe, non defendi inuſitato armorum pondere ſentiens, iis poſitis, ſumptoque baculo, & quinque e torrente lapidibus, in hoſtem proceſſit. Tum Saul ab Abner quæſivit, quiſnam juvenis ille eſſet? Cui ille neſcire ſe reſpondit (*a*). Mirum quod Saul armigerum & citharædum ſuum non agnoverit. Forte quo tempore ab aula receſſerat, vultum, vocem, totiuſque corporis habitum plane immutaverat. Porro lenem, rufum, elegantemque juvenem, ſimulque armorum rudem apparatum Goliath intuitus: An, inquit, canis ſum, qui me baculo invadas? Accede, jam carnes tuas volatilibus cæli, & beſtiis terræ miniſtrabo. His David inſuper habitis, ſo-

 lique

(*a*) 1. Reg. XVII. 55.

lique Deo fidens, cujus cauſa agebatur, impoſitum fundæ ſaxum, ea deſteritate ac vi in illum rotavit, ut in frontis vertice percuſſum in terram dejecerit. Inde hoſti proſtrato inſeſſus, abrepto ipſius gladio cervicem præcidit. Ea cæde animis cadentes Philiſthæos in fugam vertit, quos Hebræi magnis clamoribus inſecuti ſunt.

Jonathæ & Davidis amicitia.

IV. Poſt relatam de Gigante victoriam, juvenem caput hoſtis & enſem deferentem Abner ad Regem introduxit. Sciſcitavit autem illum Saul, cujas eſſet? Qui reſpondit, filium ſe eſſe Iſai Bethleemitæ. Porro primo illo congreſſu Jonathas Saulis filius, ſingularem Davidis virtutem demiratus, tanta eum benevolentia proſecutus eſt, ut in illum eodem, quo in ſe eſſet animo; cui etiam in amoris argumentum detractas ſibi veſtes, enſem, arcum, & baltheum dono dedit (*a*). Caput Goliath ſucceſſu temporis conſtitutum eſt Hieroſolymis, cum ea urbs a David ſubacta fuit, arma vero illius ſuſpenſa in Tabernaculo.

Saulis in Davidem invidia.

V. Choræis, muſiciſque inſtrumentis celebrantes Iſraelitarum feminæ relatam a Davide de Gigante victoriam obviam illi factæ canebant: *Saul percuſſit mille, & David decem millia* (*b*): quod juxta Hebræum apte redderetur: *Valet Saul pro mille, David vero pro decem millibus*. Hæc audiens Saul intimo invidiæ ſenſu contabuit, æquiſque oculis exinde Davidem nunquam aſpexit. In Aula illum tamen detinuit. Die ſequenti Saul conſueto mor-

(*a*) 1. Reg. XVIII. (*b*) 1. Reg. XVIII. 7.

morbi acceſſu agitatus, coram ſe cythara ludentem Davidem, haſta, quam præ manibus habebat, vibrata confodere tentavit. Declinato ab adoleſcente ictu, Rex in poſterum ſibi ab eo magis timens, ut illum ſub honoris ſpecie ab Aula deſtineret, 1000. virorum cuneo præfectum, ad bellum contra Philiſthæos miſit. Eunti autem, ut præmii ſpe vitæ diſcrimina alacrior, & incautior ſubiret, nuptias cum Merob filia ſua, natu majori, quæ ceteroqui Davidi, utpote Gigantis occiſori debebatur, pollicitus eſt; quem quidem honorem David ingeſta ſuæ familiæ vilitate pluribus extulit. Sed utrumque ſpes fefellit; Saulem, quod David virtute & prudentia ſua ab omni diſcrimine ſe ſe incolumem reduceret; Davidem vero, quod promiſſis ſibi Merob nuptiis Hadriel Molathites potitus eſt.

David uxorem ducit Michol, per quam a diſcrimine liberatur.

V. Michol, altera Saulis filia, Davidis amorem ambire videbatur: quod patri haud inviſum accidit, quippe qui eam ſibi occaſionem exhiberi crederet, ut virum hoſtibus expoſitum perderet. Submiſſis igitur viris, clam animum ipſius ad illas nuptias diſpoſuit. David imparem ſe genere, & divitiis tanto honore iterum profeſſus eſt; cui Rex renunciari juſſit, nullam ſe dotem pro filia petere (viri pro uxoribus tunc temporis dotem perſolvebant); velle tantum ut pro dote centum præputia Philiſthæorum daret, quo ſibi & ultionem, & quietem de hoſtibus pareret. Ille conditione accepta, brevi ducenta hoſtium præputia ad Regem deferens, nuptias quidem ab

illo invito licet extorſit, ſed in ſuſcepto con-ſilio necem ſibi moliendi etiam atque etiam confirmavit; a quo tandem, Jonatha auctore, cui, ut & reliquis Magnatibus propoſitum ſuum communicaverat (*a*), Rex revocatus eſt; ſed paulo poſt ad ingenium rediit, cum enim revixiſſet cum Philiſthæis bellum, & David magna illis cæde illata, ceteros in fugam vertiſſet, Rex conſueto invidiæ morbo agitatus, lyra canente coram ſe Davidem iterum transfodere conatus eſt. Ille vero ictum declinans, domum ſe recepit, quam Saul militibus cuſtodiendam præcepit, ut Sole exoriente caperetur. Verum Michol viro clam e feneſtra demiſſo, ſimulacrum quoddam, cui ex hædino vellere caput conſarcinaverat, in lecto compoſuit. Miſſi igitur mane apparitores, ut Davidem adducerent, ægrum in lecto detineri ab uxore audierunt; quo accepto nuncio, Saul juſſit vel decumbentem adduci. Euntes regii miniſtri, pro Davide inſperato ſimulacrum deprehenderunt; cujus doli culpam omnem Michol apud Patrem, qui ea de re conquerebatur, in Davidem falſo refudit, quaſi mortem minitatus fuiſſet, ni pareret.

David ad Samuelem confugit. Saul inter Prophetas prophetat. David & Jonathas fœdus ineunt.

VI. David fuga elapſus, Samuelem in Ramatha adivit, narratiſque Prophetæ omnibus, ambo in proximam urbem Najoth ad Prophetarum cœtum diverterunt. Florebat ibi Aſceterium quoddam, ubi filii Prophetarum, nempe diſcipuli ſub præceptoribus, quorum Princeps erat Samuel in pietate, ſtudio, & con-tem-

(*a*) 1. Reg. XIX.

templatione divinæ Legis informabantur. Illuc continuo Saul, certior ea de re factus, ſatellites capiendo juveni miſit; qui tamen ſimul ac Prophetarum limina attigerunt, inſueto prophetandi æſtro abrepti ſunt. Idem ſecundis a Saule miſſis, idem tertiis contigit; ipſique demum idem Sauli, qui quartus venit: cœpit enim abjicere veſtes, ſaltare nudus, agitari, prophetico eloquio uti, laudare Deum; adeo ut iterum dictum ſit: Num & Saul inter Prophetas? Vix tamen Saul venit in Najoth, cum moram hanc minus ſibi tutam intelligens David, ſtatim ſe præripuit, atque ad Jonatham in Gabaam ſecreto profectus, malum cum eo in ſe Regis animum conqueſtus eſt (*a*). Jonathas lenioribus verbis amicum ſolatus, monuit, ut in agro apud lapidem Ezel lateret, donec ipſe animo Saulis explorato, quid facto opus eſſet, intra triduum ſagittarum ictu indicaret: Si, ait, puero ad colligendas ſagittas eunti me dicentem audias: *Sagittæ intra te ſunt, tolle eas*: reditum tibi tutum reputabis. Sin autem dicam: *Sagittæ ultra te ſunt*: fuga tibi conſulendum ſcias. Dum hæc condicerent, ab utroque ſibi, ſuiſque familiis juratum eſt perpetuum amicitiæ fœdus; qua occaſione Jonathas futurum Davidis Regnum indicavit, eam illi felicitatem imprecatus, quæ exordia Regni patris ſui proſpera effecerat (*b*). Mane igitur Rege pro more menſæ aſſidente una cum Jonatha, & Abner, conſuetus Davidis locus vacuus apparuit; nec

ta-

(*a*) 1. Reg. xx. (*b*) 1. Reg. xx. 13.

tamen ejus rei cauſam Rex ſciſcitatus eſt, ratus fortaſſe impuritatem illum aliquam contraxiſſe, qua a celebrandis Kalendis (tunc enim menſis Kalendæ recurrebant) prohiberetur. Sed cum altera die locus iterum vacuus Davidis cerneretur, Sauli de illo quærenti reſpondit Jonathas, ſe illi eundi in Bethleem ad offerendum Domino Sacrificium facultatem feciſſe. Tunc Rex furore in Jonatham æſtuans, filium proſtitutæ appellavit, arreptaque lancea illum transfodere minitatus eſt. Malam Regis voluntatem in Davidem Jonathas ſatis intelligens, mane ſequentis diei agrum, ubi amicus erat, adivit, emiſſiſque ſagittis admonuit armigerum, ut illas quæreret. Cum autem puer non longe eſſet ab illis, clamavit Jonathas: *Sagitta ultra te eſt*: quo indicio juxta condictum intellexit David, ſibi fugiendum eſſe. Armigero tamen cum arcu, & pharetra domum reverti juſſo, Jonathas ſolus cum Davide collocutus, de ſtatuta a Rege morte monitum, priſtinaque amicitia iterum juramento confirmata, lugens lugentem dimiſit.

David in Nobe panes ſanctificatos & Goliæ gladium accipit.

VII. David Nobem, quo Tabernaculum translatum fuerat, ad ſummum Sacerdotem Achimelech divertit, cauſatuſque ſe urgente Regis negotio miſſum, neque armis, neque commeatibus providiſſe, utraque ab illo quæſivit (*a*). Porro ſtupente Sacerdote, cur ſolus veniſſet, reſpondit David, ſuos ad condictum locum expectare juſſiſſe. Tunc Achimelech, pro-

(*a*) 1. Reg. xxI.

prophanos panes ſe non habere dixit, ſed tantum panes ſanctificatos, ſeu panes propoſitionis; quos tamen tribuam, ait, ſi ſocii tui mundi ſint, præcipue a mulieribus. Tunc David: Quod ad mulieres attinet, tribus ab hinc diebus nos continuimus; ſi autem quidquam aliunde immundum ſit, expiari curabo, priuſquam panibus utamur. Gladium deinde Goliath, quem David ipſe Domino conſecraverat, quique panno involutus poſt Ephod pendebat, conſulto antea oraculo, accipere permiſſus eſt. Poſt hæc David ad Achis Regem Geth confugit (*a*).

David in Geth apud Achis inſanum ſe ſimulat. Inde ad Moab fugit.

VIII. Familiares Achis graviſſime ferentes adventum tanti viri, eum ſtatim monuerunt, illum ipſum eſſe, quem Iſaelitæ Regis loco haberent, & de quo filiæ Iſraelis cecinerant: *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Quare David vitæ ſuæ metuens, inſaniam coram Philiſthæis ſimulavit, inter ipſorum manus dilabans, atque in portas impingens, ſalivamque per barbam dimittens. Achis miniſtros objurgavit, quod hominem inſanum ad ſe adduxiſſent, inſanorum, qui in urbe eſſent, numerum augentes. Dimiſſus ergo David Odollam petiit (*b*). Illuc congregatis ad eum patre, & matre, fratribus, cognatis, aliiſque, quos egeſtas, perſecutio, atque æs alienum premebat; 400. militum collecta manu ad Regem Moab venit, cui ſe, ſuoſque credidit; ubi tamen ſubſiſtens, monitu Gad Prophe-

(*a*) 1. Reg. XXI. 10. (*b*) 1. Reg. XXII.

phetæ in ſaltum Hareth ditionis Juda ſe contulit.

Deog juſſu Saulis Sacerdotes Nobe interficit.

IX. Hæc cum ad Saulem relata fuiſſent, cœpit ille conqueri coram miniſtris ſuis, nullum eſſe ex illis quanquam gentilibus ſuis, & de ſe benemerentibus, qui calamitatibus ſuis tangeretur, nec eorum, quæ adverſus ſe a rebellantibus Davide, & Jonatha gererentur, ſaltem moneret. Aderat inter illos Doeg Idumæus, cui mulorum Saulis cura demandata erat, quique fuerat in civitate Nobe, dum illo David venit. Is omnia, quæ inter Davidem, & Achimelech acciderant, nuntiavit. His auditis, Saul Pontificem, cunctoſque Sacerdotes quæri, & ad ſe venire juſſit. Cum veniſſent, Achimelech interrogavit, cur adverſus ſe conjuraſſet, panes & enſem Davidi præbendo, & Dominum pro illo conſulendo? Reſpondit Achimelech: Quis inter ſervos tuos tibi fidelis eſt æque ac David? Saul excuſationem omnem contemnens, mortem illi, & domus exterminium denuntiavit. Inde miniſtris innuit, ut in Sacerdotes Domini irruerent. Quibus juſſa facere renuentibus, Saul Doego imperavit, ut omnes Sacerdotes interficeret. Hic præcepto parens quinque & octogenos viros, lineo Ephod indutos, interfecit. Deinde eamdem ultionem ad Nobe incolas prorogans Rex, omnes, ne feminis quidem, & pueris lactentibus ac beſtiis exceptis, delendos injunxit. Abiathar tamen filius Abimelech fuga internecionem declinans ad David divertit, ſummi Pontificatus inſignia ſecum deferens

rens (*a*). Multorum fert opinio, Davidem in ipſum Doegum Pſalmum illum pronunciaſſe, qui incipit: *Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris ſuper me apertum eſt* (*b*): quemque Petrus in Judam Chriſti proditorem derivavit (*c*).

X. Inter hæc Philiſthæi facta in regione Hebræorum irruptione, meſſem Ceilæ diripere aggreſſi ſunt. David Dominum per Abiatharum conſuluit, num hoſtes invaderet (*d*). Annuit Dominus, victoriamque promiſit: ſed timorem nihilominus ſuum Davidis milites palam profeſſi ſunt. Si parum tutus (dicebant) eſt nobis hic ſaltus, & loca Hareth ſecreta, quid, ſi petierimus Ceilam, quam Philiſthæorum exercitus obſidet? Iterum igitur David ad Dominum, militibus forte præſentibus, iterumque ille, ut dimicaret, edixit. Abiit ergo David contra Philiſthæos, quibus fractis fugatiſque, Ceilam liberavit. Saul his auditis, protinus Ceilam venire decrevit, ratus poſſe occupata urbe David potiri. Peſſimum Regis animum intelligens David, de more per Abiatharum a Domino quæſivit, an tuto Ceilæ ſubſiſteret? Oraculum autem reſpondit futurum, ut viri Ceilæ Davidem traderent, & Saul ipſum in poteſtatem haberet, ſi tamen in ea urbe maneret, & ſat ſpatii Regi daret, ut eo veniret. Fugit ergo in ſolitudinem Ziph, quo ſecreto deveniens Jonathas, amicum conſolatus, ipſum Iſraelis Regem, ſeque ei

David Ceilam liberat. Quæſitus autem a Saule deſerta petit.

(*a*) 1. Reg. XXIII. 6.
(*b*) Pſal. CVIII.
(*c*) Act. 1. 20.
(*d*) 1. Reg. XXIII.

ei ſecundum futurum, quod & patrem non latebat, prædixit: iterumque renovato fœdere alter ab altero diſceſſit. Cum autem intellexiſſet David, Ziphæos Regi obſequentes, ſibi inſidiari, in deſertum Moab dilapſus eſt; quo Saul exercitum ſtatim duxit, nec David effugiſſet, niſi Rex audita ſubita Philiſthæorum incurſione, copias in illos avertere coactus eſſet. Huic loco nomen, *Petra dividens*, datum eſt.

David fruſtulum Clamydis Saulis abſcidit.

XI. Eo vitato periculo, David in deſertum Engaddi ſeceſſit; at Saulem a tergo inſequentem cum exercitu trium millium virorum, jam imminere ſubodoratus, in vaſta ſpelunca cum ſuis 600. ſodalibus delituit: quam etiam Saulem ingreſſum, ut ventrem purgaret, ora clamidis furtim præciſa, intactum abire permiſit, licet ſocii contraria omnia & illi ſuadere conarentur, & per ſe ſe in Regem vellent tentare (*a*). Occupatus deinde David ſenſibus, quos Religio, & obſequium in ſacram Principis perſonam ſuggerebant, facinus illud ſuum, cæſa veſtis regiæ particula, perinde ac audax aliquod, & temerarium molimen judicavit. Egreſſo ab ſpelunca Regi, atque iter proſequenti, & ipſe egreſſus poſt tergum clamavit, ſimulque clamydem innocentiæ ſuæ teſtem, atque optimi in Regem animi argumentum, ad illius pedes accidens, oſtendit, addens, nihil ſe gravius, cum facere poſſet, in Unctum Domini tentare voluiſſe. Saul tantam viri virtutem admiratus, non ab injuria ſo-

(*a*) 1. Reg. XXIV.

ſolum abſtinuit, ſed obortis lacrymis crimen de indicta in illum perſecutione profeſſus, ipſum ſacramento adegit, ne poſt acquiſitum Iſraelis Regnum, in domum ſuam quidquam moliretur. Inde Rex domum ſuam, David ad tutiora ſe ſe recepit.

ANNO MUNDI 2947. ante Chriſtum 1053. *Samuel moritur.*

XII. Per id temporis Samuel 98. annis natus diem clauſit extremum, ejuſque funus univerſus Iſrael lugens, defunctum corpus Ramathæ in domo ipſius ſepulturæ mandavit (*a*). Iſraelem ante Regnum Saulis judicaverat 20. annis; poſt regnum vero Saulis ad 38. ulteriores annos vixit. Samuelis lipſana e Palæſtina Conſtantinopolim ſub Arcadio translata ſunt, teſte D. Hieronymo (*b*). Veterum plures honorem, & dignitatem ſummi Sacerdotis, nullis ſatis firmis argumentis, tribuerunt. Convenit enim inter omnes, ipſum Levitici tantum ordinis fuiſſe. Sacerdotium autem uni Aaronicæ familiæ reſervatum fuiſſe, non ambigitur. Samuelem ſacris operatum fuiſſe, non negamus; ſed præterquam quod non omne Religionis exercitium ſummum Sacerdotem indicat; id quod præſtitit, nonniſi ex ſpeciali Dei diſpenſatione præſtitiſſe, putandum eſt. Libri Judicum, & Ruth, ac duo Regum priores a nonnullis Samueli tribuuntur; ſed integer ſecundus, atque primus poſt caput 24. res poſt ejus obitum geſtas proſequens, alium ſane auctorem arguunt.

Nabal

(*a*) 1. Reg. xxv.
(*b*) Hieron. contra Vigilant.

Nabal Davidem irritat, quem placat Abigail. David fugit ab Achim. Sedes illi in Siceleg. Bellum Philiſthæum in Iſraelitas. Samuelis apparitio. Saul ſe ſe occidit, cui juſta Jabitæ perſolvunt.

CAP. XVI.

ANNO MUNDI 2947. ante Chriſtum 1053.

Davidis in Nabalem ira.

I. DAvid ſibi a Saule cavens, relicto deſerto Maon, in ulteriora Arabiæ Petreæ, uſque ad deſertum Pharan, inter montes Juda, & montem Sinai porrectum, venit (*a*). Hic erat mons Carmelus, Carmelus, inquam, alius a Carmelo ad Mediterraneum, inter Doram & Ptolemaidem ſitus. In monte hoc Nabal vir ditiſſimus quidem, ſed & ſtultiſſimus de Tribu Juda ex progenie Caleb, multis abundabat gregibus. Cum ibi verſaretur David, diligentiſſime curavit, ne ea quæ Nabalis erant, a ſuis militibus læderentur; quin ii ejus paſtoribus ſæpius opem tulere. His David fidens meritis, ut audivit Nabalem ad Carmelum tondendis gregibus iviſſe, miſit ad eum decem juvenes, qui verbis ſuis ſalutatum rogarent, ut quidquam Davidi & ſociis, ob collata illi beneficia, & præcipue tempore, quo domus illius tota lætitia redundabat, impertiretur. Hos Nabal vacuos inofficioſe remiſit, addenſque repulſæ probrum, Davidem natalium obſcuritate notavit, ac ſervum, transfugam, Regique ſuo rebellem non ſecus

(*a*) 1. Reg. xxv.

ſecus ac milites ſuos, pleno ore compellavit. Cum talia audiſſet David, primo iræ impetu univerſæ Nabalis domus, ne exceptis quidem canibus, exterminium jurejurando decrevit. Statimque e loco movens cum 400. militibus in Nabalem properavit, aliis 200. ad ſarcinas relictis. Hæc inter famulus Nabalis de iis, quæ contigerant, Abigailem heri uxorem, mulierem pari prudentiæ, & pulchritudinis laude conſpicuam, monuit. Nec mora: Abigail cibaria plurima Davidi munera præmiſit, cui & ipſa aſinum conſcendens, inſcio Nabale, obviam progreſſa, ſuis verbis ita illius animum emolliit, ut viro ſuo veniam impetrarit. Quin David ipſe gratias Deo egit plurimas, quod per mulierem illam cæde, quam inconſulto ſacramento promiſerat, abſtinuerit.

Nabale obeunte David Abigailem uxorem ducit.

II. Ad Nabalem Abigail reverſa, ipſum domi ſuæ ſplendido ſatis convivio aſſidentem invenit, qui hilarior erat, & eo uſque biberat, ut ebrius fieret. Nihil tunc conjugi aperuit uxor de iis, quæ geſſerat; ſed mane proximo, poſtquam dormierat, ea omnia nuntiavit; quibus auditis ita concidit animis, ut decem poſt dies interierit. Quod cum audiſſet David, benedixit Domino, quod convicium ſibi a Nabale illatum ultus fuiſſet; oblatiſque Abigaili nuptiis, eam in conjugem accepit. Antehac tamen aliam duxerat uxorem, Achinoam ſcilicet, ex qua Ammonem filium habuit. Interea Saul Micholem, Davidi nuptam, cum Phalti, alio nomine Phaltiel, fi-

lio Lais e Gallim, contra jus & fas omne, novo conjugio copulavit.

David haſtam & ſcyphum Saulis dormientis ſurripit.

III. Verſante Davide in colle Hachila, Ziphæi locum Sauli indicarunt, nec ille ſegnior ſtatim cum 3000. adfuit. David una cum Abiſai Sarviæ ſororis ſuæ filio, noctis favore in caſtra, & in tentoria Saulis irrepens, omnes ſomno oppreſſos invenit (*a*). Abiſai Regem jugulare parabat, ſed ipſum compeſcuit David, jubens tamen, ut lanceam, & aquæ ſcyphum, pulvinari dormientis impoſitum, ſurriperet, quo oſtenderet illius vitam a ſua voluntate dependiſſe. Inde in adverſum collem evadens, edito clamore, Abnerum exercitus Ducem admonuit, quod excubias Regi adeo ſegniter ſervaſſet, ut via ad regium tentorium ad ſurripiendam haſtam & ſcyphum furibus patuiſſet. Simul autem Regi, qui vocem illius experrectus audierat, oſtendit, nihil eſſe, cur obſequentem, atque amicum ſibi virum tantopere perſequeretur. Addidit etiam: Si te Deus in me incitat, vota tua impleat, & ut gratum ſit illi hoc Sacrificium, opto; ſi autem ab hoſtibus meis incitaris, dira omnia illi provocent ſuper caput ſuum, qui in eam neceſſitatem me induxerunt, ut pene cogar, a Dei Tabernaculo remotus, Idola venerari. Rogo te, Domine, ne manus tuas ſanguine meo polluas; ultorem enim nanciſcar Dominum, quem innocentiæ meæ teſtem do. Mitte qui lanceam tuam

(*a*) 1. Reg. XXVI.

tuam recipiat . Saul ad hæc, Davidi bene precatus, domum rediit.

David urbem Siceleg ab Achis accipit. Doloſæ Davidis artes.

IV. David leve Saulis ingenium metuens ad Achim Geth Regem confugit, apud quem paucis ante annis vitæ diſcrimen vitandi gratiam ſtultum egerat. Veroſimillimum eſt, ad Regem hunc non prius rediiſſe Davidem, quam per præmiſſos legatos ſecuritatis ab eo ſponſionem acceperit. Achis igitur optime virtutem Davidis agnoſcens, ſcienſque cauſas amari animi, quem cum Saule habebat, ipſum ſexcentoſque qui illum ſequebantur, cum eorum uxoribus, & filiis in Civitatem Geth accepit (*a*). Poſtquam aliquandiu inibi commorati ſunt, David petivit a Rege, ut aliquam ſibi urbem decerneret, neque enim par eſſe dicebat, ut ipſe Regis ſervus in regia civitate moraretur. Annuente Rege habuit Siceleg pro ſe, ſuiſque domicilium; quæ civitas ad Regum Juda ditionem, Davidis ſucceſſorum, deinde tranſivit. Ex ea urbe in regiones Amalec, Geſſur, & Gerzi, excurrens, viros, & feminas omnes interficiebat, ne ubi bellum gereret, quis indicaret. Regi autem, ſe regiones Juda, Jerameel, & Ceni excurriſſe, quaſque illis deferebat prædas, inde abſtuliſſe, mendacio quidem non probando, prædicabat. His artibus deceptus Achis, dicebat, tot Davidem in populum ſuum mala intuliſſe, ut nunquam ad illos ſit rediturus. Quin parantibus armis in Iſraelitas Philiſtæis, Achis Davidi imperavit, ut ſe ad bellum ineundum in-

(*a*) 1. Reg. XXVII.

inſtrueret, cum illius fidei, vitæ ſuæ cuſtodiam decreviſſet committere (*a*). Cui David: *Scies, quæ facturus eſt Servus tuus*: quo incerto verborum circuitu nil aliud facile intelligebat, quam quod gentis ſuæ partes, relictis Philiſthæis propugnaturus eſſet, vel otioſus inter utroſque manſurus. Qua pariter in re David Achis amicitiæ & liberalitati non ſatis reſpondiſſe videtur.

David ab Achi dimittitur.

V. Philiſthæis igitur ad civitatem Aphec, in campo magno, ſeu in valle Jezrael ſitam, progreſſis, David cum Achis Rege, & ſuis agmen claudebat (*b*). Sed Principes Philiſthæorum Regi dixerunt, ut Hebræos ac Davidem expelleret, timere enim ſe, ne in prælio contra Philiſthæos arma vertens, ſanguine ipſorum Saulis amicitiam ſibi conciliaret. Achis igitur Davidi ſignificavit, nihil ſe habere, quod illum objurgaret, ſed, cum Satrapis non placeret, præcipere, ut regrederetur. Ea miſſione ab ancipiti periculo David liberabatur, ſive ſcilicet arma in populum ſuum ferendi, ſive datam Achis fidem infringendi. Ingratiſſimam tamen illam ſibi eſſe ſimulans, Regem quid feciſſet, interrogavit, quod a bello moveretur. Et Achis: Quod ad me attinet, ego te veluti Angelum Dei habeo; ſed Principes Philiſthæorum nolunt, te cum ipſis bellum gerere. Receſſit igitur, poſtquam ſubſtitit in Geth quatuor menſibus, in Siceleg autem ferme biennio.

VI.

(*a*) I. Reg. XXVIII. (*b*) I. Reg. XXIX.

VI. Dum ibi verſaretur acceſſerunt triginta viri ex Tribu Benjamin, Juda, & Gad, qui fortitudine, & vultus terrore leones, pedum autem velocitate capreas imitarentur (*a*). David illos conſpicatus, Si mihi, ait, opem ſincere laturi eſtis, felix fauſtuſque ſit adventus veſter, meumque cor veſtro jungatur; ſi vero mihi pro adverſariis meis inſidias tenditis, judex ſit inter me & vos Deus, cum puras innocenteſque habeam manus. Tunc Amaſai unus ex illis: Tui ſumus, inquit, & tecum, o David. Pax tibi, & fautoribus tuis, te enim adjuvat Deus. David hos exceptos copiis aliquot præſecit.

Viri Juda & Benjamin ſe ſe Davidi jungunt.

VII. Poſt diſceſſionem ab Aphec tertia die David Siceleg regreſſus, eam direptam ab Amalecitis invenit, qui tamen cives omnes ſervaverant, vel ut venderent, vel ut in ſuum uſum haberent (*b*). Hæc videntes milites tandiu fleverunt, quandiu lacrymarum fons non exaruit. Nec diſſimilia præſtitit David, cui geminæ uxores Achinoa, & Abigail una cum populo univerſo captivæ abductæ fuerant. Parum autem defuit, quin a ſuis lapidaretur, ceu malorum cauſa, cum & provocaſſet in ſe Amalecitas. Dum Achi ſerviret, & vacuam defenſorum urbem reliquiſſet. His preſſus anguſtiis nequaquam deſpondit animis, ſed vocans Abiatharum, ait illi: *Applica ad me Ephod:* hoc eſt, indue me veſte illa ſacra, ut ego per Urim & Thummim conſulam Dominum. Ita interpretantur qui cenſent ritum illum

David trucidatis Amalecitis Siceleg liberat.

(*a*) 1. Paral XII. (*b*) 1. Reg XXX.

illum conſulendi per Ephod cum Regia dignitate conveniſſe. Sed plerique, quibus accedere malo, docent, Davidem imperaſſe hic tantum Abiatharo, ut indutus Ephod, Dominum interrogaret. Quare laudatis verbis hunc tribuunt ſenſum: Induere pro me, vel, os verte ad me, ut ſcilicet nitore gemmarum Ephod, Dei voluntatem diſcam. Conſultus Dominus victoriam promiſit. His auditis, ſtatim iter in Amalecitas ſuſcepit, ſuis 600. militibus ſtipatus, ex quibus tamen 200. ad torrentem Beſor ſubſtitere, quod laſſi illum tranſvadare nequirent. Accidit opportune, ut nanciſcerentur quemdam Ægyptium ſervum, quem herus Amalecites ægritudine fatiſcentem in via reliquerat; is enim adductus ad Davidem, poſt acceptam ab eo de ſervanda ſibi vita fidem, omnia, quæ ab Amalecitis geſta fuerant, & locum, quo ſe ſe illi receperant, indicavit. Nec mora, iter proſecutus, inopinato Amalecitis comeſſantibus atque epulantibus, diemque quaſi feſtum ex præda agentibus, ſupervenit, omneſque oppreſſit, præter 400. juvenes, qui conſcenſis camelis fuga ſibi conſuluerant. Nedum redemptum eſt quidquid ad Iſraelitas ſpectabat, uxores, filii, greges; ſed & ingens ſpoliorum copia ex hoſtibus relata fuit, quam præmiſerunt pompæ triumphali ante ſe Iſraelitæ, cecineruntque veluti epicinium: *Hæc eſt præda David*. Regreſſus David ad 200. illos milites, qui cum torrentem Beſor tranſgredi non valerent, ibi ceterorum ſarcinas cuſtodire juſſi fuerant, prædam ex

æquo

æquo inter eos, & qui manus conſeruerant, diviſit, licet nonnulli hæc ægre ferrent. Quo facto priſtinum robur Legi, hujuſmodi diviſionem præcipienti (*a*), David confirmavit; qui etiam miſit munera Senioribus Juda, nullumque locum ex iis, a quibus, fugiens Saulis perſecutionem exceptus fuerat, ſeu beneficii aliquid retulerat, indonatum præterivit.

VIII. Interim Philiſthæi ex Aphec verſus Sumam progreſſi, in Jezraele tandem caſtra locaverant. Iſraelitæ montem Gelboe occupabant. Cum autem hoſtium undique glomerantium terrore Saulis animus concidiſſet, Dominum conſuluit per Somniatores, per Sacerdotes, & per Prophetas, ut illius voluntatem, & futura arcana aſſequeretur. Silente autem Domino, feminam quamdam Pythoniſſam, familiari nempe Spiritus conſuetudine utentem, quæ mortuos evocare ferebatur, adire diſpoſuit. Cum autem latis antea edictis juxta Moyſis ſanctionem (*b*) Rex Magos, Ariolos, Incantatores, ceteroſque hujus furfuris homines e ditione Iſraelis extorres egiſſet; ſimulato habitu, atque privato comitatu in Endor pergens, feminam illam convenit, flagitavitque, ut futuros eventus ſibi revelaret, ac mortuum, quem ipſe maluiſſet, e ſepulcro evocaret. Cui mulier: Tu certe huc veniſti, ut morti, quam in divinatores Saul indixit, me ſubjiceres. Negantem Regem interrogavit, quem excitari juberet. Et ille, Samuelem. Ad primas excantationes Samuel ante feminæ oculos ver-

Samuel Sauli apparet.

(*a*) Num. xxxi. 27. (*a*) 1. Reg. xxviii. 3.

ſans veneficam terruit; quæ ingenti edito clamore, ad Regem verſa: Cur, ait, ementitis veſtibus impoſuiſti mihi? Saulem te novi. Rex bono eſſe animo jubens, quidnam vidiſſet, quæſivit. Vidi, inquit illa, deos e terra prodeuntes. Hebræus habet *Elohim*, quod redditur, Deus, Angelus, Judex. Requiſita iterum de oris habitu, & de veſte, ſeniorem & pallio velatum ſignificavit; quo Rex indicio Samuelem agnoſcens, ad terram uſque proſtratus adoravit. At ille inviolatam ſepulcri requiem turbatam fuiſſe conqueſtus eſt. Cui Saul, ſe in ea, in qua verſabatur, temporum difficultate, ſilente Oraculo, ejus feminæ artibus ad ipſum excitandum uſum fuiſſe. Tunc Saul pronunciavit, imminere jam tempus, quo divinæ ultionis iræ de Regno ipſi auferendo, atque æmulo tradendo, explerentur. Sciret proinde alteram diem ipſi, ejuſque filiis fatalem, cædis vero, & fugæ Iſraelitis futuram. Tot malorum timore, ſimulque totius diei inedia fatiſcens Saul, ſemianimis concidit. Laboranti ſuccurrens femina, ut cibi aliquid caperet, etiam atque etiam rogavit. Invitus igitur appoſitis dapibus refectus, nocturno itinere ad caſtra reverſus eſt.

Variæ de Samuelis apparitione ſententiæ.

IX. Gravis de hac Samuelis apparitione quæſtio veteres, recentioreſque in utramque partem ancipites verſat, utrum ſcilicet verus Samuel evocatus fuerit, an mulier callida cum Propheta colloquium ſimulans, Regis credulitate abuſa ſit. Quis autem hunc virum coram Saule deduxit? An ea fuerit carminum ma-

magicorum vis? An Deus nullo cogente, ipſe per ſe Samuelem ad colloquium miſit? An dæmon, qui ipſum Dei Filium in pinnaculo Templi conſtituit, in animam Samuelis imperium propagavit? Sunt qui dæmonem ſub Prophetæ ſpectro cum Rege collocutum crediderint. R. Levi-Ben-Gerſon nihil præter ludibria in mente Regis ex imminentium malorum terrore excitata credidit. Nos Samuelem Sauli vere apparuiſſe putamus, ope tamen, ac virtute Dei, qui juſta in Regem, præſtigia quærentem, pœna, ea data occaſione, Samuelem futura mala prænunciantem miſit. Ad Pythonem quod ſpectat, Pythii nomen Græci Apollini, anguis Pythonis interfectori, tribuunt. Cum vero Apollo divinationis Numen haberetur, quicumque futurorum oracula panderent, Pythonis ſpiritu afflati credebantur.

X. Saule ad caſtra regreſſo, cum Iſraelitæ in monte Gelboe ſe continerent a Philiſthæis aggreſſi ſunt (*a*). Primo autem impetu occiſis Saulis filiis Jonatha, Abinadabo, & Melchiſua, Iſraelitæ terga vertentes, deſerta pugna fugerunt. Hinc totum belli pondus in Saulem verſum, qui a ſagittariis jam ſauciatus, cum prope eſſet, ut in hoſtium manus veniret, armigerum ſuum oravit, ut ſtricto gladio ſe confoderet. Renuente illo, Rex ipſe in ſuum gladium irruens, ſibimet necem conſcivit, cujus exemplum ſtatim armiger imitatus eſt, totaque denique domus illius, famuli, cuſtodes corporis, domeſtici pariter cecidere. Au-

ANNO MUNDI 2949. ante Chriſtum 1051. *Saul & Jonathas intereunt.*

(*a*) 1. Reg. XXXI.

Audita hac clade nedum Iſraelitæ, qui trans vallem Jezrael, ſed & ii, qui trans Jordanem incolebant, ſibi metuentes, urbibus ædibuſque ſuis relictis fuga ſe præripuerunt, quorum ſedes Philiſthæis occuparunt. Victoriæ hujus Philiſthæorum appendix forte fuit Bethſan, quæ & Scitopolis (*a*).

Jabitarum in Saulem pietas.

XI. Altera ab inito certamine die, Philiſthæi ſpolia legentes, Saulem, ejuſque filios inter cæſos nacti, Regis quidem caput præcidentes in Templum Dagonis intulerunt, arma vero in Templo Aſtharoth dedicarunt, truncum tandem mænibus Bethſan ſuſpenderunt. Illatam Regis cadaveri, atque filiorum ipſius contumeliam cives Jabes Galaad indigne ferentes, noctis favore ad locum ſe contulere, abductiſque lypſanis in ſuam urbem regreſſi ſunt. Ibi conſtructa pyra, quod reliquum erat carnis abſumptum, oſſa vero in nemore juxta urbem tumularunt. Tota etiam hebdomada jejunio, & funere, benefico ſibi Regi, qui olim obſidione Naas Regis Ammonitarum eos liberaverat, parentarunt. Succedentibus annis juſſu Davidis oſſa Saulis in paternum ſepulcrum Gabaam translata ſunt (*b*). Quid de Saulis ſalute cenſendum ſit, non una eſt variorum ſententia. Rabbini ſane Regi favent, docentes, necis ſibi inferendæ in cauſa fuiſſe, quod metueret, ne ſi forte ſuperſtes ipſe in hoſtium manus incideret, Dei nomen indigne traduceretur. Scriptura tamen in poſtremis Saulis geſtis

(*a*) Calm. in 1. Reg. XXXI. 7.

(*b*) 2. Reg. XXI. 12.

ſtis nihil prodit, quod ejus pietatem commendet; quin de æterno illius exitio apertiſſimam videtur habere ſententiam. *Mortuus eſt Saul propter iniquitates ſuas..., qui non ſperavit in Domino* (*a*).

David damnato Amalecita, qui jactabat Saulem a ſe fuiſſe necatum, laudes Saulis & Jonathæ funebri cantico recenſet. Bellum inter Davidem & Isboſethum. Aſaelis mors. Davidis uxores & filii. Abner ab Isboſeth ad Davidem tranſit. Abneri, & Isboſethi mors.

C A P. XVII.

I. TErtia die poſt relatam a Davide de Amalecitis victoriam, ipſum in Siceleg verſantem quidam Amalecita, de nece Saulis & Jonathæ, deque Iſraelitarum fuga certiorem fecit, eique Regis diadema, & armillam offerens, mendacium plane glorioſum conſtruxit, ſe nempe Regem fruſtra loricato pectore haſtæ incumbentem, mortemque majori quo poſſet niſu quærentem, ne in manus appropinquantium hoſtium vivus incideret, ob idque opem ſuam implorantem, transfodiſſe (*b*). Veram mortis Saulis hiſtoriam a nobis ſupra relatam ignorabat David; quare affirmanti, nihil aliud percontatus, credidit. Eo autem nuncio, quo Regnum Davidi aſſervabatur, amplam ab eo mercedem ſe relaturum miſer ille ſperabat; ſed præmii loco ſtatim illum

Anno Mundi 2949. ante Chriſtum 1051.

Infauſtum Amalecitæ mendacium. Lugubre Davidis de Saule & Jonatha Canticum.

(*a*) 1. Par. x. 13. (*b*) 2. Reg. 1.

lum David trucidari juſſit, quod manus in Unctum Domini injicere auſus eſſet. Tantam cladem David, & qui cum ipſo erant, communi luctu excepere; ipſeque David lugubri cantico, cui nomen *Arcus*, Sauli, & Jonathæ juſta perſolvit. Invitat in eo Iſraelitas, ut etiam atque etiam conſiderent, quanta gloria ſublatis Principibus illis populus imminutus ſit. Prævidens autem ludibria, & probra, quæ memoriæ Saulis imminerent a Philiſthæis, quantoque plauſu mulieres illius gentis delatum ad ſe nuncium mortis inclyti Regis excepturæ eſſent, ſerio monet Iſraelitas, ut infortunium illud nunquam inter Philiſthæos deplorent. Dira deinde in montes Gelboe, quod paſſi ſint, Saulem Iſraelitarum clypeum, & tutamen in hoſtium manus venire, imprecatur poſtulans, ut nec rore nec aqua fecundentur, tantaque ſterilitate laborent, ut nullus ex fructibus eorum Domino poſſit offerri. Commendat Jonathæ ſagittam, parique laude effert Saulis gladium, quod nullus eorum ictus irritus ceciderit, quodque ſanguine, & adipe hoſtium ſe ſatiaverint. Nec præterit ſacrum mutui amoris vinculum, quo Principes illi aquilis velociores, fortioreſque leonibus, invicem obſtricti fuerant, ut ne in morte quidem ſeparari ſuſtinuerint. Provocat puellas Iſraelis ad luctum ob amiſſum Regem, qui nobiles & ſplendidas veſtes illis parabat. Tandem fatetur plus ſe amaſſe Jonatham, quam uxor maritum; & mater filios. Quod profecto promeruerat Jonathas, nihil enim liberalius

lius, nihil conſtantius, nihil ſanctius, ardentius nihil, quam ejus erga Davidem amor. Cum certus factus eſſet, deſtinari illum a Deo in Regem, rerum ſuarum ſtatim obliviſcitur, nihilque vel minimum molitur, quo æmulum ſuum excludat a Regno, quod ſibi alias debebatur.

David & Isboſethus regnant, alter Hebrone, in Mahanaim alter.

II. Poſt Saulis mortem cenſuit David veniſſe tempus, quo fides promiſſionum ſibi factarum impleretur, ſibique urgendum eſſe jus ad imperium Iſraelis, æmulos præveniendos, & in partem ſuam pertrahendos, cum gentiles ſuos, tum reliquas Hebræorum Tribus (*a*). Conſulto itaque Domino per Abiatharum, Hebronem venit, quo Iſraelitis e Tribu Juda convenientibus in Regem inunctus eſt. Cum autem intellexiſſet, Jabitas juſta perſolviſſe Sauli, per ablegatos ſuos illis gratias egit, ſpondens, Deum fidem illorum & conſtantiam, & gratam Saulis beneficiorum memoriam, digno præmio repenſurum. Bono etiam eſſe animo juſſit, cum in locum demortui Saulis ipſe, illorum amicus e Tribu Juda, electus eſſet. Hoc autem verborum officioſo apparatu eos ad ſe allicere volebat, ratus futurum, ut ſi illos Domui Saulis addictiſſimos ſemel adduceret, ut ſibi parerent, facile eorum exemplum ceteræ gentes ſequerentur. Molimina tamen hæc omnia Davidis irrita ciderunt. Nam Abner exercitus Saulis ductor in Mahanaim urbe Transjordanica ad torrentem Jaboc, Isboſethum, quartum Saulis filium,

40.

(*a*) 2. Reg. 11.

40. annis natum, qui fratribus ſupererat, Regem ſalutandum curavit, cui Jabitæ ſe ſe inter ceteros aliarum a Juda Tribuum Iſraelitas, primo addixerunt (*a*).

Singulare inter utriuſque Regis juvenes certamen.

III. Biennio Isboſethus regnaverat quietus ſuper undecim Tribubus, cum Abnero placuit movere e Mahanaim, tranſmiſſoque Jordane cum exercitu Gabaonem venit, cui ſtatim Joab exercitus Davidis dux occurrens, copias ſui Principis oppoſuit, ne in ditionem illius hoſtis penetraret. Utriuſque exercitu diutius perſeverante in conſpectu, nihilque moliente, Abner propoſuit Joabo ludum quemdam militarem, certamen ſcilicet inter paucos ex agmine utroque delectos. Annuit Joabus; quare duodeni ex Tribu Benjamin juvenes pro parte Isboſethi, totidemque ex Juda pro parte Davidis ſteterunt in acie; apprehenſoque unuſquiſque adverſarii ſui capite, mutuis vulneribus confoſſi ſimul omnes ceciderunt. Locus certaminis dictus deinde fuit *Ager Robuſtorum in Gabaon*. Vix autem abſoluta illa pugna, ſtatim exercitus in durum viciſſim prælium exarſerunt; ſed tandem Abner terga vertere compulſus eſt.

Aſaelis interitus.

IV. In eodem prælio tres filii Sarviæ, Davidis ſororis adfuerunt: Joabus, de quo huc uſque, Abiſai, & Aſael; quorum poſtremus curſu citiſſimus, veluti montana capra fugientem Abnerum pertinaciter perſequebatur. Abner, qui nolebat ſibi infeſtum reddere illius fratrem Joabum, quocum privatam tuebatur ami-

(*a*) Vide Calm. in 2. Reg. 11. 8.

amicitiam, conatus eſt alio Aſaelem avertere, ſuadens, ut ſi pedem referre nollet, niſi ſpoliato prius aliquo ex hoſtibus, aggrederetur primum, quem obviam habuiſſet militem, ſpoliaretque. Deſine, addebat, deſine me inſequi, ne cogar te interficere. Sed ut vidit nihil ſe monitis proficere, averſa haſta ipſum confodit. Pergentibus vero Joab & Abiſai perſequi uſque ad Solis occaſum Abnerum, hic congregatis circa ſe ſuis, ad Joabum verſus, dixit, ceſſaret a ſanguine & cæde, periculoſum quippe eſſe hoſtes in ultimam deſperationem adigere. Dicenti Joab acquievit, reductiſque copiis, fugientem dimiſit. Ea die decem & novem, excepto Aſaele, deſiderati ſunt ex Tribu Juda, quæ partes Davidis fovebat; ex iis autem, qui pro Isboſetho belligerabant, tercenti ſexaginta. Abner rediit ad Isboſeth Mahanaim, Joab vero ad Davidem in Hebron; qui fratrem ſuum Aſaelem paterno ſepulchro in Bethleem condidit. Poſt hoc bellum ſpatio quinque annorum cum dimidio inter duos Regni Iſraelitici æmulos varie decertatum eſt. Circumſtantias præliorum omnes ſilet Scriptura, illud ſolum referens, quod ſcilicet per ea res Davidis augebatur, Regno Isboſethi e contra in dies decreſcente (*a*).

V. Porro Davidis domus non minus victoriis, quam filiorum numero firmabatur; nati ſunt enim illi in Hebrone ſex filii, ſcilicet Ammon primo genitus ex Achinoam; Cheleab, alio nomine Daniel, ex Abigail; Abſalon *Domus Davidis natorum numero firmatur.*

(*a*) 2. Reg. III.

lon ex Maacha filia Tholmai Regis Geſſur; Adonias ex Aggith; Saphatia ex Abital, & Jethraam ex Egla. Puellam quoque nomine Thamar peperit illi Maacha Abſalonis mater. Merob nunquam in thorum adſcita eſt, cum Davidi deſponſam alteri eam Saul tradiderit. Ex Michole nullos ſuſcepit liberos. Octo hiſce uxoribus decem poſtea addidit concubinas, quæ quibuſdam tantum ſolemnitatibus ab illis differebant. Verum has nonniſi poſt electam in Regni ſedem Jeruſalem accepit; quo tempore procreavit undecim filios, quorum nomina, Samua, Sobab, Nathan, Salomon, Jebahor, Eliſua, Nepheg, Japhia, Eliſama, Elioda, & Eliphaleth (*a*). Septuaginta Interpretes alios novem recenſent. Polygamia apud Judæos tunc tolerabatur; Moyſes autem tantummodo prohibuit, ne Rex magno numero uxores adſciceret, non vero moderato (*b*). Fortaſſe David multiplici connubiorum numero familias gentis ſuæ potentiſſimas ſibi devincire, alienoſque Reges in ſuas partes pertrahere moliebatur.

Abner Iſboſetho indignatur. VI. Abner ab Isboſeth reprehenſus, quod concubina quadam Saulis abuſus fuiſſet, vel in uxorem duxiſſet, vehementer iratus, reſpondit, beneficia in illum ſua tanta fuiſſe, ut propter uſurpatam feminam argui non poſſet (*c*). Sciret propterea ſe exinde operam daturum, ut univerſum Iſraelis Regnum ad Davidem, cui ex Dei promiſſione debebatur, devol-

(*a*) 2. Reg. v. 13.
(*b*) Deut. XVII. 17.
(*c*) 2. Reg. III. 8.

volveretur. His auditis, Isboſeth nihil reſpondit, eo quod Principis hujus imbecillior eſſet auctoritas, quam ut audaciam Ducis ſui cohiberet, crimenque puniret.

Abner Davidis partes ſequutus occiditur, cujus laudes celebrat David.

VII. Abner igitur nuntios ad Davidem miſit, qui renuntiarent, Iſraelis imperium ſe illi collaturum, modo ille ſe inter amicos recenſeret. David aſſenſit, ea tamen conditione, ut uxorem ſuam Micholem, a Saule Phalthi datam ad ſe prius reduceret. Reputabat David, familiæ Saulis ſtudioſos promptius adducendos eſſe, ut Regem ſe ſe agnoſcerent, ſi filiam illius uxorem haberet. Ut autem hæc facilius promoverentur, Micholem ab ipſo Isboſetho per ablegatos David requiſivit; quam tandem remiſſam Phalthi lugens uſque Bahurim proſequutus eſt. Secundum hæc, Abner Seniores Iſraelis pro Davide alloquitur; ipſique conciliatis eorum animis, ad Davidem in Hebronem venit, omnia quæ geſſerat, nuntiaturus. Convivio exceptus, ſe redire velle, ait, ut quod promiſerat, omnem illi Iſraelem ſubjiceret. Vix eo ex Hebrone egreſſo, venienti Joabo cum ſuis ex agro nuntiatum eſt, Abnerum cum Davide amicitiam iniviſſe, quod ægre ille tulit, veritus ne Ducis dignitatem Rex a ſe in illum transferret. Continuo Joab Regem adiit, petiitque, cur Abnerum dimiſiſſet? An ignoraret, eum illo adveniſſe, ut ipſum falleret, quæque ipſe pararet, ſpecularetur? Statim autem egreſſus, inſcio Rege, Abnerum per nuntios revocavit: quem ut Hebronem rediit, in medio portæ, veluti

ad ſecreto colloquendum ſevocatum, enſe in inguine transfodit, eadem rependens, quæ ipſe Aſaeli fratri illius intulerat. Rem David quidem deteſtatus eſt, ſed ultionem de Joabo, militum favore protecto, expetere minus ſibi conducere arbitratus, publica facinoris deteſtatione, ſolemnique funeris apparatu, illatam amico injuriam reparavit. Voluit igitur, ut ipſemet Joabus, totuſque ſub illo exercitus, ſciſſis conſuetis veſtibus, indutiſque ſaccis, ad Abneri funus convenirent, cujus feretrum Rex ſequens, teſtabatur, nulla ſe culpa illius cædis aſpergi, augurabaturque, ut poſteri Joabi eſſent leproſi, ſteriles, mendici, effeminatique, qui melius fuſum, quam arma tractarent. Sepulto autem Abnero in Hebrone, ait David: Abnerus ne ea morte, qua nequiſſimus, vel nihili prorſus homo occumbere ſolet, interiiſſet, niſi dolo malo oppreſſus fuiſſet? Non equidem victus, non hoſtium poteſtati traditus, non ligatis manibus ceu criminis reus corruit, ſed veluti a graſſatore proditus. Hoc Davidis canticum recinebat populus, qui poſt curatum funus, domum reduxit Davidem, ſperans futurum, ut convivio, poſt ejuſmodi celebritates conſueto, ab illo donaretur. Cum autem diei plurimum adhuc ſupereſſet, David cibum capere noluit, atque ad veſperam uſque pro more ejus ætatis jejunium, aliud ſui doloris argumentum, protraxit.

ANNO MUNDI 2956. ante Chriſtum 1044. *Isboſethus occiditur.*

VIII. Abneri mortem audiens Isboſethus, unaque omnis Iſrael animis cecidit (*a*), cum Ab-

(*a*) 2. Reg. IV.

Abner ſolus antea Saulis domum propugnaſſet, ac nondum ipſius ad Davidem defectio patuiſſet. Poſt hæc Isboſeth a Baana, & Rechab ſuarum copiarum Ducibus proditione ſublatus eſt, anno ſeptimo Regni ſui cum dimidio. Hi regias ædes ſub meridianum æſtum ingreſſi, Regemque in cubili dormientem nacti, duobus in inguine vulneribus interfecerunt, illiuſque caput abſciſſum ſpe ingentis præmii ad Davidem detulerunt. At David: Vivit Deus, ait, ſi virum, qui Saulem defunctum nuntiavit, morti damnavi in Siceleg; quanto magis innocentis Principis ab impiis in cubili, domoque ſua interfecti ſanguinem ulciſcar? Eos igitur interfici juſſit, illorumque manus, pedeſque abſciſſos ad Hebronis piſcinam ſuſpendi, caput vero Isboſethi in Abneri ſepulcro Hebrone ſepeliendum curavit.

David ſolus regnat in Iſraele. Urbem Hieroſolymorum expugnat. Philiſthæi debellantur. Trium Heroum facinus. Supremi Duces. Quatuor Gigantum interitus. Arcæ translatio. Miſericordia David in Miphiboſethum. Mors Ozæ. David de ædificando Templo cogitat; ſed honor tanti operis Salomoni reſervatur.

Anno Mundi 2956. ante Chriſtum 1044.

CAP. XVIII.

David ſolus in Iſraele imperat.

I. Sublatis Isboſetho & Abnero, nemo erat, qui in Regni æmulationem cum Davide veniret; Miphiboſethus enim Jonathæ filius, cum adhuc eſſet duodennis, pedibuſque affe-

ctus, Regno impar erat. Tribus omnes jam diu Davidem in Regem accipere paratæ erant, tum ex divinis de Davide promiſſis, quorum fama latius in dies ſpargebatur, tum ex bellica gloria, quam ſibi David comparaverat, tum quod portionem jam maximam Regni teneret (unica enim Tribus Juda pluribus aliis par erat,) tum denique quod unus ille res Iſraelis reſtituere, ac Philiſthæis reſiſtere poſſe videretur. Tribus igitur omnes convenerunt Hebronem, atque Davidem tertio inunctum in Regem univerſi Iſraelis acceptarunt (*a*). Hæc omnia peracta fuiſſe ſolemni ritu, ſtatiſque Sacrificiis, ac coram Arca, eo tali occaſione translata, merito crederentur. Illud certo ſcimus, copias ſcilicet, quæ illi inaugurationi interfuerunt, numerum 340822. impleſſe. Porro tota hæc hominum turba triduo Hebrone apud Davidem manſit, lautis excepta conviviis, annonam abunde fratribus undique ſufficientibus. Benjamitarum tamen pars adhuc domui Saulis adhærebat, ac tria ſolum millia ex ea Tribu ad Davidem tranſierant. Septem annis & ſex menſibus David jam regnaverat Hebrone, ante celebrem ſolemnemque hunc cœtum, quo Rex ab omnibus ſalutatus eſt, annos natus triginta ſeptem cum dimidio.

Jeroſolymorum Urbem David capit, & Regni ſedem conſtituit.

II. Volens autem amplioris hujus Regni primordia re aliqua egregie geſta commendare, ad Hieruſalem obſidionem proceſſit. Ea urbs nondum tota Iſraelitis ceſſerat; arcem enim & antea tenuerant, & adhuc tenebant Jebu-

(*a*) 2. Reg. v.

Jebuſæi. Porro ii Davidi, ejuſque copiis urbem ſtringentibus dixerunt: *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos*: quibus verbis, quantum aſſequimur, innuere volebant, ſe urbis munitionibus adeo fidere, ut adhibitis tantum ad cuſtodiam cæcis & claudis, omnem adverſariorum impetum repellere poſſent. Regerens autem David in Jebuſæos dicteria: Spondeo, inquit, totius exercitus imperium illi, qui mænium ſubgrundia primus tetigerit, indeque cæcos claudoſque depulerit. Cujus quidem facinoris gloria Joabo contigit, ob idque gradum, quem jamdudum obtinebat, retinuit. Hanc urbem, Jebuſæis ſolum vertere compulſis, in Regni ſedem David elegit, ibique ad mortem uſque, ſpatio triginta trium annorum regnavit. Per id temporis Jeruſalem anguſtis pomeriis claudebatur, ſiquidem montem dumtaxat, quem *Acram* Joſephus nuncupat, ad meridiem Templi, poſtea conſtructi, complebatur. In monte Sion e regione oppoſito, & ad Septemtrionem, David novam urbem ædificavit, de ſuo nomine Civitatem Davidis appellatam, eamque mœniis, atque ædificiis, cum primiſque regiis ædibus, materiam, artificeſque Hiram Tyri Rege ſufficiente, conſtruxit; quam in rem & Joabus operam ſuam impendit. Porro inter duos hoſce montes vallis *Mello* jacebat, quæ ſucceſſu temporis curante David, & Salomone, aggeſta humo completa, geminas urbes conjunxit (*a*).

(*a*) 2. Reg. v. 9. 1. Par. xi. 8.

Bellum inter Davidem & Phili-ſthæos.

III. Philiſthæi poſt auditam Davidis ad Regnum aſſumptionem, intellexerunt, omnia ſibi metuenda eſſe a Principe illo, cujus virtutem jamdiu experti fuerant. Reputantes igitur e re eſſe ſua, prius in Davidem ferri, quam vires illius augerentur, raptis ſtatim armis Iſraelis ditionem aggrediuntur. Abſtinendum ſibi tunc cenſuit David a pugna, recipienſque ſe ſe in ſpeluncam Odollam ad meridiem Hieroſolymæ, copias opperiebatur auxiliares, & Domini oraculum, ut prælium iniret (*a*). Caſtra habebant Philiſthæi in valle Raphaim ſive Gigantum, inter Hieroſolymam & Bethleem, validoque præſidio communierant Bethleem, ut exercitum ſuum ab ea parte, ubi David imminebat, tegerent. Cum adhuc in ſpelunca Odellam verſaretur, æſtu, & ſiti vexatus obiter & caſu exclamavit: Oh, ſi quis mihi daret potum de ciſterna Bethleem! Norat aquæ illius pretium, utpote in ea urbe natus (*b*). His auditis tres fortiſſimi viri Jesbaam, Eleazar, & Semma, nihil cunctati, ne Rege quidem monito, recta per medios hoſtes in Bethleem irrumpentes, optatum liquorem urna ad Davidem detulere. At ille nimis voluptuoſam rem, & ingratam ſe commiſſurum putans, ſi aquam, quæ tam caro ſteterat, potaſſet, maluit illam Domino libare, obtulitque illi pariter eam, quam gravem tolerabat, ſitim. Jubente autem Domino, ac victoriam promittente, Philiſthæos aggreſ-

(*a*) 2. Reg. v. 17. & XXIII. 13. & 1. Par. XI. 15.

(*b*) 1. Par. XI. 15. & XIV. 8.

greſſus, tanta vi eos profligavit, ut fugientes impedimenta omnia, & Numinum ſuorum ſimulacra deſeruerint. Loco victoriæ inditum eſt nomen, *Baal-Pharaſim*, nempe Dii fugitivi, vel Dii diſperſæ gentis, & in fugam actæ. Iterum bellum inſtaurarunt Philiſthæi, ſed iterum illos cæcidit David, fugentibuſque inſtitit a Gabaa uſque Gazer. Monuerat autem eum Dominus, ut non prius hoſtes aggrederetur, quam ſonitum in pyrorum cacumine audiiſſet. Porro hæc nonnulli de imbrium procella, alii de cæleſtium ſpirituum agmine, quorum terrore Philiſthæi concuſſi ſint, interpretantur.

Egregia trium militum facinora.

IV. Tres illi Heroes, qui commune facinus deferendæ ad Davidem aquæ ediderant, particulari etiam gloria claruiſſe tradit Scriptura (*a*). Jesbaam enim octingentos hoſtes ſua haſta uno impetu necavit; qua autem occaſione, quove modo ignoratur. Eleazarus, cum Philiſthæi Iſraelitas in fugam compuliſſent, fronte in hoſtes verſa illorum impetum ſuſtinuit, tantaque clade eos affecit, ut cædentis manus ſtricto gladio obrigeſceret. Cæſis autem Philiſthæis, Deus illuſtri victoria Iſraelitas donavit. Semma denique Philiſthæos ſtrues e manipulis hordei, & e collecta lente in quodam agro poſitas, rapere, ſeu comburere conantes, ſubito conſurgens, opem ferente Eleazaro, & forte etiam Jesbaamo, prohibuit.

Supremi exercitus Davidis Duces.

V. Porro Jesbaam, Eleazarus, & Semma primum poſt Joabum in Davidis exercitu gradum tenebant. Succedebant his ſecundi ordinis

K 4 Prin-

(*a*) 2. Reg. XXIII. I. Par. XI.

Principes Abiſai, Banajas, & tertius alter, cujus nomen ſiletur (*a*). Abiſai multis præclare geſtis notus, trecentos hoſtes ſua lancea confecit. Banajas duos leones, quorum alter in ciſterna, regnante nive, latebat, necavit. Vatablus nomine leonis intelligit Arces, quas ille expugnaverit. Virum quoque Ægyptium magnitudine corporis inſignem, haſtaque inſtructum, ipſe armis omnino, præter quam baculo, vacuus, invaſit, raptaque illius haſta transfodit; quem propterea David a conſiliis peritioribus fecit. Quiſnam fuerit tertius ordinis Princeps, & quidnam fecerit, ut dixi, ignoramus. Poſt tres hoſce Principes proxime ſequebantur 53. Duces, communi nomine Schaliſchim dicti, de quibus tamen nihil peculiare memoriæ proditum eſt.

Quatuor Gigantes necantur. VI. Dum David ſigna cum Philiſthæis conferret, ſed neſcimus qua occaſione, quatuor Gigantes, orti in urbe Geth ex ſtirpe Araphæ, a viris Davidis arte bellandi, viriumque robore ſpectatiſſimis, necati ſunt (*b*). Primo nomen erat Jesbibenob, cujus lanceæ cuſpis tercentis unciis, vel, ut habet Hebræus, tercentis ſiclis, centum ſcilicet & quinquaginta unciis appendebat. Hic Davidis capiti, certamine jam laſſi, lanceam infixurus, gladio Abiſai Regis nepotis ſubito accurrentis confoſſus eſt. Rege e tanto periculo liberato, exercitus ſe ſe jurejurando adſtrinxit, numquam in poſterum permiſſurum, ut Regis perſona Belli aleæ committeretur. Alter gigas vocabatur Saph,

(*a*) 2. Reg. XXIII. (*b*) 1. Par. XV. 13.

Saph, quem Sabochai de Huſathi interfecit. Elchanan filius Jairi Bethleemites occidit tertium gigantem, qui erat frater Goliath, a Davide olim leto traditi, habebatque haſtam liciatorio texentium non abſimilem. Quartus denique immani eminebat corpore, ſenos in manibus, pedibuſque exhibens digitos. Hunc indigna in Iſraelitas vomentem, Jonatham filius Samaæ fratris Davidis proſtravit.

VII. Cum David beneficum ſe erga Jonathæ domum exhibere ſtatuiſſet, circa Regni ſui exordium, accitum ad ſe Sibam, primum inter Saulis famulos, rogavit, num aliquis e domo Saulis reliquus manſiſſet (*a*). Ille Miphiboſethum filium Jonathæ claudum, in Lodabar apud Machir verſantem, indicavit; quem ſtatim accerſitum David menſæ ſuæ honore ſe proſequi declaravit. Deinde Sibæ mandavit, ut receptis ſingulis Saulis ſubſtantiis, quæ ad regium fiſcum tranſierant, omnia Miphiboſetho reſtituenda curaret. Siba præſto ſe omnibus exhibuit, parcens autem regiæ ſollicitudini, ne quotidie ipſum vocaret, apud ſe detenturum Miphiboſethum, atque tamquam filium Regis habiturum, profeſſus eſt. Porro nutrix Miphiboſethi cauſa olim illi fuerat, ut toto vitæ tempore claudicaret (*b*). Femina enim accepto de Saulis & Jonathæ morte nuntio, adeo expaverat, ut ſubito timore reſolutis ulnis infans in terram decidens, haud leviter offenderetur. Aliud viro illi nomen fuit, nem-

Davidis in Miphiboſethum beneficentia.

(*a*) 2. Reg. IX. (*b*) 1. Reg. IV. 4.

nempe Meribaal ſive Miphibaal (*a*); ſed cum Hebræi nomen Baal pronuntiare nefas ducant, pro Miphibaal uſurpant Miphiboſet.

ANNO MUNDI 2959. ante Chriſtum 1041. *Arcæ Jeroſolymam translatio. Ozæ infortunium. Davidis pietas.*

VIII. David in Regno confirmatus, nihil antiquius habuit, quam ut Arcam Hieroſolymam ad deſtinatum in regiis ædibus locum deduceret, figeretque illi ſedem in Civitate a ſe aucta, & omnium firmiſſima atque pulcherrima (*b*). Conſilium hoc Præfectis copiarum ſuarum, ac denique univerſo populo aperuit. His omnia comprobantibus, viſum eſt ad translationis pompam, Sacerdotes & Levitas cum reliquo populo acciri. Davidi igitur unaque ſacri Miniſtri, ac triginta, ſeu ut quidam malunt, tercenta millia populi convenerunt in Cariath-jarim, ubi Arca morabatur, ſublatamque a domo Abinadab, ac novo impoſitam plauſtro, comitante Davide, omnique Iſraele religioſos choros ducente, ac laudes Domino præcinente, Oza & Achio ejuſdem Abinadabi filiis minantibus, boves trahebant. Ventum erat ad aream Nachon intus, vel prope Jeruſalem, cum bobus calcitrantibus nutantem Arcam extenta manu Oza fulcivit; ſtatimque a Domino percuſſus interiit. At enim tantæ pœnæ quæ in Oza culpa fuit? Peccaſſe illum credunt nonnulli, quod nudam Arcam tetigerit; alii, quod minus fidere Deo viſus fuerit, quaſi Deus ad illam ſuſtinendam hominis ope indigeret; quidam, quod Arcam plauſtro impoſuerit, cum Sacerdotum humeris vehenda fuiſſet; ceteri, quod non eſſet e Levita-

(*a*) 1. Par. VIII. 34. (*b*) 2. Reg. VI.

vitarum familiis, quarum erat Arcam deferre. Hanc cauſam prætuliſſe videtur David, dum ait Sacerdotibus: *Quia non eratis præſentes, percuſſit nos Dominus*. Voluit Deus terribili illo ultionis exemplo docere populum ac Miniſtros ſuos ſacrum, & profundum quemdam erga divina myſteria horrorem. David inopinato caſu territus timuit Arcam domum ſuam inducere, quam propterea apud Obed-edom, filium Idithum Levitæ, loco, ubi Oza occubuerat, valde proximum, collocavit. Inde autem non modo nihil incommodi paſſus eſt Obed-edom, quinimo omnibus fuit benedictionibus auctus: quare David poſt tres menſes Arcam Domini in regias ædes ultro traduxit, & Obed-edom una cum filiis Janitores Templi conſtituit. Illud autem translationis pompam reddebat ſolemniorem, quod ſcilicet per ſingula ſex paſſum intervalla Altare ſtabat, ubi bos, & agnus tranſeunte Arca, illaque coram Altaribus ſubſidente, immolabantur. David etiam regia majeſtate depoſita, aſſumptoque Ephod lineo, ac pallio byſſino ſaltabat, & pſallebat coram Arca. His viſis per feneſtram Michol, Davidis uxor, Regem deſpexit, abſolutaque ſupplicatione ei exprobravit tanto niſu ſaltaſſe, ut quæ pudorem læderent, coram ancillis ſuis propemodum detexerit. Cui David reſpondit, ſe quidem coram Domino, a quo ceteris hominibus, ipſiuſque patri Sauli prælatus eſſet, abjiciendi, dejiciendique ſe nihil reliquum facturum. Porro Michol in pœna hujus criminis retulit, ut numquam mater efficeretur. Il-

lata

lata autem fuit Arca in novum Tabernaculum, juſſu Davidis magnifice confectum. Relictum enim fuerat Gabaone vetus illud Tabernaculum a Moyſe conſtructum in deſerto, cum Altari holocauſtorum. Facile Gabaonitæ pati noluerunt, ut pretioſis hiſce & religioſis monumentis privarentur, retinueruntque toto Davidis Regno, & aliquandiu etiam poſt erectum a Salomone Templum (*a*). Collocata igitur Arca in novo Tabernaculo, oblatiſque hoſtiis Domino, religioſo præterea convivio exceptis Iſraelitis proſpera quæque a Deo omnibus imprecatus David, cœtum ad propria dimiſit.

Deus non a Davide, ſed a Salomone Templum ſibi excitari jubet.

IX. Interim David regnum habens pacatum & quietum, de Templo Domino conſtruendo meditabatur, indignumque reputabat, ſe in ædibus cedrinis habitare, Arcam vero Dei ſub pellibus degere (*b*). De iis, quæ Rex animo volvebat, admonitus Nathan Propheta, eam mentem a Deo ipſi inditam ratus, conſilium probavit. Attamen inſequenti nocte juſſus eſt a Deo, ut ad Davidem regreſſus, panderet, nolle ſe Templum ab eo excitari, cujus manus humano ſanguine occaſione bellorum eſſent pollutæ (*c*), ſed honorem illum filio, qui ei erant naſciturus, quique acceptum poſt illius obitum Regnum ad poſteros erat in perpetuum tranſmiſſurus, reſervari. Propterea, addidit Deus, ſi quid criminis ille commiſerit, ea, qua ſolet pater in filios animadverſione,

cor-

(*a*) 3. Reg. III. 4.
(*b*) 2. Reg. VII.
(*c*) 1. Par. XXII. 7.

correptum, eodem quo prius loco illum habebo, ſtabiliamque Thronum Regni ejus uſque in ſempiternum, ac per ipſum domus David nunquam deficiet. Hæc cum audiſſet David a Nathano, coram Arca ſe conſtituit, agenſque Domino gratias de collatis in ſe, conferendiſque in familiam ſuam beneficiis, ait: *Iſta eſt enim Lex Adam, Domine Deus*. Quæ quidem verba Interpretibus crucem figunt. Quidam enim ſic explicant: Ita mecum agis, ut olim ab exordio cum Adamo, cui immortalitatem, ſi in fide manſiſſet, ſpopondiſti; pari enim benignitate poſteritatem perpetuam mihi polliceris. Alii: Hæc conſueta ſunt Adam, (hominis) vota; intueri quiſque cupit poſteritatem ſuam, & felicem illam, florentemque poſt ſe relinquere. Nonnulli: Æque mecum agere videris ut homo cum homine, amicus cum amico. Ceteri addunt interrogationem, ac ſic interpretantur: An ita cum Adamo egiſti? Nonne illum una cum omni poſteritate morte damnaſti? Mihi vero poſteriſque meis æternum deſtinas Regnum? Innuere hic videtur Propheta Incarnationem Verbi, quod diſpendia prioris Adami reparaturum erat. Profecto eo reſpicit æternitas Domui David, & Regno Salomonis a Deo per Nathanum promiſſa. Ubi enim hæc Domus indeficiens Davidis eſt? Ubi perpetuum Salomonis Regnum? Qua in re impletam demonſtres vaticinii literam, niſi in Jeſu Chriſto cujus Domus & Regnum, ideſt Eccleſia, tandiu perſeverabit, quandiu homines erunt? Cum igitur David

Tem-

Templi conſtructionem uni ex filiis ſuis reſervatam intellexiſſet, ab opere quidem abſtinuit, ſed aptæ ad rem materiæ præparandæ, auro ſcilicet, argento, æri, ferro, ligniſque curam omnem impendit.

Davidis victoriæ de Philiſthæis, Ammonitis, Syris, Idumæis. Bellum in Adarezerum. Davidis Præfecti. Sadoc & Abiathar ſimul Pontifices. Hanon Ammonitarum Rex probro afficit Davidis Legatos. Bellum inter utrumque Regem. Davidis adulterium & homicidium. Salomon naſcitur. Rabbath expugnatur.

CAP. XIX.

ANNO MUNDI 2960. ante Chriſtum 1040. *Sæva de Moabitis pœna.*

I. DAvid bello Philiſthæis illato, moleſtiſſimo Iſraelem jugo prorſus relevavit (*a*). In Moabitas, quos ſibi ſubjecerat, incredibili furore deſæviit, quem nos, cauſam hujus belli ignorantes, nec probare quidem, nec improbare audemus. Capta igitur regione, Moabitas omnes in unum locum coegit, juſſitque omnes humi proſterni tanquam victimas morti deſtinatos; iiſque in duas partes diviſis, ſortes jecit, ut de nece alterutrius partis deliberaret. Quibus ſiniſtra obvenit ſors, ii omnes occiſi ſunt, facile inductis plauſtris, & trahis contriti; alios vero tributis obſtrictos, & ad uſum agriculturæ ſervavit.

David Adarezerum vicit. Victoria de Idumæis.

II. David Regnum ſuum ad Euphratem producens, Adarezerum Regem Sobæ in Syria ſu-

(*a*) 2. Reg. VIII.

fudit, captis ſeptingentis ſupra millenos equis, & viginti peditum millibus; omnibus vero curruum Adarezeri equis nervos abſcidit, iis tantum ſervatis, qui centenis curribus deſervirent. Damaſci quoque Rex opem laturus Adarezero adveniens, a Davide profligatus eſt, cæſis duobus & viginti hominum millibus. Thou Rex Emath, ſive Emeſæ, celebris Syriæ urbis ad Orontem, gravem & vicinum adverſarium habebat Adarezerum. Cum ſuperbum hunc Principem tributo obnoxium feciſſet David, Thou infeſtiſſimi hoſtis metu liberatus, miſit filium ſuum Joram ad Davidem cum muneribus illi gratulaturus, atque patrocinium & amicitiam rogaturus. Ab expeditione autem regionis ad Euphratem redux Idumeæos in Valle Salinarum profligavit, 18000. eorum cæſis, totaque in regione præſidium reliquit. Eo deinde miſſus eſt Joab, ut interfectorum corpora ſepeliret, qui trucidavit quoſcumque obviam habuit ex Idumæis toto ſex menſium ſpatio, quo ibi moratus eſt (*a*).

Cenſus Præfectorum Davidis. Gemini Pontifices.

III. Regrediebatur autem David, non gloria modo, ſed & ſpoliis hoſtium direptis, raptiſque eorum theſauris ovans, ac immanem ex adjectis ſuo Imperio provinciis metallorum vim reducens. Domi jus populo per ſe ſe dicebat. Suos tamen habebat Adminiſtros (*b*). Joabum præeſſe illius exercitui, non ſemel vidimus. Joſaphat erat a commentariis, hoc eſt, ſupplices libellos excipiebat, porrigebatque Re-

(*a*) 3. Reg. XI. 15. (*b*) 2. Reg. VIII. 15.

Regi; ſive rationes dati, & accepti reſcribebat. Sarajas quotidianos eventus in Ephemerides referebat. Banajas ſub ſe habebat Cerethæos Phelethæoſque regii corporis cuſtodes. Ira erat Davidis *Cohen*, ſive Sacerdos, ut habet Vulgata. Porro id nominis filiis quoque ejuſdem Davidis tribuitur, aliiſque nonnullis, qui nec genere, nec officio ad Sacerdotum claſſem pertinebant. Quare nomen Sacerdotis latius interdum accipiendum eſt, quam ad literam, ut ſignificet etiam Aulæ Principem, Virum a conſiliis, Regis Amicum, ſacrarum largitionum Præfectum. Rebus ſacris gemini præerant ſummi Sacerdotes, Sadoc, & Abiathar, qui & Achimelechus, alter Gabaone, alter Jeroſolymis. Cur vero duo ſimul fuerint ſummi Sacerdotes, ſilet Scriptura; propius tamen vero eſt, Saulem odio familiæ Ithamari, cujus Sacerdotes neci tradiderat, ſacram dignitatem contuliſſe Sadoco e ſtirpe Eleazari, cum interim David legitimum ſucceſſorem Achimelechi agnoſceret ejus filium Abiatharum, qui in ſuas partes tranſierat. Rerum potiente Saule & Isboſetho, tum & regnante Davide Hebrone, dignitatem ſuam obtinuerunt, ſinguli in ditione Principis, cujus partes ſequebantur. Davide univerſi Iſraelis Rege ſalutato, Sadoc & Abiathar dignitatem & munus ſervarunt. Is rerum ſtatus fuit toto Davidis Regno. Abiathar denique partes Adoniæ adverſus Salomonem ſequutus, ex Regis gratia excidit, eoque remoto unus Sadoc ſacram dignitatem adminiſtravit. Ita ſua fides

man-

manſit oraculo Samuelis (*a*) de Heli, futurum ſcilicet, ut ſacra dignitas ejus familiæ auferretur; ſimul autem impletum eſt vaticinium de Phinee olim pronuntiatum (*b*), perpetua nempe illum dignitate in familia ſua potiturum.

Anno Mundi 2969. ante Chriſtum 1031.

Bellum inter Davidem & Hanonem Moabitarum Regem.

IV. Defuncto Naas Rege Ammonitarum, David Legatos miſit, qui ſuum de patris obitu dolorem Hanoni filio ſignificarent (*c*). Hanc ejus humanitatem Hanon Aulicorum opera ſiniſtre interpretatus, putabat; veniſſe illos ad explorandam regionem; quare veſtes illis ad medium corporis ſcindi, radi barbam, ac deinde remitti juſſit. Qui tamen Jerichunte donec barba ſuccreſceret, juſſu Davidis, ſubſtiterunt. Intelligens autem Hanon, nunquam a Davide ferendum id impune, ſe ſe ad bellum paravit. Impenſis igitur 1000. talentis milites ex illis conſcripſit 20000. e Syria Rohob, & Syria Soba; mille ex Maacha, & duodecim millia ex Iſtob; quæ juncta exercitum 33. millium conficiunt. Comparavit inſuper e Meſopotamia curruum militarium vim plane ingentem. Ad 32000. ſupputantur (*d*). Sed oportet vel mendum agnoſcere, vel viros pro curribus ſupputare. David igitur rei indignitate permotus, Joabum cum ſelectiſſimis copiis in Ammonitas miſit. Joab ea expeditione ſuſcepta, audiens Syros, genteſque trans Euphratem ſuppetias hoſtibus laturas veniſſe, divi-

(*a*) 1. Reg. II. 35.
(*b*) Num. xxv. 12.
(*c*) 2. Reg. x.
(*d*) 1. Par. xix. 1. & 2. Reg. x. 6.

diviſo exercitu, fratreque Abiſai alteri parti præfecto, ambo ſuo quilibet hoſti, Abiſai Ammonitis, Joab Syris prælium intulerunt. Initum a Joabo certamen; tantuſque Judæorum in Syros fuit impetus, ut fractis ordinibus, agerent hoſtes in fugam. Effuſos Syros intelligentes Ammonitæ, ipſi pariter diſſipatis ordinibus fuga ſe proripuerunt Medabam.

Copiæ auxiliares franguntur.

V. Joab Hieroſolymam regreſſus eſt; ſed Adarezer Rex Sobæ, Ammonitarum ſibi fœderatorum res reparare cupiens, noluit quidem aperte adverſus Davidem, a quo antea victus fuerat, conjurare, ſed clam in Meſopotamiam Legatos miſit, ductiſque inde copiis Sobachum Imperatorem præfecit, atque ad Ammonitarum Regem exercitum tranſmiſit. Cum igitur auxiliares copiæ ingentes eſſent, David ipſe cum magno exercitu adverſus illas proceſſit. Inito trans Jordanem prælio, Sobacho interempto, deſiderata ſunt ex hoſtibus 40000. equitum, & 700. ſive 7000. curruum aurigæ trucidati. Ceteri autem numero 58000. qui Adarezeri partes ſecuti fuerant, in fugam verſi Davidi ſe ſe ſubmiſere, & impoſita ſibi ab illo tributa ſolverunt. Ad varium curruum numerum quod ſpectat, ſi reputes, ſingulis curribus decem inſediſſe viros, & viros pro curribus ſumptos fuiſſe, ſalva erunt omnia.

Davidis adulterium.

VI. Quam Ammonitæ intulerant Davidis Legatis, injuria non ſatis priori bello expiata videbatur. Totus enim illius expeditionis impetus in copias auxiliares e Syria, viciniſque regionibus collectas ceciderat, Ammonitis in

urbes

urbes ſuas receptis, levemque jacturam paſſis. Quare ſequenti anno Rabbath metropolim Ammonitarum reducturus, eo iterum Joabum cum exercitu David miſit. Cum ille interim Jeroſolymis verſaretur, quadam die poſt ſomnum pomeridianum Bethſabeam conjugem Uriæ Hethæi domeſtico balneo ſe lavantem, e porticu palatii, quam inambulabat, caſu aſpexit (*a*). Statim eleganti forma captus, quænam ea eſſet, requiſivit. Ut uxorem Uriæ eſſe, intellexit, ſuo juſſu ad ſe adductam violavit. Illa domum regreſſa ſe luſtravit, Regique paulo poſt, ſe ex eo concepiſſe, nuntiavit, ut ſcilicet honoris ſui ſervandi rationem iniret. David, datis ad Joabum literis, mitti ad ſe Uriam quantocius juſſit. Cum veniſſet, Rex plura cum illo de rebus ad bellum ſpectantibus colloquutus eſt; dein, ut domum ſuam peteret, lotiſque pedibus ab itineris labore levaretur, imperavit. Euntem vero e regia menſa cibus proſecutus eſt. Hac arte David adulterium occulere conabatur; partus enim, quem ederet Bethſabea, Uriæ creditus fuiſſet, ſi Urias domum ſuam regreſſus, cum uxore noctem tranſegiſſet.

Davidis homicidium.

VII. Urias tamen domus ſuæ commoda renuens, ante regias ædes cum ceteris cuſtodibus pernoctavit. Hoc cum audiſſet David, vocatum illico, cur domum non divertiſſet, interrogavit. Cui ille, noluiſſe inquit, ſe, domus ſuæ, atque uxoris ſuæ voluptatibus frui, cum interim Arca Domini, & Juda ſub papilioni-

(*a*) 2. Reg. XI.

bus detineretur, & Joab ceteriſque exercitus Præfecti dure cubarent; juravitque per ſalutem vitamque Regis, hoc numquam ſe facturum. Præcepit tunc David, ut tota ea die manens, altera ad exercitum rediret. Regia interim menſa alebatur, atque largiore potatione hilarior factus, ſubeunte nocte cum regiis excubiis, quarum ipſe ex numero fuiſſe creditur, ut prius cubavit. David igitur ſe hac ratione honeſtati Bethſabeæ conſulere non poſſe cognoſcens, Uriam interficere, ipſamque in uxorem ducere deliberavit. Quare Duci exercitus Joabo per epiſtolas, Uriam, ubi validiſſimum eſſet prælium, exponeret, expoſitumque relinqueret, imperavit. Has ipſe Urias epiſtolas detulit; quibus perlectis, Joab oblata occaſione, ut Incolæ Rabbath ex urbe erumpentes in Hebræos ruere, virum hoſtibus oppoſuit, a quibus confoſſus interiit. Illico ea de re David a duce certior factus, reſcripſit, nihil eſſe, quo bellicoſi viri caſu animis deſponderet, obſidioni proinde conſtans inſtaret. Audita autem morte Uriæ, Bethſabea de more conjugem planxit, luctuque abſoluto eam David in uxorem duxit, ex eaque filium procreavit. Rabbini Davidem excuſant, leges, moreſque ad ingenium comminiſcentes. Ajunt, Regem duxiſſe Bethſabeam ſuperſtite adhuc Uria, qui dato repudio ſe ſe ab illa ſejunxerat; mos enim, inquiunt, apud noſtros obtinebat, ut in bellum profecturi milites libellum repudii uxoribus relinquerent, ut libera illis eſſet facultas ad alias nuptias tranſeundi. Deliramenta!

VIII.

Nathan Davidem corripit.

VIII. Adulterium, & homicidium Davidis Deo maxime diſplicuerunt, ingentique ſcandalo Iſraelem affecerunt, ac ipſis Idololatris nomen Dei execrandi præbuerunt occaſionem. Quare ad Davidem corripiendum anno fere tranſacto, poſt ortum ſcilicet filium, criminis illius fructum, Deus miſit Nathanum, qui ne acrimoniam medicinæ totam ab ægro ſentiri ſineret, neve invidiam veritati crearet, aut muneris, quod gerebat, Legati ſcilicet a Deo, dignitatem diſcrimini objiceret, ſapientiſſime hanc ei hiſtoriam exhibuit (*a*). Dives, ait, quidam, cui oves, & boves plurimi erant, ut convivio amicum, qui ad ſe diverterat, exciperet, non e ſuis gregibus, ſed unicam cujuſdam pauperis ovem, ita cicuratam, ut cubaret in ſinu heri ſui, ac de ejus pane comederet, & calice biberet, vi raptam appoſuit. Hæc ubi audivit David, ira correptus: Vivit Dominus, reſpondit, mortis reus eſt vir ille: reddet quadruplum. Cui ſtatim Nathan: Tu es ille vir; indeque collecta in eum divina beneficia enumerans, cædem denique Uriæ, & adulterium cum Bethſabee exprobravit: bellis propterea domeſticis ſe in poſterum vexandum, uxoreſque ſuas non clam, ut ipſe fecerat, ſed palam violandas, ſciret.

ANNO MUNDI 2971. ante Chriſtum 1029.

Davidi pœnitenti Deus Salomonem largitur.

IX. Ad hæc cum ingemiſceret David, ſeque peccaſſe confiteretur, Nathan rurſum eum allocutus: Dominus, inquit, quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris. Cum tamen inimicis Domini obloquendi materiam præ-

(*a*) 2. Reg. XII.

præbueris, filius ex Bethſabea tibi natus morietur. Percuſſus igitur a Domino infans, graviſſime ægrotavit. David autem pro parvuli incolumitate preces, jejunia, gemituſque humi ſtratus adhibuit. Quare ipſius miniſtri ipſum rogarunt, ut luctu intermiſſo, cibis ſuæ vitæ proſpiceret; quibus tamen David minime obaudiens, pœnitentiam ſuam eſt proſecutus. Die ſeptimo puero defuncto, cum famulorum nemo rem Davidi aperire auderet, ipſe ex eorum perturbatione, quid rei eſſet, intellexit. De pueri morte certior deinde factus, ſurgens balneum ingreſſus eſt, oleoque inunctus, veſtem mutavit, inde Tabernaculum Domini petiit, & coram Domino adoravit; regreſſus tandem domum, cibos apponi ſibi petiit, & comedit. Stupentibus regiis Miniſtris: Dum ſpes, ait, adhuc aliqua obtinendæ puero a Domino ſalutis ſuperfuit, jejunavi & flevi; nunc autem cur jejunem? An lacrymis illum ad vitam revocabo? Tunc uxorem Bethſabee conſolatus eſt, ex qua alterum filium ſuſcepit, quem Salomonem, ideſt Pacificum, appellavit. Miſſus autem a Domino Nathan, Regi nuntiavit, parvulum iſtum a Deo diligi, quem propterea *Jedidiah*, nempe, Domino amabilem, nominavit. Tunc forte Dominus voce Nathani aperuit Davidi, Solomonem ei in Regno ſucceſſurum, Templum ſibi erecturum, & conſecuturum omnia, quæ ei antea, indicato quidem filio, ſed minime quonam, ſpoponderat.

Rabbath expugnatur.

X. Hæc inter Rabbath in ultimas anguſtias a Joa-

a Joabo reducta, nihil niſi expugnationem expectabat (*a*). David vero a duce invitatus ad exercitum veniens, rem ſtatim confecit, captamque urbem diripuit; incolas vero medios ſecavit, carpentis ad trituram deſtinatis contrivit, membratim cultris concidit, ac tandem in fornaces coquendis lateribus ſuccenſas conjecit. Quæ certe extremæ crudelitatis exempla a Davide fortaſſe exhibita ante agnitum expiatumque cum Bethſabee crimen, Dei gratia & lumine deſtituto, non omnibus probarentur. Sed facile David ſupplicia illa Ammonitis idcirco intulit, quod ea gens ſimilem pœnam de Hebræis in bello capitis exigere ſoleret. Addit Scriptura, ablatum a Rege Ammonitarum diadema, pondo auri talentum, gemmiſque ornatum pretioſiſſimis, capiti Davidis impoſitum fuiſſe. Vix autem in mentem inducere poſſumus, hominem capite potuiſſe ſuſtinere coronam ponderis talenti, librarum ſcilicet 125. Multo æquius reputamus, ſuſpenſam ſupra Regis ſolium ſtetiſſe. Alii cenſent, coronam auream fuiſſe, & juſtæ magnitudinis; ſed gemmis ita divitem, ut talenti auri æſtimaretur.

(*a*) 2. Reg. XII. 26.

Abſalom inſigni nitet cæſarie. Amnonis cum Thamare inceſtus. Abſalom interfecto Ammone fugit. Revocatur. Bellum inter Abſalomum & Davidem. Hiſtoria Sibæ, Semei, Achithophelis, & Berzellai.

CAP. XX.

ANNO MUNDI 2972. ante Chriſtum 1028.

Pretium comæ Abſalomi.

I. EX Maacha filia Tholmai Regis Geſſur David ſuſcepit Abſalomum, & Thamarem. Porro Abſalom totius Iſraelis pulcherrimus erat, eaque nitebat cæſarie, quam quoties tondebat (tondebat autem quotannis, quod illum gravaret) ducentis ſiclis pondere regio, nempe ad menſuram ſicli Babylonici, appendebat (*a*). Ducenti autem ſicli Babylonici, teſte Pelletier, noſtri ponderis uncias circiter 31. reddunt. Non credimus, Abſalomum totam ſibi comam, contra gentis morem, præcidiſſe. Qua ergo ratione totam appendebat? De reſiduæ pondere argumentum capiebatur ex pondere comæ præciſæ: utraque parte ſimul ſumpta totius cæſariei pondus æſtimabatur 200. ſiclis. Sunt, qui 200. hoſce ſiclos non ad pondus, ſed ad pretium cenſeat, reputantes, Principem illam comam vendidiſſe feminis ad fictitia capillamenta. Sed tunc fictitia illa capillamenta obtinuiſſe, quis credat?

Amnonis cum Thamare inceſtus.

II. Nihil Abſalomi Thamar forma concedebat, quam cum perdite deperiret Amnon, eorum, ex altera tamen matre, frater, ægritudi-

(*a*) 2. Reg. XIV. 25.

tudinem tabemque contraxit (*a*). Hujus rei ſciſcitatus cauſam Jonadab, filius Semaa fratris Davidis, cum omnia ſibi narrantem auſcultaſſet, conſilium dedit, ut lecto tamquam æger decumberet. Cum vero a Rege viſeretur, quæreret ab eo, liceret ſibi a manu Thamaris cibum accipere. Amnon conſilium exequutus eſt, ejuſque petitioni Rege annuente, Thamar ad illum introducta, pulmentum ex farina ægro paravit. Ille cibi faſtidium ſimulans, omnes faceſſere juſſit, ac ſolam nactus ſororem, manus in illam injecit. Reclamavit Thamar, ſimulque æternum criminis opprobrium ante oculos expoſuit, ſuaſitque, ut nuptias ſuas a Rege peteret, facile obtenturus: id quod dicebat vel ſanctionem Legis ignorans, vel mendacio Amnonis violentiam vitare ſtudens. Nihil tamen de incepto conſilio alter remittens, libidinem ſuam omnem explevit; deinde amore in odium converſo, ut a ſuo conſpectu abiret, imperavit; reluctantemque per famulum expelli, ac fores illi claudi voluit. Illa conſperſo cinere capite, atque operto vultu manibus, dilacerataque ſimul veſte, ejulans egreſſa eſt. Nacta Abſalomum illi rem ſciſcitanti, omnem ſui doloris cauſam aperuit, a quo monita eſt, ut taceret. Id tamen Davidem non latuit, qui licet rem graviter tulerit, cum tamen Amnonem primogenitum ſuum plus nimio diligeret, ab eo caſtigando abſtinuit.

III.

(*a*) 2. Reg. XIII.

ANNO MUNDI 2974. ante Chriſtum 1026.

Abſalomi juſſu Amnon interficitur.

III. Abſalom odium in fratrem alto ſilentio fovens, ultionis opportunitatem opperiebatur. Poſt duos autem annos ad tondendos greges in Baal-haſor, prope Ephraim, proficiſcens, Regem, omneſque Regis familiares invitavit. Abnuens David, Abſalonis precibus Amnonem cum fratribus illius eo ire permiſit. Ut venere, convivio excepit, ebriumque Amnonem ſervorum ope trucidavit: quo viſo filii Regis omnes mulabus conſcenſis, Hieruſalem fugere. Cum vero ad Davidem perveniſſet rumor, quod omnes illius filii, ne uno quidem excepto, interfecti fuiſſent, Rex, & cuncti, qui aderant, ſciſſis veſtibus dolorem ſuum oſtenderunt. Sed Jonadab Davidis nepos ipſum monuit, unum dumtaxat Amnonem eſſe ſublatum; quo adhuc dicente, ceteri Regis filii ſupervenientes, nequaquam vana locutum comprobarunt. Major tunc fletus factus eſt, quem David ad extremum uſque diem prorogavit. Poſt fratricidium Abſalom ad Tholmai Regem Geſſur avum maternum confugit; ibique tribus annis morantem David perſequi non curavit.

Abſalom revocatur.

IV. Quin Joab videns cor Regis in Abſalomum inclinare, feminam quamdam ex urbe Thecua, quæ filio reditum impetraret, ſubmiſit (*a*). Illa ut ad Regem introducta eſt, perſonam ludens: Duo, inquit, mihi erant filii, quorum, exorta inter ſe ſe rixa, alter alterum interfecit. Superſtitem neceſſarii mei in pœnam fratricidii ad mortem quærunt. Si reli-

(*a*) 2. Reg. XIV.

religio aliqua Regem abſterret, ne hoc filio meo condonet, metuitque, ne in caput ſuum totumque Regnum ultionem hujus cædis provocet, puniat in me Deus crimen, cujus veniam a te poſtulo. Tunc Rex: Redi domum, inquit, & ego rebus tuis conſulam. Non ſatis contenta mulier ſponſione hac generali, plus aliquid poſtulans, rogat, ut datam fidem jurejurando confirmet, & remotis ambagibus veniam filio ſuo concedat. Cum & hoc præſtitiſſet David, tunc illa: Hoc mihi, ait, concedis pro filio meo, cædis ſcilicet fratri ſuo illatæ reo; nec dabis roganti populo tuo reditum Abſalomi, cujus crimen gravius non eſt quam filii mei? Mors Amnonis malum eſt, cui nullum ſive exilio, ſive morte Abſalomi remedium afferri poteſt. Deus exitium noſtrum non quærit, id ſemper curans, ut opus ſuum tueatur. Hanc ejus clementiam imitari tuum eſt, o Rex. Rogo te, ut quæ juſſiſti, impleantur, tamquam Sacrificium Deo promiſſum. Nec de hoc dubito; cum Rex datus ſit populo, qui tanta integritate jus reddit, ut hominum conditionem ſuperare videatur, nulliſque aſſentationibus, atque exprobrationibus moveatur. Plura adjicientem ad flectendum Regis animum, interrogavit David, num Joabus conſilium hoc dediſſet? Cui mulier: Ambages omnes coram te, qui ſapientia, & judicii acumine nihil Angelo cedis, removendæ ſunt: ex ipſo Joabo omnia teneo. Tunc David verſus ad Joabum, qui cum Aulicis & populo præſens aderat: Verbis

bis tuis, ait, flector: i, revoca Abſalonem, cui in urbe quidem regia, & in privata domo permanere indulgeo, ſed in Aula, & coram me apparere interdico. His auditis, gratias Joab egit David, pergenſque in Geſſur, Abſalomum Hieruſalem reduxit.

ANNO MUNDI 2979. ante Chriſtum 1021.

David Abſalomo aditum ad ſe concedit.

V. Duobus elapſis annis, quibus Abſalom conſpectu patris privatus erat, Joabum ad ſe venire juſſit; illoque ſemel, & iterum renuente, ſervos miſit, hordei meſſem, quæ in agro Joabi jam matura erat, ſuccendere (*a*). Tunc Joab ad Abſalomum venit, ut cum illo de ſervis conquereretur. Ut autem Abſalom de ſuo imperio hoc factum dixit, ut ipſum ad ſe venire compelleret, & ad obtinendum patris amicitiam, & conſpectum mitteret, Joabus acquievit. Regique factum renuntiavit. David filium revocans amplexatus eſt, & priſtinam illi amicitiam reſtituit. Abſalomo nati ſunt tres filii, quos antequam ipſe moreretur amiſit. Habuit etiam elegantis formæ filiam, cui nomen Thamar. Hanc nonnulli, Roboami Salomonis filii uxorem fuiſſe ſcripſerunt; verum ſi hæc ita ſe haberent, vetulæ Rex ille nupſiſſet, quod a vero abeſſe videtur. Uxor illius Maacha vocabatur, facileque ex Thamare iſta nata erat (*b*).

ANNO MUNDI 2980. ante Chriſtum 1020.

Abſalom favorem populi occupat.

VI. Davidis ſenectus, & ſumma illius in filios indulgentia, conſilium Abſalomi inſpiravit, fovitque, prævertendi conſtitutum a natura ordinem, ut in locum amoti Patris ipſe ſe ſub-

(*a*) 2. Reg. XIV. 28. (*b*) 2. Par. XI. 20.

ſubſtitueret (*a*). Etſi autem tertium dumtaxat locum inter filios Davidis occuparet, ſibi tamen deberi Regnum facile putabat, quod ſublato Ammone primogenito, ſolus Cheleab, ex Abigaile natus, ſibi nativitatis privilegio præiret, quem viciſſim alio ſpecioſiori nomine ipſe præcelleret, utpote qui regium ducebat genus qua materna, qua paterna ſtirpe. Rem porro exorditur a regio apparatu & ſatellitio, comparatis ſibi curribus, equis, & 50. juvenibus, qui corpus cuſtodirent, imperioque obſequerentur. Quotidie ad regiæ domus fores mane veniebat, omneſque qui negotiis, litibuſque implicati ad Regem venirent, unde eſſent, interrogabat: auditiſque eorum negotiis, & cauſis itineris, bonam, juſtamque cauſam illos habere dicebat, neminem tamen a Rege conſtitutum eſſe, qui illos audiret. Quis, tunc exclamabat, me Judicem conſtituat, ut cauſas populi audiam, æquumque jus reddam? Quicumque ſalutaturus accedebat, extenſa manu apprehenſum oſculabatur. Jam quadriennium (*b*) inſumpſerat Abſalom ſeducendo fucoſa rerum ſpecie populum, captandoque aſſentationibus, ſerviliboſque artibus favorem vulgi; cum tempus exequendi moliminis adveniſſe ratus, Regi eundi in Hebron facultatem popoſcit, cauſatus voti ſolvendi neceſſitatem, quo ſe in Geſſur obſtrinxiſſe dicebat.

VII.

(*a*) 2. Reg. xv. Reg. xv. 1.
(*b*) Vide Calm. 2.

ANNO MUNDI 2984. ante Chriſtum 1016.

Abſalom in Patrem rebellat.

VII. Hebronem igitur adivit cum ducentis viris, qui conſiliorum inſcii, ſe ſe illi honoris & ſtudii gratia adjunxerant. E civitate Gilo Achitophelem quoque Davidis conſiliarium, ut ſecum iret, Abſalom invitavit, cujus conſulta veluti Dei ipſius reſponſa habebantur. Præter peritiam norat etiam hominis adverſus Davidem ſimultatem. Tradunt enim illum Bethſabeæ avum fuiſſe; quare alte ſauciatus injuria a Rege in totam feminæ illius familiam, non magnopere tentandus fuerat, ut in partes Abſalomi tranſiret. Ex Hebrone miſſis per omnes Iſraelis Tribus emiſſariis, qui Abſalomum in Hebrone regnare tuba inclamarent, magnus continuo populorum concurſus factus eſt, & Abſalom a pleriſque Tribubus Rex ſalutatus. His ſtatim Davidi renuntiatis, maluit fuga ſe ſubducere, quam parata Hieroſolymis defenſione vitam tot innocentium diſcrimini exponere. Relictis igitur decem tantum concubinis, quæ regias ædes cuſtodirent, ipſe pedeſter una cum domeſticis ſuis, ac ſatellitio 600. Cerethi & Phelethi, exiit ex urbe. Milites iſti Davidi adhæſerant jam tum, cum ille ab Achis remiſſus, urbem Geth reliquit. Videns autem Rex quemdam Gethæum nomine Ethai, qui vix Hieroſolymam ingreſſus, Davidi fugienti ſe comitem dederat, juſſit, ut in urbe ſubſiſteret: at vir amicitiæ, & fidei laude inſignis, ſe illi adhæſurum quocunque aut vita, aut mors ipſum tuliſſet, jurejurando profeſſus eſt.

David Abſalomi perſecutionem fugit.

VIII. Vix torrentem Cedron tranſgreſſum,

Sa-

Sadoc & Abiathar ſummi Sacerdotes cum Levitis, Arcam Domini deferentes, ſecuti ſunt, quibus Rex, ut in urbem cum Arca regrederentur imperavit, addens, totum ſe divinæ diſpoſitioni committere, a qua ſane, modo velit, Aulæ reſtitui poſſet, perinde ac ſi Arca ſecum veniret. Ceterum, ait ad Sadoc, tu, atque Achimaas, & Jonathas filii tui, in urbe manentes, quidquid e re mea compertum habueritis, ad me in agro, ubi deliteſcam, deferendum curate. Ambo igitur Sacerdotes in urbem regreſſi, duos juvenes Achimaam & Jonatham ad fontem Rogel in latebris conſtituerunt, ut de omnibus Abſalomi conſiliis Davidem certiorem facere commode poſſent. Dum David flens, nudiſque pedibus ac tecto capite collem Olivarum Deum adoraturus ſcanderet, nunciatum eſt illi, Achitophelem ſe ſe Abſalomi partibus adjunxiſſe. Quibus auditis: Domine, ait, mentem viri conturba, ne conſilia, niſi prava, ſuggerat. Eodem tempore Chuſai Arachites capite cinere aſperſo, & veſtibus diſciſſis ſupervenit. Illum vero Rex ad urbem remiſit, ut ſimulata cum Abſalomo amicitia conſilia Achitophelis irrita efficeret, ſimulque ea omnia, quæ hoſtis moliretur, opera Abiathar, & Sadoc renuntiaret.

Sibæ in Miphiboſethum calumnia.

IX. Sibam etiam Miphiboſethi ſervum, duos aſellos annona onuſtos minantem, tunc obviam habuit. Quærenti Regi, cur iſta detuliſſet, reſpondit, aſinos quidem in uſum Præfectorum Regis, annonam vero in commeatum proficiſcentium. Interrogavit iterum David,

vid, ubi Miphiboſethum reliquiſſet? Cui alter affirmavit, manſiſſe illum Hieroſolymis, ſpe videndi in ea rerum turbatione Regnum familiæ ſuæ reſtitutum. His commotus David, ſtatim omnia, quæ Miphiboſethi erant, Sibæ addixit. Regem autem plus nimio Sibæ credidiſſe, ex eo poſtea compertum eſt, quod non Regni ſpes, ſed denegatus a ſervo aſinus, ne Davidem ſequeretur, Miphiboſethum venire prohibuerit (*a*). Invalidus enim pedibus, pedeſter iter inſtituere non poterat. In eo etiam David minus caute ſe geſſit, quod Miphiboſethum inauditum, ſoloque ſervi teſtimonio reum damnaverit.

Semei temeritas & Davidis patientia.

X. Cum David Bahurim veniſſet, Semei quidam filius Geræ occurrens, non verbis tantum, ſed lapidibus etiam projectis, Davidi inſultabat. Veniſſe tandem, dicebat, tempus, quo Deus effuſum familiæ Saulis ſanguinem ab illo expeteret. Hanc indignitatem Rex æquo animo ferens, nihil contra reponendum cenſuit, quin & Abiſai nepotem ſuum, audaci homuncioni necem parantem, repreſſit, nolle ſe, dicens, virum a Deo dira imprecari permiſſum prohibere, ſeque aliquando Deum patientiam ſuam, humilitatemque reſpecturum confidere. Hinc Semei impune ſecundum latus montis pergens injuriam proſequebatur.

Chuſai Achitophelis conſilia evertit, qui laqueo ſe ſe ſuſpendit.

XI. Interea Abſalom Hieroſolymam veniens nemine contradicente receptus eſt. Tunc auctore Achitophele, patris ſui concubinis, erecto in ſolario Regis tentorio, univerſo ſpectante

(*a*) 2. Reg. XVI. & XIX. 26.

te populo abuſus eſt, ut Iſrael nullam reconciliationis, ſpem ſupereſſe agnoſcens, ipſi conſtantius adhæreret. Inde Abſalomo dixit Achitophel: Si vis, eligam duodena hominum millia, & hac eadem nocte Davidem perſequar, irruenſque ſuper eum inermem adhuc, & feſſum, facile illum, eoſque, qui illum ſequuntur, diſſipabo, & a ſuis derelictum interficiam (*a*). Hoc conſilio ab Abſalomo, ceteriſque Iſraelis Senioribus comprobato, Abſalom tamen Chuſai ſententiam audire voluit. Hic, Achitophelis conſilium, inquit, e re tua non eſſe cenſeo. Quippe, cum David, ejuſque commilitones bellandi arte optime calleant, acceptiſque injuriis, ferociores evaſerint, ceu urſa captis catulis, non ſine ingenti periculo nunc illos aggredereris. Fortaſſe etiam David, noctis beneficio, tutum ſibi quærit perfugium, ne improviſus opprimatur. Si autem contingat, ut exercitus tuus aliquo afficiatur incommodo, vulgata protinus fama devictus crederetur, tuorumque fortiſſimus quiſque animis caderet. Hoc igitur mea quidem ſententia præſtare poteris: Iſraelem congrega a Dan uſque Bethſabee univerſum, quem numero arenas maris æquare ſcimus, eique medium te conſtitue. Ubicumque autem David latitaverit, ſuper ipſum irruentes, inſtar procellæ opprimemus. Quod ſi aliqua Urbe ſe ſe tuebitur, pinnas turrium & loricas mænium alligatis funibus & uncis dejiciemus, ſaxaque in foſſas raptabimus omnia. Hæc ille ad necten-

(*a*) 2. Reg. XVII.

das moras, & perduellium conatus eludendos; aſſentans per omnia ſuperbo & ambitioſo juvenis animo. Poſteriora conſilia prioribus præferenda viſa ſunt, Deo diſponente, ut Abſalom utilia conſulentem Achitophelem in ſuam perniciem negligeret. Achitophel ſuum poſthaberi conſilium videns, ſterni aſinum ſuum juſſit, domumque pergens in civitate Gilo, diſpoſitis familiæ negotiis, ſe ſuſpendit, & in ſepulcro patrum ſuorum conditus eſt.

David Jordanem tranſgreditur.

XII. Chuſai interea rem Sadoco & Abiathari aperuit, monuitque, ut Davidi ſuaderent, cautus ſecederet trans Jordanem, amnem conſtituens pro vallo inter ſe ſe, & Abſalomum, ne forte is ad conſilium Achitophelis regrederetur, & improviſus per noctem Regem opprimeret. Ancilla a ſummis Sacerdotibus ſubmiſſa, hæc omnia Achimaæ, & Jonathæ Sadochi filiis, prope fontem Rogel latentibus, nuntiavit; qui dum ad Davidem proficiſcuntur, a quodam puero agniti, Abſalomo indicantur. Ille ſtatim poſt eos homines miſit; at Achimaas & Jonathas concito gradu viri cujuſdam domum ingreſſi in Bahurim, in puteum illius tunc arentem deſcenderunt, cujus os mulier quædam clauſit, impoſito velamine, frumento onuſto, quaſi illud ſiccaret. Venientibus autem Abſalomi exploratoribus, illiſque de Achimaa, & Jonatha requirentibus, reſpondit mulier, paululo aquæ guſtato, citiſſime diffugiſſe. Ea ratione illis deluſis, ſubitoque diſcedentibus, juvenes exeuntes puteo iter confecere, & Davidi, quæ audierant

renun-

renuntiarunt. Quare Rex Jordanem tranſgreſſus Mahanaim ſe ſe recepit: cui occurrentes Sobi filius Naas de Rabbath, Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim, annonas obtulerunt.

XIII. Dum David colligendis undique auxiliis operam navaret, Abſalom trajecto Jordane ipſum aggredi parans, Amaſam patruum ſuum filium Jether, ex Abigaile Davidis ſorore, exercitui præfecit, copiaſque ſuas in terra Galaad conſtituit (*a*). Cum vero copioſus ad Davidem confluxiſſet exercitus, trifariam illum diviſit in tres Imperatores, Joabum, Abiſai, Ethai Hethæum, quorum ſinguli aliis minoribus Ducibus millium & centenorum imperarent. Volebat autem in hoſtem & ipſe exire, ſed ſuorum conſilio deferens, ſe ſe in Mahanaim, ad latus portæ, ubi jus dicebatur, continuit, non ſine copiis, ne, ſi forte in prælio ſui caderent, tota ſimul ſpes periret, atque ſe ad meliora tempora ſervaret. Pientiſſimus tamen pater ſingulis præcipiebat: Servate mihi puerum Abſalom. Inito prælio Abſalomi exercitus profligatus eſt, cæſis viginti hominum millibus, ceteris fugam arripientibus. Decertatum eſt in ſaltu Ephraim, cujus præruptis locis multo plures abſumpti fuerunt, quam qui in prælio trucidati ſunt. Abſalom mulum conſcendit, cumque per ſaltum fugeret, ramis quercus adhæſit, vel quod prolixa, denſaque coma arboris ramis implicatus ſit, vel quod incurrente capite inter duos arbo-

ANNO MUNDI 2985. ante Chriſtum 1015.

Davidis de Abſalomo victoria, qui a Joabo necatur.

(*a*) 2. Reg. XVIII.

arboris ramos tam arcto vinculo ii collum hominis adſtrinxerint, ut expediri non potuerit, nec uti in eam rem manuum miniſterio. Utcumque ſe ſe habuerit res, ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus prætervectus eſt. Id miles quidam Joabo nunciavit; cui Dux: Cur illum non confodiſti? Præmii loco decem tibi argenti ſiclos, balteumque donaſſem. At alter: Si mille argenteos mihi dares, nunquam in Regis filium manum extenderem: omnes enim Davidem audivimus caventem, ne occideretur Abſalom. Si ſcelus tam grande commiſiſſem, præſentiſſimo vitæ diſcrimini me expoſuiſſem, ſi quidem ad Regis aures id perveniſſet; quo in periculo me ſolum relinqueres. Tunc Joabus: Non eadem ac tu indulgentia utar, ſed coram te illum transfodiam. Sumptis igitur tribus lanceis cor Abſalomi tranſverberavit, ſpirantemque adhuc ex arbore decem Juvenes Joabi armigeri confecere. Receptui tunc cecinit Joabus, retinuitque milites, ne fugientes Iſraelitas perſequerentur.

Abſalomi ſepulcrum.

XIV. Elatum corpus in foveam grandem in eodem ſaltu projectum eſt, deſuperque magnus lapidum acervus comportatus. Porro Abſalom adhuc vivens, in valle Regis ſibi titulum, ſive columnam erexerat, quæ in monimentum ſui nominis eſſet, loco filiorum, quibus carebat. Nomen indictum: *Manus Abſalom*. Hebræis Manus dicuntur, quæ alicujus indicium ſunt, illiuſque memoriam ſervant. In tumulum tamen ſibi paratum Abſalom invectus non fuit. Uſque in præſens in valle Joſaphat

ſaphat monumentum monſtratur, quod ipſiſſimum eſſe Abſalomi affirmant (*a*). Camera eſt quadrata, exciſa in rupe ex unico lapide, atque a reliquo monte divulſa; quæ interius ſimplex eſt, anterius autem aliquibus columnis ex eodem lapide confectis ornatur, cujus faſtigium imaginem exhibet pyramidis ſatis editæ, latæque, inſtar vaſis ubi flores in hortis educantur. Joſephi ætate occurrebat monumentum Abſalomi, nil aliud exhibens, quam columnam marmoream; quare longe aliud erat ab eo, quod adhuc monſtratur (*b*). Calmetus ſuſpicatur, Davidem in loco, ubi Abſalom confoſſus eſt, excidendum mandaſſe ſepulcrum, quod hodie viſitur, eoque putat reſpicere Scripturam, cum dicit, lapidum acervum ſuper cadaver Abſalomi aggeſtum fuiſſe. Itinerantes aſſerunt, eos, qui prope hoc monumentum tranſeunt, lapidem in illud jacere, deteſtantes impii filii a patre defectionem.

David Abſalomi necem luget.

XV. Achimaæ victoriam nunciandi Davidi facultatem petenti, Joabus: Alias, ait, nuncium feres, non hodie: cum enim de filii Regis nece agatur, præſens occaſio tibi non favet (*c*). Dux igitur juſſit cuidam nomine Chuſi, quæ viderat, Regi nuntiare. Quo currente, paulo poſt Achimaas rurſum a Joabo petiit, ut ſaltem poſt Chuſi currere ſibi liceret. Inſtanti tandem conceſſit. Per breviorem igitur viam currens Achimaas, Chuſi pretergreſſus eſt. Speculator autem e portæ faſtigio vi-

(*a*) Doubdan, Voyage de la Terre-Sainte, c. 15.

(*b*) Antiq. l. 7. c. 9.

(*c*) 2. Reg. XVIII. 19.

videns hominem ſolum venientem, Regi indicavit: Cui Rex: Si ſolus eſt, bonum affert nuncium. Si enim clades contigiſſet, populus turmatim rediiſſet. Dum Achimaas appropinquaret, ſpeculator Chuſi currente proſpecto, vociferatus eſt, alterum hominem ſolum adventare, addiditque, primum, qui curreret, videri ſibi Achimaam. Cui Rex: Bonus eſt: bonum nuncium deferet. Accedens igitur Achimaas Regem ſalutavit, eumque de victoria certiorem fecit. Cum vero Rex continuo de Abſalomo quæreret, Achimaas prudenter mortem illius celans, dixit, ſe, cum a Joabo mitteretur, tumultum vidiſſe, nec aliud ſcire. Superveniente interim Chuſi, & de parta victoria Regem monente, David de Abſalomo ſtatim pariter interrogavit. Reſpondente illo, ſe univerſis Regis hoſtibus ſatum Abſalomi optare, David alte ingemuit; conſcenſoque portæ palatio ingeminabat, diſcurrens, largeque plorans: Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, quis mihi det, ut pro te moriar?

David fletum compeſcit.

XVI. His ad Joabum relatis, Regem adiit, eumque alloquens, in has querelas erupit: Servi tui excipiendi utique erant læto vultu, & ſignificationes grati animi exhibendæ, quod ad vitam tuam, filiorumque, ac uxorum tuarum tutandam, nullum diſcrimen adire formidaverint. Tu contra affligis te, atque ab aſpectu populi te removes, tamquam præſtitum ab illis beneficium graviter feras. Id agens, in nullo pretio Duces ac milites a te haberi oſtendis; eaque tantum ſorte contentus eſſes, ſi ii, non Abſalom occubuiſſent. Ni te ſpectan-

ctandum populo præbeas, ac ſervos tuos alloqui matures, per Deum obteſtor, ab omnibus hac ipſa nocte te deſerendum, iiſque anguſtiis, quas nunquam ſenſeris, occupandum (*a*). Impudentiſſima hæc Joabi verba David gravate tulit; at indignationem compeſcens, deſcendit ad portam, cunctoſque ad ſe venientes benigno, gratoque ſermone excepit. Miſit deinde Sadoc, & Abiathar, qui vocarent Tribum Juda, diſſimulanſque, quod tam facile partes Abſalomi ſecuta eſſet, hæc tantum eis renuntiari voluit: An decet vos fratres meos a reliquis Tribubus præverti, quæ præſto ſunt, ut me excipiant, deducantque Hieroſolymam? Non ignorans autem David, quanti eſſet momenti ad reliquias defectionis diſſipandas, Amaſam Abſalomi Ducem ſubducere, volenſque ſimul punire Joabum, qui inſolenti audacia jam ferri non poterat, nedum illi viro veniam dedit, ſed omnium copiarum ſuarum pro Joabo præfecturam juramento pollicitus eſt. Quæ quidem clementia Tribum Juda allexit, omneſque ad Davidem reduxit.

David parcit Semei.

XVII. Cum ex omnibus Tribubus ad Jordanem concurſus fieret, ut Davidem, amne tranſmiſſo, Hieroſolymam reducerent, Semei, ut crimen ſuum pro viribus elueret, feſtinavit præcurrere, primuſque trajecit flumen, viros 1000. Benjamitas ad Regem reducens; cui roganti, ut illatæ injuriæ obliviſceretur, nihil in illum gravius facturum David jurejurando promiſit; Abiſai vero contra tantam Davidis

(*a*) 2. Reg. xix.

clementiam reclamantem increpavit, proteſtatus, nolle ſe illius diei ſerenam lucem hominis ſupplicio turbare, quam perinde ac primam ſuſcepti Imperii haberet.

Inter Miphiboſethum & Sibam poſſeſſionum diviſio.

XVIII. Davidi occurrit & Miphiboſethus lugubri apparatu, intonſa nempe barba, nudis pedibus, atque veſtibus a die qua David ex urbe diſceſſit, illotis, neglectiſque. Rex illum intuitus, interrogavit, cur nam ſecum venire recuſaſſet? Ille, Sibam ſervum ſuum in cauſa fuiſſe, dixit, qui juſſus ſibi aſinum inſtruere, utpote claudo, & gradiendo difficili, parere recuſaſſet; quin & dominum ſuum ficto affectati Regni crimine apud legitimum Regem detuliſſet, ex qua calumnia rerum ſuarum dominium in illum translatum fuerat. Adjecit tamen, poteſtati Regis, qui ſapientia Angelos æquabat, ſe totum committere, cum illi & vitæ, & regiæ menſæ honore devinctus, nullam juſtam querelam prætendere poſſet. Plura dicturo Rex ſilentium indixit: velle ſe, ut ea quæ pro Siba decreverat, rata manerent, jubens tamen, ut facultatibus ipſe & Siba communibus uterentur. Acquievit Miphiboſethus, teſtatus inſuper, omnia ſe libenter æmulo relicturum, hoc uno contentus, quod Dominum ſuum ad Regiam remeantem vidiſſet. Paucos invenias, qui ſatis æquam ſententiam Davidem tunc reddidiſſe dicant. Ex rebus Miphiboſethi præpoſtere Sibæ adjudicatis dimidium illi reliquit, cum potius de falſa accuſatione in dominum ſuum convictus, ſupplicio afficiendus fuiſſet.

XIX.

XIX. Berzellai quoque uſque ad Jordanem Davidem proſecutus eſt. A Rege autem invitatus, ut ſecum pergeret, reliquam vitam apud ſe in Hieruſalem feliciter ducturus, renuit, octogenariam ineptam Aulæ voluptatibus ætatem cauſatus; tum etiam quia finem ſuæ vitæ in civitate ſua imponere, ſuiſque cum majoribus ſepeliri deſideraret. Chaamam tamen filium ſuum, ut plerique autumant, Regi obtulit, ut pro ſe apud ipſum viveret, quod & David indulſit. Trajecto vero a Rege & populo Jordane, David optimum ſenem complexus, eique bona omnia comprecatus, dimiſit.

David Hieroſolymam revertitur. Abela per Joabum obſeſſa. Fames Saulis crimine inducta. Vanum Davidis populum cenſendi ſtudium lue punitur. David omnia parat, quibus Templo ædificando opus eſt. Levitarum Claſſes, Sacerdotum Familiæ, Militum Cohortes, Regni & Aulæ Præfecti.

C A P. XXI.

I. E Re eſſe non cenſuit David tandiu expectare, ut Tribus omnes ad ſe Hieroſolymam deducendum pervenirent; quare ſtatim ac copias Tribus Juda in conſpectu habuit, in viam ſe dedit (*a*). Singularis hæc Tribui Juda a Rege conceſſa dignitas ceteras Tribus ad querelas provocavit. Cur Regem, dicebant, furata eſt, ut ipſum ſola traducat, no-

ANNO MUNDI 2985. ante Chriſtum 1015.

Diſſidium Tribuum pro Davidis reditu.

(*a*) 2. Reg. XIX. 40.

nobis ne monitis quidem, vel ſaltem expectatis? Ad quæ Tribus Juda; David ad nos magis, quam ad vos ſpectat, cum noſter ſit contribulis. An rerum noſtrarum compendium facturi ad Regem venimus? Quid vos detrimenti hac in re ſentitis? Quibus alii: Decem ſumus Tribus adverſus unam; hinc deducendi Regis decus ad nos potius, quam ad unicam Tribum Juda tribuendum videtur. Pluribus ultro, citroque a viris utriuſque partis jactatis, factaque ſeceſſione Tribus Juda Regem uſque Jeroſolymam deduxit, ceteræ Tribus ad propria abiere, præter quorumdam ſelectorum manum, qui Sebam filium Bochri e Tribu Benjamin ſeditionis Ducem in Abelam ſecuti ſunt (*a*).

Amaſa a Joabo occiditur.

II. David urbem vix ingreſſus, & in ſegregata, tutaque ædium parte concubinis ſuis ab Abſalomo violatis, clauſis, denegatoqe illis in poſterum egreſſu, imperavit Amaſæ, ut intra tres dies Judæ Tribu coacta, adverſus Sebam proficiſceretur, quo datam viro fidem præficiendi illum copiis ſuis Rex dubio procul liberavit. Sed cum Amaſa ſtatuto tempore exercitum cogere nequiviſſet, David moræ impatiens veritusque ne ſeditio vires acquireret, juſſit Abiſai fratri Joabi, ut Sebam inſequeretur. Joab cum Cerethæis, & Phelethæis, delectiſque exercitus viris ipſum comitatus eſt. Amaſa non multum poſt temporis advenit, ſeque Abiſai, & Joabo Gabaone adjunxit. Porro Joabus ægre ferebat, Amaſam ſibi a Rege præ-

la-

(*a*) 2. Reg. xx.

latum fuiſſe. Quare cum latiori vagina gladium condidiſſet, ut per ſe facile poſſet exire, acceſſit ad Amaſam, verbiſque amicis inclinatus ſalutavit. Delapſum eo corporis geſtu gladium collegit ex humo Joabus, tenenſque manu, Amaſæ mentum apprehendit, ipſum oſculari ſimulans, ſimul autem cæco ictu in latere percuſſit, qui viſceribus prodeuntibus ad illius pedes concidit. Viſo cadavere tranſeuntes: Ecce, dicebant, qui primas pro Joabo apud Davidem ambiebat! Ne tamen eo ſpectaculo milites retardarentur, quidam e via in campum remotum cadaver veſte cooperuit.

III. Sublato Amaſa Joabus & Abiſai perſecuti ſunt Sebam, qui poſt eas turbas, quas ad Jordanem in Davidem promoverat, Tribus omnes cis amnem decurrens quidquid optimum invenit e militibus ad ſe collegit, atque in urbe Abela inter Damaſcum & Paneadem, Metropoli forte Abylinæ apud S. Lucam notæ (*a*), ſe ſe munivit. Cum eo perveniſſet Joabus, aggeſta humo foſſas urbis opplevit, ut facilius ad oppugnationem milites accederent. Alii cenſent, aggeres adverſus urbem ſtructos fuiſſe, ubi ſagittarii conſtituti, & defenſores a mænibus arcerent, & aggreſſoribus cuniculos agendi locum facerent. Utcumque res habuerit ſe ſe, Joabus muros ſubruere parabat, cum mulier quædam, prudentiæ fama inſignis, ex alto mænium his Ducem allocuta eſt: Fama eſt antiquis probata, tanta Abelam præſtare ſapientia, ut ipſius judicio cauſæ omnes

Soba obtruncato Abela liberatur.

(*a*) Luc. III. I.

mnes dirimi queant. Ipſam pariter ſcimus, ſtudio pacis, & fide in Regem ceteris urbibus Iſraeliticis non concedere. Eſt præterea Mater, & Princeps multorum oppidorum. Ut quid ergo urbem tot nominibus claram exitio tradendam veniſti? Neganti autem Joabo, hanc eſſe ſui adventus cauſam, ſeque arma in unum Sebam moviſſe profitenti, femina ſtatim ejus caput ad ipſum demiſſuram ſpopondit, quo a populo ejuſdem feminæ perſuaſione mox facto, Joab obſidione ſoluta receſſit, regreſſuſque Jeroſolymam priſtinæ copiarum Præfecturæ a Rege reſtitutus eſt.

Ob cæſos Gabaonitas a Saule, Iſrael fame affligitur.

IV. Cum fames valida per triennium Iſraelem affligeret, Dominus ea de re a Davide conſultus, reſpondit injuſtam Gabaonitarum cædem, Saule auctore, tanti mali in cauſa fuiſſe (*a*). Saul quaſi emendaturus errorem Joſue, & Iſraelitarum, qui ob juramenti religionem a Gabaonitarum cæde, communi ea lege comprehenſorum, quæ Chananæos omnes deleri jubebat, abſtinuerunt, quamplurimos Gabaonitas neci adjudicaverat. Quandonam ſævierit Saul, ignoramus. Si tamen conjecturis indulgere velimus, id contingere potuit poſt Nobe urbis excidium. Facile enim tunc Tabernaculm Gabaonem tranſtulit, & ſacro depoſito locum facturus, neci tradidit Gabaonitas. At ſive ea occaſione, ſive alias Gabaonitæ a Saule occiſi ſint, Rex ſcelus, a regulis æqui abhorrens, patravit. Gabaonitæ enim ſecuri ſub umbra fidei publicæ, & fœderis ſolemni

(*a*) 2. Reg. XXI.

mni ritu compoſiti quieverant; nec Sauli quidquid eſt inter homines ſanctiſſimum ac inviolabile peſſumdari, & violari fas erat. Quare Deus in criminis ultionem triennalis famis flagello Iſraelem percuſſit. Sed quid cum univerſi Iſraelis punitione unius Saulis crimen? Deo jus eſt ratum, & conſtans, ut creaturis ſuis bona quædam pro arbitrio largiatur, ſubtrahatque, tunc potiſſimum cum communi bono privatum quorumdam incommodum cedit. Voluit igitur Deus, ut triennali Iſraelitarum fame omnes per Orbem gentes ediſcerent quanta religione fœdera, & ſacramenta ſervanda ſint.

Septem e Saulis familia cruci ſuſpenduntur. Reſphæ pietas.

V. Sæviente igitur illo flagello, David accivit Gabaonitas, quæſivitque, ecquid ſibi pro injuria rependi vellent, ut placati precibus, & benedictionibus divinarum gratiarum ubertatem in Iſraelem inducerent. Poſcentibus illis, ut ſeptem filii, ſeu nepotes Saulis crucis ſupplicio tradendi concederentur, David duos Reſphæ Saulis concubinæ, & quinque filios Michol ejuſdem Regis filiæ, quos illa ſibi adoptaverat ex ſorore ſua Merob, conceſſit (*a*). Pepercit autem David Miphiboſetho ex fœdere inter ſe & Jonatham patrem illius firmato. Illos igitur omnes Gabaonitæ, ut inſignior eſſet ignominia familiæ Saulis, in monte Gabaæ, quondam ipſius Saulis Regiæ, imminenti, crucibus affixere ineunte hordeaceæ meſſis tempore, nempe circa vernum æquinoctium. Reſpha ea occaſione inſigne maternæ pietatis ſpe-

(*a*) Vide Calm. in 2. Reg. XXI. 8.

ſpecimen exhibuit, cilicium enim cuidam petræ, loco ſupplicii vicinæ, inſternens, ac ſuper eo excubias miſeris agens, aves per diem accedentes, & belluas per noctem arcebat, ibique permanſit, quouſque pluviæ de cælo labentes terram iterum fecundarent, ac famem nimia ariditate inductam prohiberent. His ad Davidem renuntiatis, ille Saulis, & Jonathæ oſſa in Jabes Galaad ſepulta, Gabaam deferri, atque in tumulum Cis patris Saulis inferri curavit; quam quidem pietatem ad ſeptem illos viros, a Gabaonitis ſupplicio abſumptos, prorogavit.

ANNO MUNDI 2987. ante Chriſtum 1013. *David Iſraelem cenſeri jubet.*

VI. Iratus Deus in Iſraelitas permiſit, ut David a dæmone, ſive a quodam malo conſiliario in eam perſuaſionem adduceretur, ut cenſum ſui populi inſtitueret, eamque curam Joabo, aliiſque Iſraelis Principibus demandaret (*a*). Cum autem Deus ſpopondiſſet, ſe tantis Iſraelitarum populum incrementis aucturum, ut innumerabilem, ceu cæli ſtellas efficeret, juſſit David, ut viginti ætatis minores non cenſerentur, quaſi ſcilicet obſequio quodam erga Dei promiſſionem noluerit accuratum populi ſui noſſe numerum, ſed illorum tantum quibus in omni belli eventu uti poſſet. Porro Joabus, ut Regem a propoſito removeret, omni ope adniſus eſt; at parere coactus, & invitus ejus mandata peregit. Minime tamen per omnia obedivit, omiſſis ſcilicet Tribubus Levi, & Benjamin. Porro inventa ſunt octingenta millia Iſraelitarum, & quingen-

(*a*) 2. Reg. XXIV. & 1. Par. XXI. XXVII.

genta millia Judæorum ad arma idonea. Diſcrepat ab his plurimum Auctor primi libri Paralipomenon, qui cenſum ex Iſraele ad mille millia & centum millia prorogat, ex Juda vero ad quadringenta ſeptuaginta millia. Inter duos hoſce numeros ingens adeo eſt diſcrimen, ut præſtare videatur alterum deſerere, quam irrito conatu conciliationem tentare. Expreſſus tamen priori loco numerus, qui ex Libris Regum petitur, magis quam alter, probandus eſt. Interpres enim Arabs hunc retinendum cenſuit in verſione Paralipomenon: Numerus eſt etiam plane moderatus, neque ægre perſuaderemur, regionem ſexaginta leucarum longitudine, & tringinta latitudine patentem, fertilem, cultamque alere poſſe commode ſexagies, vel ſeptuagies centena millia; neque enim minor numerus conſtituendus eſt in Palæſtina, ſi decies ac ter centena millia militum ſtatuantur; experientia enim novimus, militum numerum quintam partem incolarum excedere non poſſe. Hiſce ſi addas Tribus Benjamin, & Levi, advenas, ſervoſque, qui una cum ſenibus, pueris, & feminis in cenſum non referebantur, conſtituenda erunt in Judæa Davidis ætate ſeptuagies centena millia circiter. Verum ſi cenſus Paralipomenon teneatur, ſervata eadem ſupputandi ratione, id utique ſummam hominum efficiet adeo immanem, ut fidem omnem ſuperet. Non deſunt tamen, qui utrumque numerum retineant, putentque, Joabum in cenſum non retuliſſe viginti quatuor millia, quæ e ſingulis Tribu-

bus

bus David ſub ſignis retinebat, ducenta ſcilicet & octoginta octo millia; quæ implent abunde numerum ab Auctore Paralipomenon relatum. Malunt tandem alii, numerum, quo cenſus Paralipomenon cenſum librorum Regum ſuperat, tribuendum eſſe Tribubus Benjamin, & Levi, quarum cenſus prius omiſſus deinde ſuppletus fuerit.

Davidis ambitio lue punitur.

VII. Ambitionis ſuæ ſuperbiæ, & inanis ſtudii ſciendi numerum ſibi ſubditorum militum Davidem pœnituit, veniamque a Domino poſtulavit. At Dominus miſſo Gad Propheta, tribus propoſitis ærumnis, Regi, quam mallet, eligendi fecit optionem, famem ne ſeptennalem (Paralipomenon, & Septuaginta triennalem tantum ferunt), an infauſtum per tres menſes bellum, an peſtem triduanam. David luem prætulit, malum ſcilicet commune, quod in Reges æque ac ſubditos ſævire poteſt. Ea autem mane alterius diei in populum immiſſa, ac per tres conſequentes dies graſſante, 70000. hominum abſumpta fuerunt. Non tamen totus ſententiæ rigor expletus eſt, cum lues ex Domini miſeratione ante tridui exitum ceſſarit. Gad igitur Propheta juſſu Domini renuntiavit Davidi, ut Altare in area Areunæ ſive Ornan Jebuſæi erigendam curaret. Vir iſte unius forſitan erat ex veteribus Hieroſolymæ incolis, qui ad ſacra Judæorum translatus, fundos ſuos, & domum in eo monte, ubi poſtea Templum ædificatum eſt, haberet. Dum autem ille una cum filiis ſuis excutiendo tritico operam daret, Angelum

lum ſuper aream ſuam ſuſpenſum, inferentemque gladium in Hieroſolymam viderat. Viderat illum & David cum Iſraelis Senioribus, quibuſcum humi ſtratus, indutuſque cilicio crimen ſuum fatebatur, inque ſe, ſuamque domum totam ſceleris pœnam depoſcebat. Rex igitur, ut a Gad imperata faceret, ad aream Areunæ venit, venientique alter venerabundus occurrit, eique aream, ut venderet expoſcenti, dono obtulit, exhibitis inſuper bobus & plauſtro, jugiſque pro lignis ad ſacrificium. Verum renuente Davide Deo offerre, quod non emiſſet, quinquaginta ſiclis argenteis, vel ut in libris Paralipomenon, 600. ſiclis aureis, omnia remiſit (*a*). Cenſent Judæi locum hunc emptum fuiſſe communibus duodecim Tribuum ſumptibus, quarum ſingulæ in eam rem quinquaginta ſiclos auri contulerint. Quidquid ſit de hoc, Davide inibi ſacrificium expiatorium offerente, Dominus præcepit Angelo Hieroſolymam percutienti, ut manum a cæde remitteret; nullaque interpoſita mora lues ceſſavit. Hæc autem ultima tridui die, ſed nondum abſoluta contigiſſe credimus. Deſideravit tunc David ſe ſe Gabaonem uſque conferre ad offerenda Sacrificia pro gratiarum actione, ſed Angeli ultoris aſpectus adeo Regis animum concuſſerat, ut itineri illi ſuſcipiendo imparem ſe intellexerit. Quare ad eamdem aream ſacrificaturus rediit; lapſuſque e cælo ignis hoſtias omnes abſumpſit.

(*a*) 2. Reg. XXIV. 24. 1. Par. XXI. 25.

ANNO MUNDI 2988. ante Chriſtum 1012.

David ea, quæ ædificando Templo ſunt neceſſaria parat.

VIII. Quo ad mortem properantibus annis magis accedebat David, eo parandis iis, quæ ad deſtinatum a ſe Templum Domino erant neceſſaria, ſtudioſius incumbebat: probe enim norat, Salomonem, cui operis conſtructio erat reſervata, juvenili adhuc ætate imparem eſſe ſuſcipere, ac proſequi tantæ molis, quantum animo meditabatur, ædificium, niſi quæ opus eſſent, parata, ac diſpoſita inveniſſet (*a*). Cum igitur ex demiſſo cælitus igne, quo ſacrificium in area Areunæ abſumptum fuerat, certo Rex collegiſſet, eumdem locum eligi a Deo, ubi Domus ſua, & Altare conſtrueretur, pretio 600. aureorum ſiclorum ſtatuit emere totum omnino montem, vel ſaltem quidquid in illo ad Ornam pertinebat, cum antea nonniſi aream erigendo altari 50. ſiclis argenteis comparaſſet. Ita conciliamus antilogiam, quæ de ſoluto Areunæ pretio Libros Regum, & Paralipomenon legentibus ſe offert. Advenas autem, ſive, uti nos quidem interpretamur, Chananæorum reliquias, cædendis, poliendiſque in eam rem lapidibus deſtinavit, nullaque fuit ars promovendo ædificio illi apta, ex qua peritiſſimos quoſque non elegerit. Paratam quoque habebat iconographiam Templi, typumque ſacrorum vaſorum, qualem a Deo ipſe acceperat in ſuprema quadam revelatione, vel, ut alii cenſent, Propheta Gad, aut Nathano tradente. Tandem præter ligna cedrina, lapideſque cum ex marmore, tum ex gemmis pretioſiſſimos, ac immenſam ferri & æris vim, ſepo-

(*a*) 1. Par. XXII.

ſepoſuerat ex publico ærario centum millia talenta auri, & millia millium talentorum argenti, quibus ex privato ſuo peculio addidit tria millia talenta auri de Ophir, quod puriſſimum tunc habebatur, & ſeptem millia talenta argenti. Ad hæc, cum David pro concione Aulæ ſuæ Principes hortatus eſſet, ut oblatis pro Templi fabrica ſubſtantiis ſuis, ſe ſe, ceu Sacerdotes, Deo conſecrarent, exhiberentque illi pro tot tantiſque Provinciis Iſraelitarum populo ſubactis, aliquam grati animi ſignificationem illi haud inviti congeſſerunt auri talenta quinque millia, argenti vero decem millia, prætereàque magnam ferri, æris, lapidumque copiam. Multa ſane collegerat David in Templi conſtructionem impendenda, qua tamen erat modeſtia pauperem ſe fatebatur, probe noſcens amplas haſce divitias, ſi cum majeſtate, & immenſitate Numinis comparentur, tenue eſſe prorſus & exiguum munuſculum, ac nimis diſtare ab auguſta illa, quam animo conceperat, Dei imaginem, cui ædem conſtruere moliebatur.

Quid ſentiendum de theſauris a Davide relictis?

IX. Porro talentum centum viginti quinque libras Romanas æquaſſe, probatur, quod ex Libro Exodi talentum par eſſet tribus millibus ſiclorum, quorum ſingulos ſemiunciam pendere nullus ignorat (*a*). Reliquiſſet igitur David tredecim millia millium, ac quingenta millia librarum Romanarum auri, argenti vero centum viginti ſeptem millia millium, ac centum viginti quinque millia librarum. Tan-

(*a*) Exod. XXXVIII. 24.

ta auri, argentique copia incredibilis nonnullis viſa eſt. Mariana inſigni ſtultitiæ elogio donandos eos cenſet, qui Davidis talenta Moſaicis in Exodo notis æquare præſumunt. Opus, inquit Brerevoodus, quod David meditabatur, minus erat, quam ut tot ſumptus flagitaret. Ut parietes omnes e fuſo argento conflati fuiſſent, eodemque metallo totum Templi pavimentum ſtratum eſſet, ut ædificii tectum totum eſſet aurum, eodemque metallo induti interiores Templi parietes, conflata vaſa in uſum Templi neceſſaria, adjectis etiam ſumptibus in artifices, adhuc tamen reliqui multum ſuperfuiſſet. Hæc ille. Hinc non rari rationes excogitarunt, quibus immanes hæ theſaurorum divitiæ ad faciliorem legentium captum reformarentur. Eupolemus igitur pro talentis auri, & argenti parem numerum ſiclorum auri, & argenti ſupputat. Alii diverſa talentorum genera invehunt, numiſmaticum, ſacrum, regale, commune, privatum. Profecto ſi hæc ſolidis inniterentur fundamentis, ampla ſterneretur via imminuendæ ſummam auri & argenti a Davide relictam. Staniſlaus Grerpſius docet, decimam quandoque, centeſimam, milleſimam talenti partem, talentum ſine addito nuncupari. Et quidem conſtat inter omnes, talenti nomen non æquale ſemper pondus, ſive pretium indicaſſe inter varios populos, penes quos obtinebat. Sed hæc nihil pro Hebræorum talentis probant; neque enim veſtigium ullum deprehenditur ſive in Scriptura, ſive in hiſtoria, varia apud Hebræos

bræos obtinuiſſe talenta. Quare quod vulgo Interpretes ſentiunt, & nos ſentimus, laudatos ex Paralipomenis textus ad literam retinentes, nec unquam accuſabimus Villalpandum prudentem equidem virum, ac rei, quam tractamus, peritiſſimum, qui non tantum expreſſas in Scriptura pecuniarum ſummas recipit omnes, ſed multum etiam adjeciſſe de ſuo Salomonem in ædificio ejuſdem Templi, fuſiori calamo oſtendit. Porro ſi omnia cumulentur, tributa nempe ſubjectarum Davidi gentium, ſpolia Regum, Regni ſui jura, vectigalia, fodinæ, Regiorum agrorum, gregumque proventus, decimæ, quas de fructibus & frumento pendebant Iſraelitæ, ac ipſius tandem Davidis parſimonia: ſi hæc omnia, inquam, ſimul ſpectentur, monſtri loco habendum non eſt, ſi immanes illas divitias comparaſſe Rex ille dicatur (*a*).

Levitarum cenſus, & munus.

X. Non contentus David paraſſe ea, quæ conſtruendæ Templi fabricæ deſervirent, curas quoque ſuas ad eos extendere voluit, qui illius ſervitiis eſſent deſtinati (*b*). Imperavit igitur, ut recenſerentur Levitæ ad normam cenſus, quem in deſerto Moyſes inſtituerat, a trigeſimo ſcilicet ætatis anno uſque ad quinquageſimum; collatiſque tabulis inventa ſunt trigintaocto millia; ex quibus ſexies mille in Judices, quater mille in Oſtiarios, in Cantores totidem, & quatuor ac viginti millia pro variis Templi muneribus ſunt deſtinata. Edixit autem, ut deinceps Levitæ deſcriberentur

(*a*) Vide Calm. diſſert. ea de re editam.

(*b*) 1. Par. XXIII. XIV.

ab anno vigeſimo. Cum enim Arca, & Tabernaculum exinde certo in loco conſiſtere deberent, minuebantur Levitarum onera; neque illi ſacra utenſilia ex uno in alterum locum transferre cogebantur; quare minor illa ætas in eam rem ſatis robuſta viſa eſt. Auguſtiorem præterea Templi præ Tabernaculi amplitudinem, exquiſitioremque Religionis cultum, major profecto miniſtrorum numerus decebat. Levitæ parebant Sacerdotibus, ſed ipſi viciſſim præerant quodammodo Nathinæis, aliiſque, qui ad genus Leviticum non pertinebant; præerant etiam in rebus ad munus ſuum pertinentibus, habebantque de gente ſua Principes.

Cantores. XI. Aſaph, Heman, Idithun, alio nomine Ethan, Muſicæ præfectos agebant (*a*). Horum primo quatuor erant filii; alteri quatuordecim, poſtremo ſex; qui viginti quatuor Cantorum choris Duces præſidebant, ſinguli ſingulis. Sub iis ducibus alii erant Præfecti inferiores undecim pro quolibet choro, aliis cantoribus inſtruendis deſtinati, ut totus Præceptorum numerus 288. expleret. Viginti quatuor filii Aſaph, Heman, & Idithun nullo modo eligebantur. Inferiorum vero undecim magiſtrorum electio ſupremis illis Præfectis veroſimillime relinquebatur. Delecto autem horum Præceptorum numero, ſortium diſcretioni committebatur, quam ſinguli claſſem ſeu chorum implerent, quemve inter ſe ordinem tenerent. Conſtat etiam privatos Levitas juge mini-

(*a*) 1. Par. xxv.

miniſterium Templo non exhibuiſſe, Sabbato expleta ſui muneris hebdomada, una cum Sacerdotibus ad propria redeuntes; ſed Ducum, & Præfectorum perpetuum erat munus, nullaque vacatione gaudebant, Templo, & urbi Hieroſolymæ ſemper addicti.

Locus Levitis in Templo præſcriptus. Varia inſtrumenta muſica. Feminæ interdum canebant.

XII. Tres erant præcipue Levitarum familiæ, Caath, Merari, & Gerſonis: Chaathitæ medium Templi tenebant, Meraritæ ſiniſtram, Gerſonitæ dexteram. Neque ex familia tantum, ſed & ex genere inſtrumentorum Levitæ diſtincti fuiſſe videntur, cum filii Aſaph, *Nabal*, pſalterio nempe vel lyra canerent; filii Idithum, *Kinnor*, ſeu cithara; fili Heman, *Mizilothaim*; quo nomine alii cymbala intelligunt, alii tintinnabula a noſtris tamen aliena: lames ſunt quædam, quæ percuſſæ tinnitu ſuo aerem longe lateque commovent. Non raro inter cantores nomen ſuum dabant Levitæ foribus Templi præſidentes, uti de Levitis e familia Core Janitorum munus gerentibus, memoriæ proditum eſt, cantaſſe nimirum illos, ſicut etiam dictaſſe plures Pſalmos, eorum nomine inſcriptos. Diſputatur autem inter Commentatores, an Templi obſequiis, vel ſaltem extraordinaria aliqua occaſione, feminæ cantatrices, vel inſtrumentis ludere doctæ, inſervierint; id quod tanquam indecorum Rabbini perfracte negant. Nos in ſententiam affirmantem inclinamus. Heman enim, viro inter tres primores Muſicæ Templi Præfectos, præter duodecim filios, tres filiæ numerantur. Ut quid, rogo, feminæ iſtæ recen-

ſentur, præter Scripturæ morem, niſi quod illæ idem cum fratribus canendi munus coram Domino præſtarent? Eodem ſpectant illa pſalmi verba: *Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus in medio juvencularum tympaniſtriarum* (*a*).

David Muſicam promovet. Qua arte Muſica dirigeretur.

XIII. Nihil Moyſes de muſica in Sacrificiis, & Solemniis Religionis adhibenda edixit. At David, cum maxime in muſicam inclinaret, & inſtrumentis peritiſſime luderet, ejuſdem muſicæ uſum in Tabernaculum omnium primus invexit; qua in re genio rudioris populi conſultum eſt, ut ſcilicet in Religionem, reſque ſacras pellieeretur, magiſque ab Idololatria & ſuperſtitione removeretur. Scripta a ſe carmina Rex ad muſicæ Præfectos, concinenda ab illorum clientibus, plerumque mittebat; quin a ſua dignitate alienum non cenſuit, ſi canentibus ipſe præiret, & ad muſicas notas ſacra carmina cantanda ſuſciperet. Juvat tamen ſcire, olim muſicam, varietate ſonorum, & harmonia ex pluribus vocibus reſultante, deſtitutam fuiſſe. Vetuſti enim homines ſcribere parum norant, notaſque muſicas penitus ignorabant; quare ſolo uſu, & conſultatione Magiſtri artem diſcebant. Itaque præfecti chorum ſuum valida voce regebant, qua tantundem præſtabant quantum hodie apta ad numeros geſticulatione. Voce & inſtrumentis canebant Domino laudes veſpere & mane quotidie, cum juge holocauſtum offerretur; idemque pariter ritus in Sabbatis, Kalendis, & reli-

(*a*) 1. Par. XXV. 1. & XV. 2. Pſ. LXVII.

reliquis anni Solemnitatibus ſervatus. De cantoribus ſatis.

XIV. Cuſtodes in quatuor claſſes diſtributi fuerunt pro numero forium Templi ſingulas Orbis plagas ſpectantium (*a*). Porta Orientalis obtigit Selemiæ, Septentrionalis Zachariæ ipſius filio, Meridionalis Obededom, cujus in domo Arca aliquandiu manſit; quæ vero porta patebat in aſcenſu Ædium regalium, exponebatque in Templo, Zephim, & Hoſæ. Hi Oſtiariis, & Cuſtodibus præerant, quorum exiguum non fuiſſe numerum ex eo conſtat, quod Oſtiariorum muneri quatuor hominum millia deſtinarentur. Ducibus nulla erat vacatio, privatis Oſtiariis tantum conceſſa, qui ſervitium per vices ſingulis hebdomadis præſtabant. Non præcipuis tantum Templi foribus aderant cuſtodes, ſed & portis Concilii, Ærarii, & Cellarum omnium, in quibus ſacra ſupellectilia condebantur. Porro Oſtiarii munere fungebantur militari, Prætoriani enim veluti milites Domo Domini noctu diuque adſiſtebant. Hinc illis ſua non deerant arma, ſeligebanturque ſtrenui, & robuſti. Viribus etiam opus erat ad immanes Templi fores claudendas, recludendaſque; ex iis enim quædam tanti erant ponderis, teſte Joſepho, ut viginti hominum niſus vix ſufficeret. *Portarum Templi Cuſtodes.*

XV. Pauca dicenda ſunt de tertio illorum Levitarum genere, qui Judicem, & Præpoſitum agebant, cum alibi de Judæorum Politia tractaverimus. Hebræus habet *Soterim*, & *Schophe-* *Judices ex Levitarum numero.*

(*a*) 1. Par. XXVI.

phetim. Vox Schophetim ſignificat utique Judices, ſed nomen Soterim latius patet, & reddi poteſt non ſolum Præpoſiti, ſed Scribæ, Curatores, Prætores, Caduceatotes, Apparitores, Lictores. Numero erant ſex millia (*a*).

Viginti quatuor Sacerdotum familiæ.

XVI. Per id temporis Principibus & ampliſſimis viris familia Eleazari familiam Ithamari, geminorum ſcilicet filiorum Aaronis, ſuperabat; vel, ut alii malunt, plura hominum capita numerabat genus Eleazari, quam Ithamari. Hinc e genere Eleazari ſexdecim, e genere vero Ithamari octo tantum electæ ſunt familiæ, ut alterno ordine Templo miniſtrarent (*b*). Quo autem diſſidia omnia, & æmulationes ipſis quoque amputarentur, electio & diſtributio harum quatuor & viginti claſſium uno tantum ſortium arbitrio facta eſt, ſolemni tamen ritu, ſcilicet coram Rege, utriuſque originis ſummo Sacerdote Sadoco, & Abiatharo, ac omnium Sacerdotalium, & Leviticarum familiarum Principibus. Addicebant ſingulæ claſſes ſingulos Levitarum ordines, quibuſcum Sabbato inibant, abſolvebantque miniſterium.

Viginti quatuor millia hominum per vices Davidi adſiſtunt.

XVII. Huc uſque de Sacerdotibus, & Levitarum ordine pro cultu Domino, ejuſque Templo impendendo. De curis modo, quas David pro ordinandis rebus politicis ſuſcepit. Deſcripta habebat ex univerſo Iſraele 300. circiter hominum millia, ex quibus juſſit, ut ſingulis menſibus quatuor & viginti millia per vices ſtarent ſub ſignis ad Regis nutum parata

(*a*) 1. Par. XXIII. 4. (*b*) 1. Par. XXIV.

ta (*a*). Breve autem unius menſis ſpatium non prohibebat, quin Cohortes illæ privatis rebus ſtuderent, agros colerent, & alia Reipublicæ onera ſubirent. Cum autem milites ſuo ſumptu, vel Tribuum ex quibus deligebantur, mererent, Rex citra ſuum incommodum tanta cuſtodum copia ſtipabatur, eaque prout ſe ſe offerebat occaſio, uti poterat. Duodecim claſſibus duodecim fortiſſimi Principes præerant, quibus ſingulis alter accedebat, ut eorum loco, ſi quando abeſſent, imperaret. Primam ducebat Jesboam, alteram Dudia, tertiam Banajas, & alias alii, quibus ſuberant milleni, centeni, ceterique inferiores Præfecti, qui facile ad duodecim millia numerabantur, ut additi 288000. militum tercenties mille complerent.

Res œconomica per quos curata.

XVIII. Cum David cuperet, ut agriculturæ, parſimoniæ, & politiæ honos ad Salomonem tranſiret, reliquit illi Præfectos agrorum, arborum vinearum, olivarum, gregum tam ex aſinis, quam camelis, bobus, capellis, & ovibus (*b*). Theſaurorum, qui Hieroſolymis erant, cuſtodia Azmotho commiſſa eſt. Cellis frumentariis per univerſum Regnum conſtitutis præerat Jonathan, vinariis Zabdias, oleariis Joas. Præceptores filiorum Regis erant Jonathan patruus Davidis, & Jahiel Hachamoni filius; quorum primus Legum peritia, & in rebus agendis dexteritate celebrabatur. Jojada, & Abiathar Achitopheli, cujus ſumma laus in conſiliis, ſucceſſerunt.

Abi-

(*a*) 1. Par. XXVII. (*b*) 1. Par. XXVII. 25.

Abiſag fovet Davidem ſenectute rigentem. Adonias conſpirationem molitur, ut Regnum occupet. Salomon ſucceſſor Davidis agnoſcitur, & Rex conſecratur. Adoniæ ad Altare confugienti Salomon parcit. David ſuprema monita dat Salomoni. Moritur. Salomonem in Patris ſepulcro theſauros condidiſſe, ambigitur. David Chriſti typus. Fabula de illius obitu a Judæis conficta.

CAP. XXII.

ANNO MUNDI 2989. ante Chriſtum 1011. *Abiſag David fovet.*

I. CUm David fatiſcente jam ætate, veſtibus, ceteriſque remediis foveri non poſſet, ad hunc uſum medici, ut illi adhiberetur puella, juſſerunt (*a*). Adlecta eſt Abiſag Sunamitis e Tribu Iſſachar, filiarum Iſraelis pulcherrima, quam David in uxorem (nonnulli dicunt in ancillam, alii in concubinam) accepit; nec tamen integro anno, quo apud ipſum morata eſt, illam cognovit.

Adonias in Davidem & Salomonem conſpirat.

II. Interim Adonias cum Davidem patrem ſuum ſub vitæ finem in languorem lapſum, Regni negotiis vacare non poſſe videret, imperium ſibi, ne expectato quidem patris obitu, præripere decrevit. Porro jam ſæpe David viderat Adoniam prodire eo ſtipatum ſatellitio, quod futurum Regni heredem deceret; habebat enim currus, equites, & 50. curſores, qui ubique eum ſequerentur: viderat quidem, ſed ſiluerat, quod formoſiſſimus eſſet, & poſt ſub-

(*a*) 3. Reg. 1.

ſublatum Abſalomum maximus natu. Nihil equidem apud Iſraelitas ſancitum fuerat de ordine regiæ ſucceſſionis, utrum ſcilicet Regni hereditas ad filium, qui ortus prærogativa gaudebat, devolvenda eſſet; ſed cum naturæ leges id poſcere utcumque viderentur, & ea apud omnes gentes ſervaretur conſuetudo, Adonias eo properabat, ignorans, ſive diſſimulans, fidem a patre ſuo datam Betſabeæ relinquendi Regnum nato ex illa Salomoni; id quod Deus ipſe probaverat, confirmaveratque, conceptis verbis exprimens futurum, ut puerum hunc dilectum haberet, & carum (*a*). Adonias amicos præcipue habebat Joabum Ducem exercituum Davidis, & Abiatharum Pontificem, omnium quotquot erant in Regis Aula potentiſſimos. Sadoc vero alter ſummus Pontifex, Banajas Jojadæ filius Prætorianorum militum Præfectus, Nathan Propheta, & plerique exercitus milites ipſi non adhærebant. Quadam igitur die Adonias Judæorum proceres, & regios liberos, excluſis tamen Salomone, Sadoc, Banaja, & Nathano, convivio excepit apud fontem Rogel ad ortum, & ſub Hieroſolymorum mænibus, futurum forte ſperans, ut ſe Regem ſalutarent (*b*).

Betſabea pro Salomone Davidem orat.

II. His Nathan intellectis, omnia ad Betſabeæ, Salomonis matrem, renuntiavit, eamque inſtruxit, ut Davidem adiret, promiſſumque filio ſuo Regnum ipſi in mentem revocaret. Spopondit etiam, ubi hæc Davidi nuntiaſſet, ſe

(*a*) 3. Reg. XII. 25. & XVII. II. & Pſ. CXXXI. I. 3. Reg. VIII. 17. & I. Par. (*b*) 3. Reg. I. 5.

ſe ſuperventurum, & omnia quæ dixiſſet comprobaturum. Paruit Betſabee; quare ad Regem ingreſſa ſe ſe prono in terram ore proſtravit. Interrogata autem a Davide quid vellet: Domine, reſpondit, Salomonem poſt te regnaturum pollicitus mihi es ſacramento; at nunc, te inſcio, imperat Adonias. Victimis ille plurimis mactatis convivio Regis filios, Abiatharem, Joabum, præter Salomonem excepit. Iſraelitæ impatientes poſtremam voluntatem tuam expectant, ut Regem conſtituas. Si enim hunc declarare omiſeris, poſt obitum tuum Adonias necem Salomoni inferet, tamquam Regni affectati, publicique in Rempublicam criminis reo; atque ego communi cum filio exitio involvar.

David Salomonem in ſucceſſorem ſuum declarat.

III. Adhuc ea loquente, nuntiatum eſt, Nathanum adeſſe: qui egreſſa Betſabea, introductus: An, inquit, Domine, Adoniam ſucceſſorem tibi elegiſti? Filios enim Regis, exercituſque Principes, excepto Sadoco, Banaja, Salomone, & me, ad ſolemne convivium invitavit, qui omnes Adoniam in Regem ſalutarunt. Tunc David Betſabea accita promiſſiones de ſubſtituendo ſibi Salomone olim illi factas (neſcimus, qua occaſione) novo Sacramento confirmavit, nullaque interpoſita mora juſſit Sadoco, Nathano, & Banajæ, ut Salomonem mulæ regiæ impoſitum in Gihon, locum ad Occidentem Hieroſolymorum ob aquarum copiam celebrem, frequentatumque, ducerent, ibique Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta inungerent, Regemque conclamarent.

rent. His executioni mandatis, concurrente populo tubarum ſonitu, & vocibus clamantium, Vivat Rex Salomon, aer undique reboabat; ipſo Davide interim Deum benedictionibus proſequente, cujus beneficio ſuis ipſe oculis filium in Regno ſucceſſorem vidiſſet. Cum autem populi plauſus ad aures Adoniæ, aſſeclarumque perveniſſet, quærentibus illis quidnam id eſſet, Jonathas Abiathari filius, Salomonem a Davide ſibi ſucceſſorem renuntiatum, & a populo Regem ſalutatum detulit. Quare ſubito correpti timore ad propria e convivio remearunt. Adonias vero ad Tabernaculum confugiens, apprehenſiſque Altaris cornibus aſylum quæſivit, nec antea diſceſſit, quam facta ſibi a Salomone ſpe, ut ſi quietus maneret, nihil gravius paſſurus eſſet. Venit igitur ad Regem, ipſumque adoravit. Cui Salomon: Pete, inquit, domum tuam.

IV. Inclinans in exitum David, Salomoni ſuprema monita dedit (*a*). Ultima, ait, dies mihi inſtat, properoque per viam, quam mortales omnes terunt. Tu vero nihil eorum negligito, quæ Dominus præcepit, ceremonias, mandata, leges; ea præſertim quæ Regi, & populi Principi præſcripta ſunt. Hæc ſi feceris, & ſapientis laudes aſſequeris, & Dominus, quam mihi fecit, ſpem de perpetuo in noſtra poſteritate Regno confirmabit. Noſti autem Joabi audaciam, qui invito me, ac repugnante filium meum Abſalomum interfecit, malaque æmulatione favoris mei in Amaſam,

Anno Mundi 2990. ante Chriſtum 1010.

Davidis ſuprema monita & mors.

(*a*) 3. Reg. 11.

ſam, & Abnerum viros tantos, ſpecie pacis & amicitiæ deceptos, occidit, quorum cruor per balteum interfectoris fluens infima uſque ejus calceamenta tinxit. Opportunam captabis occaſionem, quæ tibi, pro ea qua polles ſapientia, numquam deerit, ut infami, violentaque morte illum perdas, minimeque permittes ut felicem ſenectutem naturali, & tranquillo exitu claudat, cædibus & criminibus pollutus homo. Mirari ſubit, cur David per ſe ſe Joabum non punierit. Sed populi, militumque favor virum antea tuitus fuerat. Regnum tunc tranquilla pace fruebatur, nec Joabus timendus erat, niſi inter arma, in bello, rebuſque turbatis. Multa etiam David ex illo commoda retulerat, ut quam illi diuturnam conceſſerat, delicti impunitas, meritorum præmium quoddam haberi potuerit. Nulla autem beneficiorum memoria Salomonem Joabo obſtringebat; quin & peculiares illi erant cauſæ perdendi hominem, qui Adoniam ad Regnum evehere, ſe emoto, conatus fuerat. Conviciorum etiam, quibus regiam dignitatem Semei læſerat, vindicem Salomonem David conſtituit; mandavitque viciſſim, ut benevolum erga ſe ab Abſalomo fugientem, Berzellai Galaaditis animum agnoſcat, conceſſo filiis honore regiæ menſæ. Tandem excitandi Templi curam etiam atque etiam illi commendavit, omnibus ejus ædificii modulis, ac paratarum in eam rem divitiarum rationibus in ejus manibus remiſſis. Poſt hæc omnia, diem ætatis anno 70. clauſit poſtquam ſeptem an-

nos

nos & ſex menſes Hebrone, tres vero & triginta Hieroſolymæ regnaſſet; eumque Salomon in civitate ab illius nomine Davidis dicta, ſepelivit.

An in Davidis ſepulcro conditi fuerint theſauri?

V. In ejus tumulo theſauros plane ditiſſimos a Salomone conditos tradit Joſephus: ex quibus poſtea 3000. talenta Hircanum Pontificem, ab Antiocho Hieroſolymis obſeſſum, effodiſſe, eorumque partem Regi tradidiſſe, ut ab obſidione deſiſteret. Addit inſuper Herodem etiam dein poſt magnam pecuniæ vim ex eodem tumulo eruiſſe; neutrum tamen ex his Principibus tetigiſſe loculum, in quo cineres viri ſanctiſſimi continebantur, quippe qui tam alte humi defoſſus eſſet, ut detegi ab illis non potuerit. Sed quorſum ingentes adeo theſauri humi condendi erant, cum interim Salomon maria percurreret, opprimeret vectigalibus populos, mutuo peteret a Rege Tyri 120. talenta? Qui fieri potuit, ut abſtinuerint ab eo theſauro Reges Juda, qui tam ſæpe ſacrum ærarium exhauſerunt, ut moleſtia hoſtium liberarentur? Qui tantæ pecuniæ effugiſſent rapaces Chaldæorum manus, ceterorumque Judaici nominis oſores? Adde, Joſephum hac de re non ſatis ſibi conſtare, cum modo ſcribat, Herodem ex Davidis ſepulcro magnam pecuniam ſuſtuliſſe; modo vero perhibeat, Regem illum pecuniam non inveniſſe, ſed mundum dumtaxat pretioſum, & aurea ornamenta (*a*). Habemus in quarto Machabæorum Libro, Hircanum theſaurum olim ad quemdam ex po-

(*a*) Antiq. l. 7. c. 12. & l. 13. c. 16.

ſteris Davidis ſpectantem recluſiſſe, eumque erutis inde ingentibus pecuniis, nec minori ibi relicta, iterum clauſiſſe (*a*). Ex iis, quæ quidem ad Davidem minime ſpectant, fortaſſe Joſephus ſuam narrationem intexuit. Davidis ſepulcrum ſuo tempore ſuperfuiſſe, teſtatur D. Petrus (*b*), ejuſque partem regnante Adriano concidiſſe, teſtatur Dio in ejuſdem Principis vita. Ad hunc etiam tumulum oratum veniſſe fideles perhibet S. Hieronymus (*c*).

Regum Juda ſepulcra.

VI. Recentiora itineraria hæc habent de Regum Juda ſepulcris (*d*). Superbæ ſtructuræ ædificium eſt, hodie extra mœnia Hieruſalem, olim vero facile intra Urbis ambitum. Offert ſe ſe primo ampliſſimi ſepti atrium patens octoginta pedibus circiter in quadrum exciſum æquatumque in petra, quæ marmor refert. Ad lævam porticus eſt in eadem petra exciſa, quo etiam marmore ſufficiuntur porticus illius columnæ. Deſinit porticus in anguſtum quoddam foramen, unde reptando penetratur in amplum quoddam conclave viginti quatuor pedum in quadrum, diſpoſitas habens circum minores alias cameras, alteram in alteram exponentes per januas in ipſa petra expreſſas. Eodem marmore ſufficitur tectum, januæ limina, ſuperliminaria, ſtipites; quod utique intuentes admiratione ſui detinet. Neque enim fores aliunde tranſvectæ aptatæ ſunt loco, ſed ibi ante cameras exciſæ, adhærent ſaxo, unde

(*a*) 4. Mach. 11.
(*b*) Act. 11. 29.
(*c*) Ep. ad Marcellam.
(*d*) Thevenot Itiner. p. 1. l. 1. c. 40. Maundrel Iter Aleppo Jeruſalem.

de deſumptæ ſunt. Cameræ illæ diſpoſita habent ad latera loculamenta plura, in quibus ſarchophaga recondentia Regum cadavera. Hoc ædificium vetuſtiſſimum eſſe antiquæ Hieroſolymæ monumentum, ultro damus. Quis vero firmiter credat, Davidis eſſe ſepulcrum? Fac ſit; ex diverſis illis conditoriis, vetuſtate paribus, quodnam potiſſimum ad Davidem pertineat?

David Pſalmorum Auctor & Chriſti figura.

VII. Verum ſi Numinis providentia id effecit, ut ipſius ſepulcrum hodie lateat, ſi religioſa illa lypſana penitus ignorantur, manet tamen, æternumque manebit tanti viri monumentum, Liber ſcilicet Pſalmorum ab eo pro majori parte digeſtus, qui gloriam auctoris ſui, ingenium, pietatem melius celebrat, quam magnificum quodcumque Mauſolæum. Quod autem in ipſo Davide, rebuſque ab eo geſtis majoris eſt momenti ad ſolatium Chriſtianorum, illud eſt utique, quod lineamenta in ſe plane multa exhibeat imaginis Jeſu Chriſti. Natus in Bethlehem David, fratribus ſuis præponitur, ungiturque in Regem, ut imperet Iſraelitis loco Saulis, merito ſuæ pervicaciæ & ſuperbiæ reprobati. Hoc quid eſt aliud, quam Jeſus Chriſtus, qui in eadem urbe Bethlehem natus, ungitur, ut ſit ſupra fratres ſuos, ideſt, promulgatur Meſſias, & Unctus Domini, atque Primogenitus ex multis fratribus, deſtinaturque in Caput Eccleſiæ excluſa Synagoga. Victoria Davidis de Goliath, odiumque Saulis pingunt Jeſum Chriſtum, qui cum Cruce ſua dæmonem viciſſet, populum Judai-

cum habuit inimicum, ac totius mundi in ſe, ſuoſque diſcipulos excitatorem. Deſciſcit Abſalomus a Davide, cogiturque tantus Rex pedes fuga ſe ſe præripere Hieroſolymis, lugens, tecto ore, atque a ſuorum pleriſque deſtitutus; nec tamen iſta impediunt, quin per medios veluti hoſtes in Regnum ſuum, majori, quam prius, gloria regrediatur. Cernis expreſſum Salvatorem, hoſtibus proditione Judæ traditum, Hieroſolyma digreſſum, deſertum a diſcipulis, ac Calvarium petentem? Nonne ex illa ignominia prodit reſurrectionis gloria, aſſertumque eſt illi in hunc mundum univerſum Imperium, quod eſt Eccleſia?

Fabula de Davidis interitu.

VIII. Multis fabellis hiſtoriam Davidis infarciunt Doctores Hebræi, ex quibus unam tantum prodimus, quo hominum deliria cognoſcantur. Revelatione admonitus David norat exitum vitæ ſibi inſtare die Sabbati, quem ſane diem emortualem ſibi futurum ægre ferebat, cum nefas ſit ea ſeu plorare, ſeu curare funera. Quare dilationem rogavit uſque mane, ſed non impetravit, id tantum concedente Deo, ut veſpere Sabbati diem clauderet. Opperiebatur diabolus momentum, quo ille ceſſaret a lectione Legis, ut mortalem ictum infligeret; ſed cum operi inſtaret perpetuo, reputavit Satan ad avocandum a lectione virum poma ſibi in horto regio ex arboribus excutienda eſſe. Ad inopinum fragorem accurrit David, & cum raptim deſcenderet per ſcalam nemoris deprehendendo furi, Diabolus ſcalam reduxit ad ſe, ac præceps corruens David interiit

teriit (*a*). Si eoſdem Judæos audias, qua in re conſentientes habent & Muſulmanos, David eodem temporis articulo, quo natus eſt, vivere ceſſaſſet, niſi Adam a Deo id edoctus, 70. annos ſibi ademptos, illi contuliſſet (*b*).

Salomon ſolus regnat. Adoniæ, Abiathari, Joabi, & Semei infortunium. Salomon filiam Regis Ægypti uxorem ducit, ſapientiam a Deo obtinet, difficillimam duarum meretricum cauſam dirimit. Imperii ejus amplitudo, gloria, & felicitas.

CAP. XXIII.

I. SAlomon ſex circiter menſes cum Davide regnaſſe credimus; quo e vivis ſublato rerum pleniori jure potitus, univerſi Iſraelis obſequia recepit (*c*). Adonias interim ad Bethſabeam confugiens: Noſti, inquit, quod Regnum ad me, utpote majorem natu inter Davidis filios, pertinebat, eoque populi favore vocabar; ſed malui cedere, intelligens Deum faviſſe Salomoni. Regnum igitur fratri meo non diſputo, ſed illud tantum te oro, ut Regni loco Abiſag Sunamitidem in uxorem mihi petas a Rege, qui nihil tibi negare poteſt. Annuit Bethſabee; ſtatimque Salomonem adiit; qui ubi matrem aſpexit, ipſi aſſurgens, & veneratus, ad ſolium ſuum deinde

ANNO MUNDI 2990. ante Chriſtum 1010.

Adonias Abiſag in uxorem poſtulans, juſſu Salomonis occiditur.

(*a*) Vide Calm. V. pag. 284. David.

(*b*) Biblioth. Orient.

(*c*) 3. Reg. II. 12.

de regreſſus, ſolio altero ad ſui dexteram, matrem excepit. Tunc illa: Minimum quid rogatura ad te venio, quod tamen, ut mihi concedatur, ſummopere deſidero. Ad quæ Salomon: Pete mater; nefas eſt mihi voti vacuam te remittere. Detur, ait altera, Abiſag Adoniæ in uxorem. Quibus auditis Salomon excanduit, ratus, Adonia nonniſi ſpe Regni tandem potiundi pellectum, defuncti Regis uxorem poſtulare. Cur, reſpondit, cum Abiſag Adoniæ non poſtulas & Regnum, cui præter nativitatis privilegia Abiathar, & Joabus, utriuſque ordinis ſacri & prophani Principes maxime favent? Simulque his dictis, Adoniæ mortem jurejurando decrevit, decretique executionem ſtatim Banajæ commiſit.

Abiathar exauctoratur.

II. Abiatharum etiam ſummum Sacerdotem partibus Adoniæ faventem, in Anathoth ad ruſticam illius domum relegavit, næcis pœna remiſſa, quod Arcam Domini portaſſet, diſcriminumque, quibus David exagitatus eſt, particeps fuiſſet. Quare tota ſummi Pontificatus gloria uni Sadoco afferta eſt. An autem jus eſſet Principi Hebræorum exauctorandi ſummum Sacerdotem, & capite damnandi, non convenit inter Doctores. Illud certum eſt, faviſſe ſcilicet Salomoni Samuelis oraculum, quo futurum pronuntiabatur, ut e familia Heli, ad quam pertinebat Abiathar, amotum Sacerdotium, in familiam alteram transferretur (*a*).

III.

(*a*) 1. Reg. 11. 31.

III. Adonia interfecto, & Abiathare abdicato, Joabus ſibi præcavendum duxit. Itaque in Tabernaculum Domini confugiens, Altaris cornu, ut ſuam vitam tueretur, arripuit. At Salomon aſyli privilegio ſe non poſſe a ſceleſtiſſimi viri cæde deterrere putans, per Banajam ei, ut inde egrederetur, imperavit. Sed cum Joab ex eo loco ſe nunquam evaſurum, ibique potius interiturum reſpondiſſet, Salomon, ne cædes ab eo injuſte illatæ in crimen ſibi, atque univerſæ familiæ ſuæ detorquerentur, Banajam iterum miſit, a quo interfectus eſt. An autem prius ab Altare, & Tabernaculo abſtractus ſit, ut extra locum ſanctum ſanguis illius effunderetur, incertum. Occiſi corpus in ſuis ædibus in deſerto humatum eſt. Tunc Salomon Joabi Præfecturam in Banajam, virum utique tanto muneri non imparem, tranſtulit. Accito tandem Semei Rex, ne ultra ex Urbe digrederetur, ſub capitali pœna inhibuit. Ædificata igitur ibi Hieroſolymis domo, triennio ibi ſe continuit; ſciens vero poſtea, e ſervis ſuis quoſdam ad Achis Regem Geth diffugiſſe, illis reducendis eo ſe contulit. His a Salamone compertis, ſtatim ad ſe virum appellari, atque poſt exprobratam regiæ juſſionis tranſgreſſionem, Banajæ præcepit, ut ipſum interficeret.

Joabus & Semei necantur.

IV. Salomon cum filia Pharaonis, quam plures Vaphrem vocant, nuptias celebravit, deductæque Hieroſolymam ædes in civitate David aſſignavit, magnificam interea Palatii fabricam meditans, quam poſtea ædificato Tem-

Nuptiæ Salomonis cum Regis Ægypti filia.

plo perfecit (*a*). Eo connubio amicitiam vicini illius Regis Salomon ſibi conciliare fortaſſis deſignabat, qua Regnum ſuum etiam atque etiam confirmaretur. Earum nuptiarum veluti epinicium Canticum Canticorum Salomonem adornaſſe ferunt nonnulli, eoque etiam deflectunt Pſalmum quadrageſimum quartum, qui incipit: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico opera mea Regi*. At communis ferme omnium Interpretum ſententia docet, Pſalmo huic, quemadmodum & excellentiori illo Cantico duplicem ſubeſſe ſenſum, alterum humiliorem, qui carnales nuptias Salomonis cum Regis Ægypti filia; alterum ſublimiorem, qui ſpirituales nuptias Chriſti cum Eccleſia exhibeat. Apoſtolus ſane nonnulla ex eo Pſalmo Chriſti attribuit (*b*). Judæi quoque fatentur, Meſſiæ Regnum hic ſpectari. Profecto exhibetur Regina, cujus filiorum imperio Orbis universus ſubjiciendus eſt (*c*). Roboamum Salomonis ſucceſſorem e filia Pharaonis genitum non eſſe, quis ignorat? vel quem latet, anguſtum fuiſſe Judæorum Regnum, Roboami vero, amiſſis decem Tribubus, plus dimidia parte mutilatum fuiſſe? Urbem Gazer Philiſthæorum, quam Pharao pulſis Chananæis ſuæ ditioni adjecerat, in dotem Salomon obtinuit; eamque ipſe poſtea reædificatam munitionibus vallavit (*d*). Nonniſi probabiliter diceremus, Salomonis uxorem, patria religione ejurata, ad Sancta Judæorum tranſiiſſe; ſed

(*a*) 3. Reg. III.
(*b*) Hebr. I.8.
(*c*) Pſ. XLIV. 18.
(*d*) 3. Reg. IX. 16.

ſed recidiſſe creditur in avitam ſuperſtitionem, ſuoque lapſu maxime omnium feciſſe, ut Salomon in errorem & vitia laberetur.

V. Populus Judæorum per id temporis, nulla remoratus religione, Excelſa frequentabat, loca ſcilicet in montibus edita, præſentia Arcæ, & Sacrificiorum oblatione conſecrata, uti Bethel, Silo, Galgala, Ramatha, & Gabaon (*a*). Neque id tunc nefas erat, cum Lex vetans, alibi offerri Sacrificia, præter quam in Tabernaculo, accipienda eſſet pro tempore, quo fixa foret ac certa Tabernaculo ſedes, hoc eſt, poſt ædificatum Templum. Hinc ipſemet Salomon nequaquam veritus eſt initio Regni ſui Gabaonem ire, ibique ſuper Altare æneo, per Moyſem olim conſtructo, mille hoſtias Deo in holocauſtum mactare. Nocte autem, quæ poſt ſacrificium ſubſecuta eſt, Deus apparuit Salomoni, eique ut peteret quæ maxime cuperet, facultatem fecit. Rex poſt habitas illi gratias de beneficiis ab eo in patrem, & in ſe collatis, ſapientiam innumerabili populo, quibus præerat, gubernando non imparem poſtulavit. Petitionem hanc Deus maxime probavit: quare dixit illi: Cum neque longam ætatem, neque divitias, neque de hoſtibus victoriam, ſed ſapientiam unice rogaveris; ideo & quod petiſti, & cetera etiam quæ petere poteras, tanta affluentia tibi largiar, ut omnium Regum, qui ante te vixerunt, quique poſtea vivent, præſtantiſſimus evadas; vitaque etiam in multos annos pro- *Deus Salomoni apparet.*

tra-

(*a*) 3. Reg. III. 2. Vide Calm. ibid.

tracta fureris, modo in fide, & diſciplina permaneas. Salomon mane excitatus, ingentem ſibi factam ſpem animo verſans, Hieroſolymam regreſſus, nova Sacrificia in Altari ante Arcam obtulit, ſolemnique epulo ſervos ſuos excepit.

Celebre Salomonis judicium.

VI. Quanta vero polleret ſapientia Salomon, ſtatim paruit; nam accidit ut duæ meretrices, vel feminæ cauponariæ, inter ſe rixantes querelam alterius de altera coram Rege deferrent. Ex illis altera accuſabatur, proprio filio inter dormiendum oppreſſo, clam e latere alterius contubernalis mulieris infantem ſubduxiſſe, defuncto interim in ejus loco ſuppoſito. Illa pro viribus accuſationes depellere, ſe nonniſi per calumniam, fraudis, & erepti filii ream agi contendens. Alius a Salomone Judex incertus hæſiſſet, quod de re ageretur domi, nullo teſte perpetrata. At Solomoni ſtatim ſuccurrit, quo indicio ſuperſtitis pueruli vera mater dignoſceretur, amor ſcilicet pietaſve materni cordis erga filium; quare juſſit ſatellitibus, ut infantem medium præciderent, ac ſuam utrique altercanti portionem darent. Altera ex feminis ſententiæ acquieſcente, altera maternis viſceribus commotis, clamare ſtatim, malle ſe cauſam adverſæ parti cedere, quam inſontem puerum crudeliter abſciſſum ſpectare. His a Rege animadverſis poſteriori cauſam adjudicavit; quippe quam affectus veram matrem probaverat. Ejus rei fama per univerſum Regnum vulgata, mirum quantum apud omnes Regi obſequium & timorem conciliarit.

VII.

VII. Ejuſdem ſapientiæ ſpecimen ſunt 3000. parabolæ, & 1005. ſive 5000. ut habent quædam exemplaria, cantica ſcriptis mandata, quorum pars forte ſupereſt in Libris, quos ex ipſo habemus. Diſputationes etiam de ſingulis arboribus a cedro Libani uſque ad hyſſopum, plantam muralem, inſtituit. Idem præſtitit & de animalibus terreſtribus, de avibus, de reptilibus, & piſcibus (*a*). Proverbia, Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum modo ſuperſunt. Sunt qui libros Jobi, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici eidem auctori tribuant, de quibus noſtrum alibi proferemus judicium (*b*). Ejus etiam opus creditur a nonnullis Pſalmus 44. *Eructavit cor meum verbum bonum*; Pſalmus 71. *Deus judicium tuum Regi da*; & Pſalmus 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum*. Circumfertur pariter Pſalterium Salomonis, quod 18. Pſalmis ad imitationem Pſalmorum Davidis non infeliciter adornatis, fragmentiſque Prophetarum Iſaiæ, & Ezechielis ſcite refertis conſtat. Verum opus illud Hebræos prorſus latuit, nec Latinis innotuit; & veteres nonnulli Græci, ad quos forte pervenerat, nunquam tanquam divinum laudarunt. Inventi alphabeti Syriaci, & Arabici gloriam Orientales quidam Solomoni tribuunt. Eupolemus apud Euſebium duas epiſtolas, alteram ad Vaphræum Ægypti Regem, cujus filiam ſibi in uxorem duxit, alteram ad Suram, facile Iram, ſive Hiram, Regem Tyri, ut fetus Salomonis recitat.

Salomonis ſapientia.

(*a*) 3. Reg. IV. 32.
(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. 7. c. 7.

citat. Plures etiam de Magia libros, ut & de ratione adjurandi dæmones e corporibus pellendos ſcripſit, ſi Joſephum audias. Harum quinimo rerum periculum feciſſe Judæum quemdam nomine Eleazarum coram Veſpaſiano, ſe etiam aſpiciente, idem teſtatur (*a*). Verum hæc atque alia multa, quæ Salomoni deputantur, in apochryphorum cenſum referimus. Illud autem in dubium revocari non poteſt, Deum ei tantum adjeciſſe mentis acumen, ut ne ipſe quidem numerus arenarum, quæ in littore jacent, ipſum latere videretur. Orientales omnes, & ipſimet Ægyptii, quamvis omnium doctiſſimi haberentur, Salomoni concedebant. Quis quatuor illis viris Ethan, Heman, Chalcol, & Dorda ſapientior? Illos tamen Salomon ſuperabat. Noviſſe creditur Aſtronomiam, Scientiam temporum, Arithmeticam, diſpoſitionem Univerſi, virtutes Elementorum, Œconomiam, Architecturam, Magiam naturalem; denique Phiſices abdita omnia pervaſit; qua ſapientiæ fama ex toto terrarum Orbe ſciendi cupidos ad ſe trahebat (*b*).

Regni Salomonis pax, amplitudo, miniſterium affluentia.

VIII. Regno fruebatur Salomon pacato adeo & quieto, ut tota late ejus ditio nullo hoſtium timore vel minimum ſollicitaretur; finitimas enim gentes vel tributo obnoxias, vel ſaltem fœderatas & amicas habebat (*c*). Principi huic tota parebat regio a Thapſaco ad Euphratem, aduſque Gazam ad Mediterraneum. Damus catalogum virorum, quos Salomon

(*a*) Antiq. l. 8. c. 2.
(*b*) 3. Reg. IV. 29.
(*c*) 3. Reg. IV. 24. & 2. Par. IX. 26.

lomon Adminiſtros habebat. Sadoc ſummo Sacerdotio fungebatur. Banajas erat ſupremus Dux; Azarias Sadochi filius, Elihoreph, & Ahia a ſecretis; Joſaphat filius Ahilud Magiſter libellorum; Azarias filius Nathan iis præerat, qui Regi proximius ſerviebant; Zabud filius Nathan Salomonis favore fruebatur; Ahiſar domus curam gerebat; Adoniram tandem vectigalia excipiebat. Habebat præterea Salomon duodecim viros, quorum ſinguli ſingulis menſibus ex ſibi aſſignata Palæſtinæ portione regiæ menſæ panes & dapes comparabant, ſimulque paleam & hordeum in uſum equorum. Erat autem ingens adeo multitudo eorum, qui in Salomonis ædibus veſcebantur, ut ſingulis diebus triginta cori farinæ electæ, ac ſexaginta vulgaris abſumerentur. Porro corus 800. libris pendet. Quod ad dapes carnium attinet, quotidie decem boves pingues in eum uſum ſaginati mactabantur, adjectis etiam e grege 20. bobus, 100. arietibus, ut nihil dicam de bobus ſylveſtribus, damis, cervis, & altilibus, venatione paratis. In menſa Salomonis appoſitas credimus dapes omnes, quæ deinde inter Aulæ miniſtros diſtribuerentur; quorum numerum juxta Villalpandum 48600. æquabat. Equorum, & curruum immenſam copiam Salomon comparaverat, quorum tamen numerus variantibus inter ſe ſe Libris Regum & Paralipomenon ægre definiretur. Illi enim habent 40000. præſepia equorum currilium, iſti 40000. equorum, vel juxta He-

Hebræum, 4000. præſepia (*a*). Calmeto, utroſque concilianti, ſunt quatuor millia præſepia equorum currilium, quibus ſingulis decem æquos aſſignat, ut equorum numerus ſit 40000. Sed quinam illi? Bellici an veredarii? Veredarios putamus, nullo enim bello petitus eſt Salomon. Erant illi præterea duodecim millia equorum, quibus ipſe, ejuſque cuſtodes, comiteſque utebantur. Paſcendæ autem tantæ equorum multitudini plures urbes, agrique per omne late Salomonis Regnum erant conſtituti. Equi autem omnes ex Ægypto adducebantur, ſolutis in ſingulos centum quinquaginta ſiclis argenti (*b*). Quod autem varii varie intelligunt. Sunt qui dicant, illum eſſe equorum pretium, alii malunt vectigal. Hi vero iterum dividuntur; ſi enim nonnullos audias, vectigal Salomonis publicanis ſolvebant mercatores, qui equos ex Ægypto in Judæam adductos, in Syriam, vicinaſque Provincias diſtrahebant; ſi ceteris fidas, Salomonis miniſtri tributum illud ſolvebant Ægyptiis pro equorum egreſſu ex ipſorum Regno.

Salomonis divitiæ. IX. Salomonis divitiæ divitias omnium forte, qui adhuc floruerant, ditiſſimorum Principum ſuperarunt. Eo enim regnante, argenti copia Hieroſolymæ lapides æquabat; nec cedri ſycomoris, quibus regio conſiſta erat, rariores habebantur (*c*). Proventus ipſius ſingulis annis *666.* auri talenta dimetiebantur, quibus

(*a*) 3. Reg. 12. 26. & 2. Par. 1. 13 & IX. 25.

(*b*) 3. Reg. x. 29.

(*c*) 3. Reg. x. 14. & 23. & 2. Par. 13. 27.

bus & tributa Regum, & populorum, Iſraelitarumque vectigalia, atque portoria addenda ſunt: quæ majorem forte pecuniæ ſummam conficiebant. Militibus corporis cuſtodibus ſcuta 200. conflavit, ſingula ſexcentis ſiclis aureis appenſa. Fecit & 300. peltas, ſcuta ſcilicet lunata, quæ ſingulæ auro puro veſtiebantur, pondo 300. minarum, ſive duodeviginti millium ſiclorum. Cum autem hæc ſarcina, tercentorum ſcilicet ac ſeptuaginta quinque librarum Romanarum unius hominis vires ſuperet, reputare poſſumus ad pompam potius, quam ad uſum poſitas, conſtitutaſque fuiſſe, eas peltas in Aula, ſeu Armentario, corporis cuſtodibus deſtinato. Vaſa omnia, atque totius domus utenſilia auro fulgebant. Undique confluebant vaſa aurea & argentea, equi, muli, panni pretioſi, aromata, arma, muneris loco oblata. Habes hic deſcriptam Regni Salomonis felicitatem, non qualis ab exordio ipſius fuit, ſed qualis ſucceſſu temporis evaſit. Sed nihil magis Salomonis opulentiam oſtendit, quam Templum ab eo ædificatum.

LIBER SEXTUS.

Fœdus inter Salomonem & Hiram pro Templo conſtruendo. Artificum numerus. Tempus fabricæ impenſum. Templi deſcriptio.

CAP. I.

ANNO MUNDI 2992. ante Chriſtum 1008.

Fœdus inter Salomonem & Hiram.

I. Hiram Rex Tyri in univerſum Iſraelem Regnum cepiſſe Salomonem intelligens, ut confirmaret fœdus, & amicitiam, olim cum Davide compoſitam, miſſa legatione gratulatus eſt (*a*). Salomon viciſſim Legatos ad illum miſit, qui ſuo nomine gratias illi agerent, poſcerentque artifices, qui ex Libano ligna cedrina, & abiegna in uſum Templi a ſe ædificandi cæderent, dolarent, demitterent ad mare, agerentque uſque ad commodiorem portum. Poſtulatis Hiram haud invitus acquievit, petens tamen ut in operariorum mercedem annonam ſolveret, cujus Tyrii, navigatione & piſcatura diſtracti, caritate laborabant. Conditione utrimque acceptata, Hiram artifices deſtinavit, Salomon vero in ſingulos annos illi 20000. coros frumenti, hordeique, totidemque metretas vini, oleique ſata ſufficiebat.

Artificum pro conſtruendo Templo numerus.

II. Salomon Templo ædificando 150000. Proſelytorum, veterum Chananæorum reliquias, adhibuit, ſcilicet 70000. ſarcinis vectandis, 80000. cædendis, dolandiſque in montibus

(*a*) 3. Reg. v. & 2. Par. 11.

tibus lignis & ſaxis (*a*). His præerant 3300. ab aliis 300. pariter directi, inſpectores. Præter hæc, 30000. Iſraelitarum in Libanum mittebantur ſub Adoniram Præfecto, ita tamen diſtributa, ut in ſingulos tres menſes nonniſi uno menſe laborarent: neque enim addicebantur operi niſi decem millia ſimul, neque diutius quam per menſem (*b*). His ſi addas Tyrios, & Sidonios, quos mittebat Rex Hiram, operariorum, qui in uſum Templi inſudabant, numerum pene incredibilem reperies. Porro Hiram alterum ſibi cognomine virum, artificem in auro, argento, ære, ferro, marmore, ligno, ſinguliſque laneis operibus, phrygiis, & plumariis peritiſſimum miſit, quem proinde Salomon omnibus Templi artefactis præfecit.

III. Salomon Templum fabricare aggreſſus eſt anno Regni ſui quarto, ab egreſſu vero Iſraelitarum ex Ægypto 480. menſe Zio (*c*), qui eſt Anni ſancti ſecundus, noſtro Aprili, & Majo correſpondens. Abſolvit autem grande illud Opus poſt ſeptem annos cum dimidio, menſe Bul (*d*), qui eſt octavus ejuſdem Anni ſancti, noſtro Octobri, & Novembri congruens. Deſcriptionem hic damus hujus Templi, uti nobis illam Ezechiel, & Libri Regum, & Paralipomenon ſervarunt. Fatemur quidem, Templum illud, quale deſcribit Ezechiel, nunquam a Judæis poſt egreſſum a capti-

ANNO MUNDI 2993. ante Chriſtum 1007. *Salomon Templum ædificat.*

(*a*) 1. Par. XXII. 1. & 2. Par. II. 17.
(*b*) 3. Reg. V. 14.
(*c*) 3. Reg. VI. 1.
(*d*) 3. Reg. VI. 38.

ptivitate reſtitutum fuiſſe. Cum tamen ipſe ſacerdotali munere fungens, omnia, quæ Templi prioris eſſent, comperta habuiſſe potuerit, hinc facile credimus, deſcriptam apud illum Templi Salomonis formam ſervari.

Templi ſitus & œconomia.

IV. Æquatus in aream 600. cubitorum in quadro arduus præruptuſque Moriæ mons, aptum excipiendo Templo ſpatium exhibuit (*a*). Non ita tamen ad libellam complanatus erat, quin aliquantulum molliter aſcendens gradus per intervalla non exigeret. Hinc ædificium circumquaque humilius, media ſui parte adeo excelſum erat, ut ex adverſo advenientibus a pluribus ſtadiis conſpiceretur. Immanibus muris, 300. cubitorum altitudinem alicubi excedentibus, aggeres ſolum ſuſtinentes fulciebantur triplici ex parte, ſcilicet ab Occidente, Septemtrione, & Meridie; quæ ſubſtructiones lapidibus conſtabant 40. cubitorum longitudinis, contra temporum injurias ferro & plumbo colligatis. Opus tamen illud diu poſt Salomonem perfectum eſt. Ex Oriente facilior montis acceſſus populo patebat, ubi Salomone curante ſtructus fuerat murus, quo hiatus humo congeſta exæquarentur, ſpatiumque conſtruendæ moli utcumqne fieret. Porro Templum tribus conſtabat Atriis, altero alterum ambiente, & illuc per diſpoſitas portas aditum aperiente. Intra tertium tandem Atrium ſacra maxime Ædes, ceu Numinis ſedes, continebatur. Ea autem ædificii ratio inita eſt, ut Veſtibulum ad Orientem, Sanctuarium ve-

ro

(*a*) Joſeph. de Bello l. 5. c. 14.

ro ad Occidentem reſpiceret, quo adoraturi ad Occidentem ſpectare cogerentur.

Tria Atria, nempe Gentilium, Iſraelis, & Sacerdotum.

V. Totum ſpatium paries ſex cubitorum altitudinis, totidemque latitudinis ambiebat (*a*). Muro ſuccedebat primum Atrium, quod vulgo Gentilium appellatur, 50. cubitorum latitudinis (*b*); deſinebat autem in murum, alterum Atrium Iſraelis dictum complectentem, 500. cubitorum in quadro (*c*). Atrii Iſraelis latitudo 100. cubitorum ſpatio in quadro dimetiebatur, regnantibus circum porticibus, triplici columnarum ordine ſuffultis, celliſque, ac culinis inſtructis. Conſtituunt autem nonnulli, columnas ſuſtinuiſſe tres porticuum ordines, alterum ſuper alterum, ſuis conclavibus & ipſos munitos. Quatuor eo aditus patebant, ad Orientem videlicet, Occidentem, Septemtrionem, & Meridiem, quorum omnia veſtibula ejuſdem erant menſuræ, & operis; ſeptemque ſingula gradibus inſtruebantur. Porro portæ octo cubitis in latum, tredecim in altum petebant; ipſa vero veſtibula altitudinem 60. cubitorum, latitudinem 25. æquabant (*d*). Menſuras altitudinis alarum, vel ædium regnantium circa Atrium ſilet Scriptura. Nos illis aſſignamus 30. cubitos, quod ſcilicet non magis aſſurgeret Sanctuarium, ſive Templum proprie dictum. Itaque Veſtibula, in quibus portæ aperiebantur, turrium inſtar, ſupra ceteras ædificii partes duplo ſurgentia, Templi ſplen-

(*a*) Ezech. XL. 5.

(*b*) Ezech. XLV. 2. Calm. hic.

(*c*) Ezech. XLII. 16.

(*d*) Ezech. XL. 9. 11. 13. 14.

ſplendori inſerviebant. Atrii Iſraelis meditullium Atrium Sacerdotum 100. cubitorum tenebat, cujus murus exterior, vel clauſtrum, ſpatium 200. cubitorum deſcribebat. In eo autem extimo & ampliori Iſraelitis reſervato cedebat, quod neque periſtylium, neque cellas in latere Occidentali, ſed tantum parietem haberet. Erat & aliud diſcrimen, quod ſcilicet Atrii Sacerdotalis parietes ea arte ædificati eſſent, ut tribus lapidum ordinibus ſuccederet alter ligneus ex cedro; quæ ædificandi ratio ſubinde uſque ad ſummum muri verticem ſervata eſt (*a*). Tres in illo Atrio erant fores octo gradibus imminentes, ad Orientem, Septemtrionem, & Meridiem. Porta Orientalis tota hebdomada clauſa, nonniſi die Sabbati & Calendarum aperiebatur. Ibi Rex adoraturus Thronum habebat. Viginti ab ædificio atrii Sacerdotum cubitis ſeptum decurrebat, tribus oſtiis, uti atrium ipſum Sacerdotum diſtinctum, quod, teſte Joſepho, tres altitudinis cubitos obtinebat (*b*).

Altare Holocauſtorum, Mare æneum, & Luteres.

VI. Intra hoc ſeptum, contra Orientalem portam, Altare Holocauſtorum eminebat, quod cubi ſpeciem referens, 20. cubitos in longum, totidemque in latum, & 10. in altum æquabat. Æreis, craſſiſque laminibus obductum erat; ſed interiora ex impolitis lapidibus, quantum putamus, conſtabat, ad quod in Orientali latere aſcenſus fabrefactus patebat. In eadem atrii area ſpectabatur Mare æneum, vas ſcilicet a Salomone in uſum Templi

(*a*) 3. Reg. VII. 36. (*b*) Antiq. l. 8. c. 2.

pli conflatum, cujus diametri 10. cubiti, ambitum vero 30. circiter metiebantur. Rotundum erat, atque quinque cubitis profundum. Labrum ornabat ænea faſcia, pomis, ſphærulis, & boum capitibus anaglyphico opere inſculpta. Bathos 2000. ſive 3000. capiebat (*a*). Baſis ejus ſpeciem amplæ ſatis columnæ exhibebat, quam boves duodecim exciperent, tres utrinque ad quatuor latera, ut quadruplex inter illos tranſitus hauriendæ aquæ per epiſtomia baſi incerta, pateret. Maris ænei aquæ lavandis Sacerdotibus ſacra operaturis adhibitæ. Erant & decem Luteres, quorum quinque ad Templi dexteram, quinque vero ad ſiniſtram in eodem atrio conſtituti (*b*). Luter autem erat vas quatuor Cherubim ſuffultum, quorum ſinguli baſibus nitebantur, quæ rotis & humerulis inſtructa, ad illud huc & illuc, ut opus expoſceret, transferendum, conferebant. Hujus ſtructura duplex; conſtabat enim labro, ſeu lavacro, in quod ex altero vaſe ſibi imminente, aquæ per epiſtomia egredientes decidebant. Opus omne undequaque æneum; quadratum vas, leonum, bovum, & Cherubim, hieroglyphicis nempe animalibus diſtinctum; bathos 40. capiebat; deſtinatum autem erat in uſum lavandi victimas, cultros, & alia inſtrumenta, Sacrificiis offerendis neceſſaria.

Quibus in Atria ingredi permittebatur.

VII. Porro primum Atrium idcirco Gentilium dicebatur, quod eo ingredi illis fas eſſet, ultra progredi nefas. Atrium Iſraelis

(*a*) 3. Reg. VII. 26. & 2. Par. IV. 5.

(*b*) 3. Reg. VII. 26.

Iſraelitis omnibus, modo puris, permiſſum erat: qui & deducere victimas, permittebantur ad interiora Atrii Sacerdotum, ad ſeptum illud, quod medium ſecabat Atrium; ibi autem remiſſis hoſtiis, Atrium ſuum repetebant, Dei Miniſtris locum totum cedentes.

Templum proprie dictum.

VIII. Atrium Sacerdotale ad Occidentem excipiebat fabricam, quæ Templi potiſſimum nomine diſtinguebatur. Totius ædificii menſura 70. cubitorum in longum, 20. in latum, 30. in altum (*a*). Tribus conſtabat partibus, Veſtibulo, Sancto, & Sanctuario, ſive Sancto Sanctorum. Ex 70. longitudinis cubitis 10. occupabat Veſtibulum, 40. Sanctum, 20. Sanctuarium. Lateralibus parietibus ad Meridiem, Occidentem, & Septemtrionem adhærebant conclavia quinque cubitorum altitudinis, triplici contignationum ordine diſpoſita. Trabes, quibus eæ contignationes fulciebantur, receſſibus hinc lateralium Templi parietum, inde parieti extimo conclavium incumbebant. Primus ordo quinque cubitis latitudinis definiebatur; alter uno cubito latior, quod tantumdem ſpatii parietes Templi ſenſim recedentes permitterent; qua pariter ratione ſeptem cubiti tertio ordini relinquebantur. Reliqua ædificii altitudo, quæ ſupra horum conclavium altitudinem 15. cubitis erigebatur, feneſtras luci in ædem ſacram demittendæ, dabat. Scalæ in cochleæ modum ſtructæ ad extremas contignationum oras aditum aperiebant e Veſtibulo in conclavia.

IX.

(*a*) 3. Reg. VI. 2. 3.

IX. Lapides, quibus Templum conſtabat, non tantum erant pretioſi, ſed quales e montibus devehebantur; quod ſcilicet parati eſſent antea, & ad menſuram accurate adeo ſecti, dolatique, ut ad ædificium translatos reformare opus non eſſet. Fornix, & tectum Templi e cedro erat, quo etiam ligno veſtiebantur parietes ab imo, uſque ad ſummum, non Sanctuarii tantum, ſed etiam Sancti. Pavimentum ſtratum erat aſſeribus, non cedrinis, ſed abiegnis. Omnes vero partes Sanctuarii, & Sancti, fornix, parietes, pavimentum, laminis aureis obductis nitebant. Cedro etiam & auro radiabat ſeptum illud medium, quo Sanctum a Sanctuario diſtinguebatur. Cum autem per totos Templi parietes palmæ, vel columnæ in figuram palmarum, hoc eſt, pilaria in ſuperiori vertice palmarum foliis ornata, & Cherubim identidem per intervalla diſpoſita viderentur, ut additum aurum nihil ſculpturis & cælaturis officeret, cogebantur laminæ aureæ ligno applicatæ, figuris expreſſis adamuſſim accommodari. Sanctuarii porta erat ex oliva, vel ligno pingui; Sancti vero, ex abiete, vel cedro. In utriuſque autem poſtibus Cherubim & palmæ auro ſuperindutæ. Porta Sancti tempore Joſephi oppanſo tenui velo, cæruleis purpureiſque floribus diſtincto, obducebatur: nec aliud ab eo in morte Chriſti ſciſſum putamus.

Pretioſa materie Templum conſtruitur.

via

X. Veſtibulum igitur petentibus, janua 14. cubitis lata patebat, ſcalæ octo graduum imminens, nullo ſeu ligno, ſeu oppanſo velo

Columnæ Jachin, & Booz.

clauſa. Ad utrumque veſtibuli latus duæ columnæ æreæ collocatæ erant, quarum alteri nomen *Jachin*, hoc eſt, *Deus eam ſtatuit*; altere vero *Booz*, nempe, *In eo firmitas*. Utraque ſimul altitudinem cubitorum 35. æquabat; quare decem & ſeptem cum dimidio cubitorum altitudo ſingulis contigerat. Eis tamen interdum decem & octo cubiti tribuuntur, integro numero pro fracto ſubſtituto. Interius cavæ quatuor digitorum craſſitiem habebant. Duodecim cubiti earum ambitum, quatuor diametrum dimetiebantur. Cujuſque columnæ epiſtylium quinque cubitis aſſurgebat, ſed detractis liliis, quæ in vertice eminebant, ceteriſque ornamentis, quibus cum trunco columnæ jungebatur, tres cubitos non excedebat; ablato vero tantum faſtigio, quatuor cubitis attollebatur. Sic varia de earum epiſtylii menſura conciliarentur Scripturarum loca (*a*). De baſis menſura nihil habet ſacer Textus. Ceterum, cum inter craſſitiem, & altitudinem utriuſque molis, non æqua ſatis appareat proportio, quæ in columnis deſideratur, hinc intelligimus, normam Architecturæ Græcorum, & Romanorum in Templo Salomonis ſpectari non poſſe, etſi aliis aliter viſum ſit. Lilium, vel roſa germinare videbatur ex ipſo capitello, ſeſeque porrigere ſupra quædam retia, & malogranata ex fuſo metallo, quæ capitellum ornabant. Sunt qui putant capitella ornata fuiſſe catenulis, e quibus penderent tintinnabula, malogranata dicta, ut tinnitu ſuo aves

arce-

(*a*) 3. Reg. VII. 15. & 2. Par. III. 15.

arcerentur. Porro malogranata iſta duplici erant ordine diſpoſita ſingulis capitibus columnarum in formam torquis; & ſingulis ordinibus centum erant malogranata, ut quælibet columna haberet ducenta.

XI. In Tabernaculo Moyſes unicum candelabrum, & unicam panum propoſitionis menſam erigi curaverat. At Salomonis juſſu in Sancto decem erant candelabra ejuſdem metalli, atque figuræ ac Moſayci, duobus lateribus Meridionali, ac Septemtrionali diſpoſita. Erant & decem menſæ aureæ, alterno ordine cum ſingulis candelabris conſtitutæ. Etiam Altare thymiatis, quod Moyſes erexerat, anguſtius viſum eſt Salomoni, quam Templi a ſe conditi majeſtas pateretur; quare illo, aliiſque Tabernaculi utenſilibus in Templi ærario ſepoſitis, ut tradunt Rabbini, aliud condi juſſit e lignis cedrinis, aureiſque laminis obductum. Cherubim tamen, quos Salomon condidit, inferiori conſtabant materia, ac Cherubim e ductili auro, quos Moyſes ſuper Arcam Fœderis conſtituit; quamvis enim laminis aureis radiarent, erant tamen e ſimplici ligno oleoſo, qualis eſt oliva, pinus, cupreſſus. Gemini illi quidem, ut Moſaici, ſed protenſis alis ſingulis decem cubitorum, tota demetientes Sanctuarii latitudinem, Arcam, minoreſque Moyſis Cherubinos tegebant, ſtatura in altum decem itidem cubitis protracta. Erexit tandem Salomon Altare lapideum, quo Arca ſuſtineretur. Veſtivit illud cedro, tum cedro addidit aurum puriſſimum, ut eo metallo non ſecus ac reliquæ omnes interiores Templi partes, niterent. *Candelabra, Menſæ, Cherubini.*

XII.

Templi utenſilia. XII. Hydriæ, fuſcinulæ, phialæ, mortariola, & thuribula pro Templi miniſterio omnia ex auro conſtabant (*a*). Grandia hæc, quæ de Templi divitiis narrat Scriptura, minora ſunt illis, quæ Joſephus habet (*b*). Numerat enim 710000. diverſi generis vaſa partim ex auro, partim ex argento; ducenties millenas tubas, quadringenta millia muſicorum inſtrumenta ex electro, metallo apud veteres pretioſo; ducenties mille veſtes pro Levitis, decies mille pro Sacerdotibus, & mille pro ſummo Pontifice. An hæc exaggerata ſint, alii viderint.

Auctores, qui de Templo ſcripſerunt. XIII. Porro in deſcribendo Templo variat ſane multum Joſephus, qui non Salomonicum, ſed ab Herode reſtitutum deſcribit; quod ſane alterius erat a Salomonico, & a Templo poſt captivitatem conſtructo, ingenii & ſtructuræ magnificentioris; quanquam Salomonicum divitiis longe præſtaret. Quæ apud Rabbinos, eoſque ſecutum D. Prideaux, legimus de aſſignatis ad certos quoſdam uſus variis Templi partibus, deque aularum ſtructura, aliiſque, & apud Ezechielem, & apud Scripturam reliquam prorſus deſiderantur; vixque, ac ne vix quidem cum iis, quæ Joſephus habet conciliari poſſunt. Quam exhibet Villalpandus ejuſdem ædificii œconomiam, paulo exaggratam judicamus. Vir enim occupatus grandibus illis ideis Architecturæ Græcorum, & Romanorum, atque altiſſima opinione de ſtructura Templi Salomonici, cujus Deus ipſe normam

(*a*) 3. Reg. VII. 50. (*b*) Antiq. l. 8. c. 2.

mam tradiderat, direxeratque ipſe per ſe Salomon, qua ſapientia, qua divitiis, qua ingenii præſtantia, ceteris omnibus Regibus multo ſuperior; hiſce, inquam, omnibus occupatus, reputavit, quæcumque auguſta, quæcumque ſuperba conciperet de Templo illo, minora eſſe, quam ut rei granditatem æquarent. Quare nihil omiſit intentatum, ut Templum quam fieri poſſet magnificentiſſimum exhiberet; pluraque ornamenta adjecit, omiſſa quidem in ſacro textu, ſed non omittenda juxta regulas Architecturæ, quas optime callebat. Tandem Templi deſcriptio adeo difficilis eſt, ut poſt tot virorum doctorum labores, nihil adhuc ſatis abſolutum de illius forma traditum fuiſſe, omnes conveniamus.

Templum dedicatur, in quod Arca transfertur. Dei apparitio. Salomonis oratio. Ignis prodigioſus. Ædes Salomonis, ejuſque uxoris. Salomon urbes varias munit, claſſemque in Ophir tranſmittit.

CAP. II.

I. ANno Regni Salomonis undecimo, ſuprema manus Templo impoſita eſt; ſed ejus dedicationem in alterum annum, Jubileo, & quieti ſacrum, differre e re putavit Salomon, ut populo per otium liceret conventui ſatis diuturno, ac omnium celeberrimo intereſſe (*a*). Electa ad eam rem dies octava men-

Anno Mundi 3001. ante Chriſtum 999.

Templum dedicatur, in quod Arca defertur.

(*a*) 3. Reg. VIII. 2. ſer. ad ann. 3001. Par. V. VI. VII. Vide Uſ.

menſis Ethanim, qui eſt ſeptimus Anni ſancti, & primus Anni civilis, noſtro Septembri, & Octobri reſpondens. Integra hebdomada ſolemnitas celebrata eſt, quam ſtatim ſolemnitas Tabernaculorum alia hebdomada excepit; adeo ut 14. ſive 15. dies populus ſolemnes duxerit. Acciti ad feſtum Seniores Iſraelis una cum populo; delata in Templum munera omnia, & ſpolia, quæ David, ceterique Iſraelitarum Duces olim Domino conſecraverant; eaque Sacerdotes, & Levitæ in ſacro ærario depoſuerunt: idem & cum Tabernaculo, & Altari Moſaico, quæ Gabaone diu ſubſtiterant, ornamentiſque, ac ſacris vaſibus ſervatum eſt. Omnium poſtremam Arcam Fœderis ex Sion tranſtulerunt, innumeras interim victimas Sacerdotibus per totum viæ tractum immolantibus.

Deus in nube apparet.

II. Conſtituta autem Arca in Sanctuario, totum Templum muſicis vocibus inſonuit. Hinc Sacerdotes tubas inflantes ſuas, illinc Levitæ inſtrumentis ſuis ludentes, ſuo ſinguli ordine diſtributi, canebant laudes Domini, modulantes Pſalmum 135. cujus ſinguli verſus repetito illo intercalari clauduntur: *Quoniam in æternum miſericordia ejus*. Inter hæc ſubito prodigio nubes Templum obduxit, nubes, inquam, non fuſca, & craſſa, ut ea, quæ terræ & aquæ imminent, ſed inſtar vaporis fulguris, lucens ſimul & obſcura, ea tamen obſcuritate, quæ Majeſtatis haberet plurimum, gravida interiori quodam igne, fulgurante interdum e cavo nubis ventre, & per

eam

eam obſcuritatem identidem emicante. Eo autem monſtro territi ſacri Miniſtri, neque in Templo ſubſiſtere, neque munera ſua præſtare audebant. At Salomon ſymbolum illud eſſe Divinitatis, Templi poſſeſſionem capientis, ſedemque ibi ſuam conſtituentis, ne ambigens quidem intellexit; quare primo ſtatim ejus aſpectu, erupit in eas voces: *Dominus dixit, ut habitaret in nebula*. Nullibi, quantum ſcimus, hæc expreſſa verba effatus eſt Deus; at ſatis mentem ſuam aperuit, velle ſe ſe hominibus ſymbolum hoc præſentiæ ſuæ exhibere, cum pluries ſub ſpecie nubis apparuerit, deducens populum per deſertum, in dedicatione Tabernaculi, dum Legem ſuper Montem Sina rogaret.

Salomonis oratio. Ignis cælitus delapſus.

III. Ad Sanctuarium deinde converſus Rex flexis genibus, porrectiſque ad Deum manibus exoravit, ut domum illam in ſui honorem excitatam, benedictione, ſuæque Majeſtatis præſentia ſanctificaret, preces ibidem oblatas pronis auribus exciperet; ea demum, quæ Davidi ejuſque familiæ pollicitus fuerat, rata, atque integra haberet. Simul hæc dicens Salomon populo bona omnia imprecabatur. Verbis Salomonis confirmati Sacerdotes, victimas cœperant immolare; ſtatimque novo prodigio dilapſus cælitus ignis holocauſta, victimaſque Altari impoſitas abſumpſit. Horum prodigiorum teſtis populus univerſus, prono in terram vultu, adorare primum, deinde in laudem Dei totus effuſus, miſericordiam illius iterato Cantico magnificavit. Numerus victimarum ea

die

die 22000. boum, & 120000. minuti gregis in hoſtias pacificas aſcendit; cui victimarum numero, cum Ara holocauſtorum impar haberetur, in eam rem alia Altaria in medio Atrii Sacerdotum Rex conſecrari præcepit.

Dominus iterum Salomoni apparet.

IV. Dominus poſt hæc Salomoni per quietem ſecundo apparuit, noctu fortaſſe poſt primam dedicationis diem, eumque certiorem fecit, ſe annuiſſe ejus precibus, modo juſſionibus ſuis debita exhiberetur obedientia (*a*). Si vero, ait, tu, ſive filii tui, aut populus illas tranſgreſſi fueritis, delebo vos, traducamque in fabulam univerſi Orbis; Templum vero iſtud, quod futurum eſt celebre adeo, ac dignitate ſublime, in lapidum, ruderumque ſtruem redigam. Minas haſce completas vidimus in Templo per Seſacum direpto, cremato per Nabuchodonoſorem, per Antiochum profanato, ac denique per Romanos everſo. Duplicis Feſti diebus evolutis, univerſus populus a Salomone dimiſſus ad propria remigravit, Regis famam longe lateque provehens.

Sibi, uxorique ſuæ Salomon ædes conſtruit.

V. Verſæ deinde Salomonis curæ ad ædificandas ſibi, & uxori ſuæ filiæ Pharaonis ædes (*b*). Decimotertio anno ab incepto opere ſteterunt, nihil ſive ad ſtructuram, ſive ad pompam, deliciaſque illis conſtruendis deſiderato, ut dignam ampliſſimo totius Orientis Principi ſedem referrent. Ædificium erat centum cubitis longum, quinquaginta latum, & triginta altum. Fulciebatur triplici columnarum ordi-

(*a*) 3. Reg. IX. Par. VII.
(*b*) 3. Reg. VII. & 2.

ordine, & uno pilarium, ex quibus tamen tres tantum formabantur porticus tectæ, cum pilarium ordo parieti adhæreret. Singuli ordines quindecim columnas numerabant. Porro trabes ex una columna ad alteram ductæ, & ipſæ pariter columnæ e cedro Libani erant exciſæ, & dolatæ. Hinc Palatio nomen *Domus ſaltus Libani*. Nonnulli tamen id repetunt ex eo, quod perinde ac mons Libani lucos, & umbras arborum haberet adjunctos. Tres in his ædibus erant conclavium ductus, ſeu ordines; ſed porticus regnantes ante conclavia totam occupabant altitudinem ædificii, faciemque præferebant unitam, minimeque interruptam. Quare tria ſolaria nonniſi exterius dignoſcebantur ex triplici feneſtrarum ordine ejuſdem Architecturæ, aliis ſuper alias e regione poſitis. Per interiores autem ſcalas ex una contignatione in alteram aſcenſus dabatur. Accedebant ædificio duæ, latius ſe ſe explicantes, alæ ad utrumque latus, quibus nihil deerat ornamentorum, quæ reliquum ædificium commendabant. Ante molem hanc conſtituit Salomon atrium quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta latitudinis, cui ſua erat corona porticuum, columnarum, & cellarum, quæ ex adverſo majoris ædificii ornamenta reſpicerent, illiſque conjungerentur. Etiam tertium Atrium ejuſdem operis a Salomone conſtructum videtur; ſed forte intra alterum ex geminis deſcriptis locum quemdam Rex elegerat, obduxeratque a pavimento ad faſtigium uſque cedro; qui merito ceu tertium

par-

parvum atrium haberi poterat. Hæc omnia ædificia Hieroſolymis ad Occidentem Templi conſtituta fuiſſe, ne ambigimus quidem, contra nonnullorum opinionem, qui illa extra urbem ſtatuunt. Ad Templum autem e Palatio tecta porticus ducebat.

Salomonis Solium.

VI. In tertio Atrio, quod mox indicavimus, Solium, ſive Tribunal erat, ex quo Salomon jus maxime dicebat (*a*). Opus lapideum, cedro tamen veſtitum; cedrus autem inſerto ſcite per intervalla auro, & ebore diſtinguebatur. Sex gradibus, ſinguliſque duobus aureis leunculis ad ambas extremitates ornatis, ad ſedem aſcenſus patebat. Poſteriora ſurgebant in formam rotundæ ædiculæ, ut Rex tutos humeros & latera haberet. Adjectæ geminæ manus, geminique juxta leunculi, ad utrumque latus ſingulæ, quæ ſedem regebant, firmabantque, vel, ut tradit Joſephus, ſedem ipſam formabant, atque aſſidentem Regem veluti excipiebant.

Ædes Reginæ.

VII. Ædes quoque uxori ſuæ, ædibus ſuis conjunctas, Salomon extruxit, architectura, & magnificentia aliis ædificiis æquali (*b*). In illarum uſum nonniſi lapides pretioſi adhibiti ſunt, nempe exquiſitiſſima marmora ſedula arte expolita. Ab imo fundamento uſque ad verticem lævigati, ſectique lapides utrimque quadrati, octo, ſive decem cubitorum, ſplendebant. Majus autem hujus ædificii Atrium ambiebatur undique ad quatuor latera columnis

(*a*) 3. Reg. x. 18. (*b*) 3. Reg. VII. 8.

mnis, & porticibus, quarum parietes ita ſtructi erant, ut tria priora ſtrata ſectis lapidibus, quartum lignis cedrinis conſtarent, & ſic deinceps ad ſupremum uſque faſtigium. Idem ſervatus fuerat ſtructuræ ordo in Atrio Templi Sacerdotum & in ipſo Sanctuarii veſtibulo, ut parietes mixtam lapidibus cedrum exhiberent. Salomon quidem ædes Davidis incoluit, quandiu novas ſibi ædificaret; ſed uxori ſuæ in ſedem conſtituerat domum aliam in Civitate David, donec in ædes pro illa ædificatas eam traduceret. Sedulo enim cavit, ne locaret mulierem prophanam in ædibus patris ſui, præſentia Arcæ, quæ ibi pluribus annis ſederat, conſecratis.

VIII. Abſolutis poſt viginti annorum curriculum Templo, regiiſque ædibus, ſufficiente Opifices Hiramo Rege Tyri, in præmium præſtiti ſibi operis viginti urbes Salomon ei conſtituit (*a*); quas tamen ille inviſens, minuſque probans, terram *Chabul* appellavit, hoc eſt, terram inutilem, ut nonnulli interpretantur: ſimulque addidit: Hæccine, frater, urbes ſunt, quibus me donaſti? Salomoni Hiramus 120. præterea auri talenta mutuo dederat, facile in uſus ædificiorum expenſa. Ambo Reges amicitiam literarum etiam conſuetudine, propoſitiſque viciſſim ænigmatibus foverunt. (*b*).

ANNO MUNDI 3013. ante Chriſtum 987.

Hirami liberalitas male repenſa.

IX. Poſt hæc Salomon ædificandis etiam mænibus Hieroſolymæ, ſternendæque plateæ Mel-

Salomon urbes munit, & Palmyrã condit.

(*a*) 3. Reg IX. 10.
(*b*) Joſeph Antiq. l. 8. c. 1. & cont. Appion. l. 1.

Mello in eadem urbe opem impendit (*a*). Urbes Hezer, Mgeddo, Gazer, Bethoron, Baalath reparatas, adjectis munitionibus vallavit. Palmyram, Hebraice Thadmor, in Syriæ ſolitudines Arabiæ deſertæ, Euphratem verſus, contermina, condidit, quod in ſolo illo maxime arenoſo, ibi tantummodo aquæ invenirentur (*b*). Urbs iſta celeberrima æque ac magnificentiſſima fuit, rerum potientibus Odenato & Zenobia ejus uxore. Verum cum locus medius inter potentiſſima Imperia Romanorum & Parthorum jaceret, injuriis utriuſque patebat. Quæ modo Aleppo Perſarum & Indorum Caravanæ ſubſiſtunt, olim Palmyram divertebant, ex quo illius opulentia maxime prodiit. Ab Aureliano everſa eſt, cujus publicorum ædificiorum veſtigia adhuc ſuperſunt. Suis etiam muris urbes illas firmavit, in quibus ſuos frumenti, vini, & olei proventus, ſuoſque currus, & equos detinebat. Quin etiam in Libani monte ædificium aliquod condidit, cujus veſtigia nonnulla adhuc ſupereſſe, quidam Scriptores affirmant (*c*). Hethæos, Amorrhæos, Hevæos, Pherezæos reliquias veterum incolarum, ſuo ſubjecit imperio, atque tributis impoſitis, publicis operibus operam conferre coegit. Iſraelitas ab omni prorſus opere abſolvens, nonniſi in uſum belli, copiis, æquis, & curribus præfectos adhibuit.

X. Claſ-

(*a*) 3. Reg. IX. 15.

(*b*) Joſeph Antiq. l. 8. c. 2.

(*c*) Vide Calm. in 3. Reg. IX. 19.

X. Claſſem in portubus Aſiongaber, & Elat, ſive Helan ad mare Rubrum comparatam, ad Ophir tranſmittebat (*a*). Huic autem inſtruendæ peritiſſimos nautas Hiram Rex Tyri ſuffecit, quorum magiſterio Iſraelitæ adeo profecerunt, ut per ſe muneri obeundo pares ſe ſe tandem præſtiterint. Singulis trienniis iter illud initum; auroque, & lignis pretioſis, ebano, ebore, pavonibus, ſimiis, variiſque rebus inſtructæ naves referebantur, ut unius tantum itineris proventus talenta auri 420. juxta Regùm Libros, 450. juxta Libros Paralipomenon, Salomoni obvenirent. Triginta talenta, quibus altera ſumma alteram ſuperat, facile erogata ſunt in navigationis ſumptus. Ubi autem ſita ſit Ophir, minime omnium convenit. Veterum plerique, præunte Joſepho, Ophir apud Indos conſtituunt. Alii in Regnis Malabar, & Zeilan conſignant. Alii malunt in inſula Tapobrana, Veteribus celebratiſſima; ſed cum ejus inſulæ ſitus, non minus quam Ophir, ignotus modo ſit, nihilo ea ſententia inſtructiores efficimur. Ormus in oſtio ſinus Perſici, Urſe inſula ad Ærithræum, Pegu, Sumatra inſula, ſi quoſdam audias, ipſiſſima eſt Ophir. Sunt qui illam in Africa quærant apud Carthaginem, Monomotapam, Melindam, vel Soſalam. Hiſpania nonnullis Ophireticæ regionis gloria potitur. Non deſunt tandem, qui illam in America conſtituant apud Peruanos, aut novos Hiſpanos. Calmetus Cholchidem,

Claſſis in Ophir mittitur. Ubi hæc regio.

(*a*) 3. Reg. IX. 26. & Reg. X. 22. 2. Par. VIII. 17. & 3.

dem, regionem auro celeberrimam, eamdem credit ac Ophir (*a*); cujus quidem opinionis, agentes de Gentium diſperſione nos quoque conjecturas dedimus (*b*). Spatio igitur trium annorum, quibus ſuum abſolvebat iter claſſis illa ad varios portus appelebat, ut ſimias, ebur, pſittacos, eaque omnia ſibi compararet, quæ in Ophiretica regione fruſtra quæſiiſſet. Etenim ex Aſiongaber ſolvens, potuit ad utramque Erithræi oram, Arabiæ nempe, vel Ethiopiæ iter inſtruere, & in Oceanum delata, omnia Ethiopiæ litora ultra fretum percurrere. Inde oris omnibus Arabiæ, quas interluit Oceanus, peragratis, in ſinum Perſicum prætervecta, Euphratem tandem, vel Tigrim ingreſſa, iter eo protraheret, donec ea flumina navigari paterentur. Etiamſi autem probaretur ad neutrum ex iis flumen conſtitiſſe, ſatis habemus, quod utrique ita proxima locaretur, ut facile inde ad flumina merces transferri potuerint. Nec nos deterrere debet, quod eædem naves, quæ navigarunt in Tharſis, teſte Scriptura, navigaverint etiam ad Ophir (*c*): Tharſis enim cum de urbe, vel Provincia uſurpatur, deſignat urbem Tharſum, vel Provinciam Ciliciæ. Sed naves Tharſis, vel claſſes navigantes in Tharſis, ſignificare credimus non raro claſſem, quæ longam navigationem obit; naves longas, ingentes, aptaſque majoribus itineribus. Tharſis enim navigationis fama claruit.

(*a*) Diſſert. de hoc l. 1. c. 12. n. 35. argum.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. 22.

(*c*) 3. Reg. IX. 28. X.

ruit. Putant tamen nonnulli, naves Regis reſolutas, & plauſtris, vel camelis impoſitas, e Mediterraneo ad mare Rubrum vectas fuiſſe, indeque in Ophireticam regionem directas. Huetius cenſet, duo maria Mediterraneum, & Erythræum, ducto quodam canali olim juncta fuiſſe, ut navigia ultro citroque mearent. Sed eſto, de canali Nili utrumque mare olim jungente veterum teſtimonia non deſiderentur; nihil tamen inde inferri poteſt, cum opus illud, a Ptolomæo II. Ægypti Rege perfectum, multo Salomone recentius fuerit (*a*).

Regina Saba Salomonem inviſit. Salomonis lapſus. Quid Numinis Aſtarthes, Moloch, & Chamoos? Abias Regnum decem Tribuum Jeroboamo prænunciat. Salomon obit. Salus ipſius incerta.

C A P. III.

I. CUm per Orbem univerſum Salomonis ſapientiæ fama increviſſet, ad eum inviſendum acceſſit Regina Saba, vel, ut in Evangelio Chriſtus Dominus appellat, Regina Auſtri (*b*), ænigmatibus, quibus tunc temporis præcipue exercebantur Sapientes, ſapientiam illius Regis tentatura (*c*). Maximis opibus cum ea, quæ Regiæ dignitati congrueret, ſervorum Aulicorumque caterva, Hieroſoly-

Anno incerto.

Regina Saba Salomonem inviſit.

(*a*) Vide Calm in 2. Par. VIII. 18.

(*b*) Matth. XII. 42.

(*c*) 3. Reg. X. & 2. Par. IX.

mam ingreſſa Salomonem adiit: cui iis omnibus, quæ paraverat, expoſitis, eumque quibuslibet ſapientiſſime reſpondentem, domus inſuper magnificentiam, ciborum lautitiam, miniſtrorum ordinem, majeſtatemque, ac ſplendorem, quibus undequaque, cum Sacrificia offerentur, decorabatur Templum, admirata, eo ſtupore capta eſt, ut pene ſpiritus in ea non remanſerit, faſſaque ſit Salomoni, ſe expertam eſſe, ipſius ſapientia longe minorem pervagare famam, quam plurimum virtutibus ſuis ſuperaverat. Auri denique 120. talenta, aromatum, & gemmarum copiam quam maximam Regi impertita, ampliſſima munera, & quidquid ab ipſo optaverat, conſecuta in regionem ſuam reverſa eſt.

Variæ de Regno Reginæ Saba opiniones.

II. Alibi a nobis demonſtratum eſt, quatuor fuiſſe Sabas, quorum nomen derivari potuerit in eam, quam tenebant regionem (*a*), ac etiam in feminam Principem, de qua agimus. Hinc de Regno Reginæ Saba, a Joſepho Nicaulis dictæ, diſſidium eſt inter Scriptores. Alii ſtatuunt in Ægypto, alii in Arabia felici, alii in Ethiopia. Porro Inſulam, ſeu Peninſulam in Ægypto, quam poſtea Meroem ex nomine ſororis Cambyſis, antea Sabam appellatam fuiſſe, Joſephus teſtatur, indeque Regnum hujus Reginæ repetit. Feminas ſane illic regnaſſe longa ſucceſſione, communi nomine Candaces dictas, tradunt Prophani (*b*). Inſula Meroe, quemadmodum Ægyptus univer-

(*a*) Vide hanc Hiſt. l. 1. c. 12. n. 36.

(*b*) Plin. l. 6. c. 29. Strabo l. 17.

verſa, ad Meridiem Palæſtinæ conſtituta eſt, unde a Chriſto Regina Saba *Regina Auſtri* appellari potuit. Qui ex Arabia Reginam illam accerſunt, has potiſſimum rationes urgent. I. In Arabia felici notos fuiſſe Sabæos, qui & Ethiopes, plane conſtat. II. Ea regio Palæſtinæ meridionalis eſt. III. Ex Arabia felici veniens, *de extremo terræ* veniſſe jure, meritoque diceretur; quod in Evangelio de Regina Saba aſſeritur; cum regio illa ad Meridiem Oceano propior ſit, ultra quem nihil adhuc terrarum innotuerat. *Terra*, *fineſque*, ait Tacitus, *quæ ad Orientem vergunt*, *Arabia terminatur* (*a*). IV. Auro, argento, aromatibus, gemmis, quæ ſane munera ad Salomonem a Regina allata, & in inſula Meroe non ſuppetunt, Arabia dives eſt; ejuſque provinciæ, in regione potiſſimum ad Mecham, & Medinam adjacente, propriam eſſe Balſami plantam, in dubium revocari non poteſt (*b*); qua Salomonem donatum fuiſſe a Regina Saba, tradit Joſephus (*c*). V. Denique in regione Saba, Arabiæ felicis parte, olim feminas regnaſſe Claudianus cecinit (*d*):

- - - - „ Medis, levibuſque Sabæis
„ Imperat hic ſexus, Reginarumque ſub armis
„ Barbariæ pars magna jacet.

Ethiopes ſive Abyſſini adhuc eam Reginam ſibi vendicant, ejuſque poſteros apud ſe olim habuiſſe, & etiam nunc habere Regnum, ex-

Q 4 pan-

(*a*) Tacit. Hiſtor. l. 5.
(*b*) Dampier deſcript. Ægypt. p. 64.
(*c*) Antiq. l. 8. c. 2.
(*d*) In Eutrop. l. 1.

panſa illorum ſerie, indicatiſque nominibus, aſſeverant; neque legitimum ducunt, niſi ex ea familia Principem. Cum autem in ea ſint opinione, Reginam illam rediiſſe in Ethiopiam filio gravidam, quem e Salomone conceperit, Regibus ſuis varios addunt titulos, uti: *E ſtirpe Juda, filius David, filius Salomonis, filius columnæ Sion, filius e familia Jacobi*. Hac de re videri poſſunt Scriptores hiſtoriæ Ethiopum, inter quos Emanuelem Dealmeida. Porro ambiguitas nominis Ethiopiæ errandi cauſam præbuit Recentiorum multis, qui cum legiſſent, feminam hanc regnaſſe in Ethiopia, dictum acceperunt de regione, quæ peculiari nomine Ethiopia appellatur, cum potius uſurpanda eſſet de Ethiopia Arabiæ, ad extremam oram meridionalem Erythræi, vel de inſula Meroe, interdum Ethiopiæ adſcripta.

Salomon feminarũ amore in Idololatriam trahitur.

III. Huc uſque religioſa, & magnifica de Salomone, reliqua tamen vitæ geſta gloriæ ampliſſimorum factorum ſummopere detrahunt. Alienigenas feminas perditiſſime deperiens, præter filiam Pharaonis, Moabitides etiam, Ammonitides, Idumæas, Sidonias, Hætheas, uſque ad 700. uxores, & 300. concubinas, ſive ſecundi ordinis uxores, duxit (*a*). Cum frena libidini laxarit annos habebat ætatis quadraginta quinque, vel quinquaginta circiter. Nonniſi tamen per gradus ad tantum exceſſum devenit; cum enim Canticum Canticorum ſcriberet, Reginas, ſive uxores primarias

(*a*) 3. Reg. xı.

rias habebat ſexaginta, concubinas octoginta (*a*). Feminarum artibus Rex ad Idola perductus eſt, ut nihil jam ſaperet, quam Aſtarthen Deam Sydoniorum, Moloch Idolum Ammonitarum, & Chamos Numen Moabitarum, quibus & ſua Templa in monte Oliveti e regione, & ad Orientem Urbis dedicaverat. Eadem ſuperſtitione ſingulis ſingularum uxorum Numinibus uſus eſt, Deum verum, quem forte interiori religione colebat, cultu publico, ſacrilego, ſcandaloſo contemnens.

IV. Porro vox Aſtarthes, plurali numero Aſtaroth, ovium vel caprarum gregem ſonat. Idem autem putamus Numen cum Regina, & militia Cæli, ut alibi appellat Scriptura (*b*), in eoque Dea cæleſtis Pænorum haud perperam dignoſceretur. Aſtarthes igitur erat Luna, cui dicata Aſera, ſive Luci, proſtitutionibus, & impudicitiis infames, cui poſitæ menſæ ſuper tecta domorum, ante portas, in veſtibulis, in compitis; cui inſtructæ cœnæ ſingulis recurrentibus menſium Kalendis, quibus conviviis inditum a Græcis nomen Cœnæ Hecates; cuique tandem litatum humanis victimis, ſed frequentius ſuffitibus, liquoribus, & panibus, quæ poſtea in illius Sacerdotum cibum cedebant. Jungitur ferme apud Auctores ſacros cum Deo Baal, hoc eſt cum Sole; & maſculino nomine Deus appellatur, cum exprimendæ feminæ inter Numina peculiaris in vernaculo ſermone vox deſit. Aliis ta-

Quid Aſtarthes.

(*a*) Cant. VI. 8. XLIV. 16.
(*b*) Jerem. VII. 18.

tamen Aſtarthes eſt Juno, aliis Derceto, ſive Atergatis Aſcalonitarum, quam in formam mulieris deſinentis in piſcem repræſentabant; dicta proinde Hebræis Dagon, ſcilicet Piſcis. Sunt qui Aſtarthen ipſiſſimam eſſe Venerem autument, Tyro oriundam, & conjugem Adonidis, aliam plane a Venere Cypria. Nonnullis tandem in illo Numine videntur ſibi reperiiſſe Iſidem, uxorem Oſiridis: quibus non inviti aſſentimur, cum illorum opinio a noſtra non multum abludat; Iſis enim Lunam, quemadmodum Oſiris Solem, referebat; quippe quæ eſſet Numen, cujus ſimulacro vel caput bovis, vel cornua imponebant Ægyptii, regiam dignitatem, ac Lunæ radios deſignaturi. Ad hæc, Ceres, Juno, Luna, Terra, Minerva, Proſerpina, Thetis, Cybeles, Venus, Bellona &c. Paganis unum idemque Numen erat, Iſis ſcilicet, diverſo tamen nomine, & ſimulacro propoſitum. Unde illud in veteri marmore Capuano: *Te tibi, una quæ es omnia, Dea Iſis.*

Quid Moloch. V. Quod potiſſimum Paganorum Numen eſſet Moloch, ſive Melchom, Ammonitarum, non una eſt Eruditorum ſententia. Sunt qui ad Saturnum acceſſiſſe credant, cui humano ſanguine, non ſecus ac Molocho, litabatur; alii ad Mercurium, alii ad Martem, ſive Mithram. Nos Solem, ſive Regem Cæli expreſſiſſe, putamus. Moloch Regem ſonat, & Melchom, eorum Regem. Cui hæc melius quam Soli aſtrorum principi? Ex pluribus Scripturæ locis, Baal pro Moloch uſurpatum, in-

tel-

telligimus. Porro Baal ipſiſſimum eſſe Solem, ſuadet Scriptura; cum enim cultum Baal, Aſtarthes, & Militiæ Cæli fere ſemper jungat, inſinuare videtur eam Paganorum ſententiam, quæ Solem & Lunam, veluti Regem, & Reginam Aſtrorum, ex quibus Militia cæleſtis, ſuſcipit. Quemadmodum autem Aſtarthe, ſive Luna umbris lucorum in ſuis myſteriis delectabatur, ita aperta luce Baal, ſive Sol, gaudens, in patentibus clauſtris, quæ Hebræi *Chamanim*, Græci *Pyreja*, ſive *Pyratheja*, vocant, colebatur. Loca illa perpetuum murorum ſeptum ambiebat, ſtatuas, araſque claudens, &, qui maxima religione ſervabatur, Ignem æternum, Solis imaginem.

Hebræi filios ſuos Molocho litantes.

VI. In Lege cautum eſt, ne Iſraelitæ liberos per ignem, in honorem Moloch, traducant (*a*). Porro filii in honorem hujus numinis ignem tranſilire cogebantur, juxta aliquorum opinionem, ut eo ritu initiarentur, more apud Ethnicos conſueto. Alii vero malunt, inter duos ignes, hinc inde fragrantes, medios traduci parvulos conſueviſſe. Alii tandem autumant, igne parvulos illos abſumptos fuiſſe. Hoc genere necis interdum litatos Hebræorum natos, non obſcure innuit Scriptura: *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſua dæmoniis, effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan* (*b*). Ex Rabbinorum fide, Idolum hoc fuſo ære conſta-

(*a*) Levit. xviii. 24. & xx. 2.

(*b*) Pſalm. cv. 37.

ſtabat, quod aureo throno aſſidens, bovino capite regium diadema ſuſtinebat; brachiis vero protenſis veluti ad amplexus invitabat. Cum parvuli erant immolandi, ſubjecto igne ſtatua candeſcens miſeros pueros in ulnis oblatos excipiebat, abſumebatque. Ne vero parvulorum decedentium clamor exaudiretur, ſonitu tympani, aliorumque muſicorum inſtrumentorum circa Idolum ingens ſtrepitus excitabatur. Alii vero dicunt, ſtatuam illam intus inanem fuiſſe, atque in ſeptem cellulas diviſam, quarum in prima farina, in ſecunda turtures, in tertia oves, in quarta arietes, in quinta vituli, in ſexta boves, in ſeptima infantes. Omnia autem illa ardente ſtatua conflagrabant. Porro ex iis nova lux noſtræ opinioni affulget. Cum enim ſeptem eſſent in Molocho cellulæ, quinque erant pro ſingulis planetis, duæ reliquæ pro Luna, & Sole; Soli autem pueri immolabantur. Ceterum non abs re conjiceremus, Baal, & Moloch cum Adad Syriorum, cum Oſiride Ægytiorum, cum Dionyſio Arabum, cum Belo Chaldæorum &c. confundendum; iiſque Numinibus unum eumdemqe Solem referri.

Quid Chamos. VII. Nomen Chamos a radice Arabica, quæ *properare* ſignificat, derivatum creditur. Hinc pluribus perſuaſum eſt, hac voce idem Solis aſtrum exprimi, quem perniciter Cælos circumeuntem, nomine a velocitate deſumpto appellaverint. Aliis tamen Chamos eſt Apollo, aliis Bacchus, aliis Phegor, aliis Tamuz, ſive Adonis, aliis Ammon. Sed nullo negotio de-

demonſtraretur, hiſce Paganorum Diis collatum cultum, in Solis honorem tranſiſſe; quippe qui & ab illis, ſub diverſis tamen myſteriorum involucris, ubique referatur. Sunt qui Cham, Noe filium, ſub nomine Chamos, cultum credant. Inter nomina plurimum ſane affinitatis eſt. Poſt diluvium autem ex Ægypto, ubi Cham habitavit, Idololatriam prodiiſſe, neminem latere puto. Si tamen Ægyptii opinioni de Metempſycoſi addicti, animam Chami, gentis auctoris, in Solem poſt fatum tranſmigraſſe putaſſent, in ipſomet Chamo Solem venerati fuiſſent. Et quidem non male in Ammone, celeberrimo Lybiorum numine, Chamum agnoſcunt nonnulli. Porro Ammonem ad Solem referri, inde probat Macrobius (*a*), quod arietinis cornibus fingeretur, quibus maxime aries valet, ſicut radiis Sol. Nec mirum videri debet, ſi omnes pene Deos ad Solem referamus, quod & idem Auctor pluribus fecit.

Deus Salomoni adverſarios Adad & Razon ſuſcitat.

VIII. Salomonis criminibus commotus Dominus, per quietem ei apparens, futurum denuntiavit, ut Regnum, quod in tranſverſum egerat, divideretur, & partem illius ſervo tradendum, partim vero ob Davidem ipſi relinquendum (*b*). Monuit tamen, temperaturum ſe ab ea ultione, donec Salomon ipſe diem clauſiſſet, in ejuſdem Davidis gratiam. Porro harum minarum ſcintillas Salomon in ſeditione Adad, Razonis, & Jeroboami ſuis oculis ſpectavit. Adad adoleſcens erat e regio Idumæo-

(*a*) Satur. c. 21. (*b*) 3. Reg. XI. 9.

mæorum ſanguine, qui in Ægyptum, ab armis Davidis ſubacta Idumæa, profugerat (*a*). Hic audita Davidis morte, Idumæam repetens, inter primos auctores turbarum adverſus Salomonem fuit. Cum autem, ut ſcribit Joſephus, nihil commovere potuiſſet in ſua provincia apertæ defectionis vi, ob ingens Hebræorum præſidium omnia occupantium (*b*), lectis ſecum viris, qui rebus novis ſtudebant, in Syriam profectus, ſocium ſe dedit Razoni filio Eliadæ qui ab Adarezero, Rege Soba, dum motis a Davide armis profligaretur, ſubduxerat ſe ſe. Razon collecta prædonum manu regionem Damaſcenam excurrebat, tantumque deinde profecit, ut erepta Solomoni Damaſco, Regem ſe ibi conſtitueret. Ex novo autem illo Regno multa Iſraeli mala illata fuiſſe, deinde videbimus. Sunt nonnulli, quibus Adad & Razon unus & idem eſt (*c*); putant enim, Razonem ſibi aſſumpſiſſe cognomen Adad, illudque ad poſteros tranſmiſiſſe, ut Imperatores omnes dicuntur Ceſares, & Reges Ægyti Ptolomæi.

Jeroboamus tertius Salomonis adverſarius.

IX. Jeroboamus natus erat Saredæ in Tribu Ephraim, filius Nabath, & viduæ, cui nomen Sarva. Ingenio pollebat audaci, & rerum gerendarum cupido, quem Salomon tributis, ſive operibus e Domo Joſephi, ſeu ex Tribubus Ephraim & Manaſſe exigendis, præfecit. Munus ſuum quanta fide impleverit, igno-

(*a*) 2. Reg. VIII. 4. & 1. Par. XVIII. 13.

(*b*) Antiq. l. 8. c. 2.

(*c*) Vide Calm. in 3. Reg. XI. 25. & Uſſer. ad an. 2960.

ignoratur. Scimus certe deſciſcendi a Salomone occaſionem præbuiſſe illi opus Mello, in cujus plateæ complanato ſolo aut totum Reginæ ædificium, aut partem Rex erigendum curavit. Neminem quidem ex Iſraelitis Salomon a principio ad opera ſua publica coegerat, ſed ſucceſſu temporis aliam agendi rationem ſecutus eſt. Feſſi autem illi tot, tantorumque ædificiorum molitionibus, quorum nullus exitus inveniebatur, ſed alterum alteri ſuccedebat, abalienari cœperunt a Salomone, defectionis face præferente Jeroboamo.

X. Ambitioſi autem viri animum factum Ahiæ Prophetæ magis accendit. Cum quadam die Hieroſolyma digreſſus ſolitarius iret Jeroboamus, Prophetam hunc de Silo venientem novo pallio amictum, obviam habuit; qui continuo diſciſſo in duodecim partes pallio, duas ſibi retinuit, reliquas, ut ille ſumeret, invitavit. Hoc autem ſymbolum eſſe, dixit Propheta, dividendi a Deo Regni Salomonis, cujus Regni decem Tribus regendæ Jeroboamo concederentur, reliquæ vero duæ una cum Urbe Hieroſolyma, quam Deus inter ceteras ſibi delegerat, ob Davidis merita, poſteris Salomonis manerent. Porro, Hanc pœnam, adjecit, exiget Deus de Salomone, quod Idola Gentium, Hebræorum Deo præferre non dubitavit: quamquam nonniſi poſt ejus obitum Regnum ſcindendum erit. Deinde Jeroboamum rogavit, ut Dei legem cuſtodiret, atque veſtigia Davidis relegeret, ſi Regnum poſteritati ſuæ perpetuum aſſerere vellet. His verbis animus

Abias Jeroboamo Regnum prædicit.

mus Jeroboami magis ſollicitatus, novis moliendis rebus, populiſque ad defectionem excitandis ſtudioſius intendit. Quam rem Salomon ſubodoratus, hominem comprehendi juſſit. Hanc ille injuriam evitaturus, in Ægypto uſque ad obitum Regis delituit.

ANNO MUNDI 3029. ante Chriſtum 971.

Salomon obit. Momenta pro illius ſalute.

XI. Obiit Salomon poſt exactos 40. Regni annos, cum 58. annorum ætatem, ut ipſi quidem credimus, ageret. Joſephus 80. Regni annos, & 94. vitæ apertiſſimo errore ſupputat. Sepultus eſt in urbe Davidis. De Salomonis ſalute in utramque partem diſputatur. Salomonis patroni proferunt divinas promiſſiones Davidi juratas pro Salomone: *Si inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum; miſericordiam autem meam non auferam ab eo* (*a*). De obitu Salomonis, addunt, non aliter agit Scriptura, quam quibus verbis Sanctorum obitum deſcribere ſolet: *Dormivit Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David patris ſui* (*b*). An Scriptura unquam ita loqueretur de Principe Idololatra & reprobo? an talis viri cadaver in ſepulcrum Davidis illatum unquam fuiſſet? Aperto magis teſtimonio pœnitentiæ Salomonis favet Auctor Librorum Paralipomenon; qui de Roboamo, & ſubdito illi popolo habet: *Ambulaverant in viis David, & Salomonis annis tantum tribus* (*c*). Adducunt etiam libros Eccleſiaſte, & Proverbiorum, in quibus nonnulla legimus, quæ cauſam hanc fulcire videntur. In

(*a*) 2. Reg. VII. 14. & 1. Par. XVII. 11.

(*b*) 3. Reg. XI. 43.

(*c*) 2. Par. XI. 17.

In Eccleſiaſte enim inanium omnium Mundi rerum fucum ſe agnoviſſe fatetur Salomon, atque ſincero criminum ſuorum mærore tactus, crimina deteſtatur illis verbis: *Vanitas vanitum, & omnia vanitas* (*a*). In Proverbiis autem palam edicit: *Stultiſſimus ſum virorum* (*b*). Eodemque in libro juxta Septuaginta legimus: *Noviſſime ego egi pœnitentiam, & reſpexi, ut eligerem diſciplinam* (*c*). Qui tamen hæc proferunt, vellem probarent, *libros* Eccleſiaſte, & Proverbiorum ab eo ſcriptos fuiſſe poſt lapſum in Idololatriam. Productum autem ultimo loco e Proverbiis teſtimonium, fruſtra quæritur in Hebræo, in Vulgata, & Chaldæo. Textus originalis legit: *Tranſivi per agrum hominis pigri, & ecce totum repleverant urticæ..... Quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici, quid facere deberem*. Nihil hic, quod Salomoni faveat; in quem tamen propendent SS. Irenæus, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, aliique, inter quos Bacchiarius auctor quinti ſæculi, non obiter, neque caſu, ſed ex profeſſo rem agit, probatque argumentis Salomonis ſalutem.

XII. Qui contrariæ opinioni adhærent, hæc urgent. Crimen Salomonis non obſcure proditur, ſed de ejus pœnitentia nihil ſatis aperte legitur. Si ex animo ſuam luxiſſet Idololatriam, an ſtare paſſus fuiſſet Templa a ſe Numinibus dedicata, quæ diu poſt ejus obi- *Momenta, quæ Salomonis ſaluti adverſantur.*

(*a*) Eccle. I. 2.
(*b*) Prov. XXX. 2.
(*c*) Prov. XXIV. 32.

tum uſque ad Joſiam, magno Iſraelis detrimento perſeverarunt? Auctor Eccleſiaſtici, poſtquam egit de Regno, Sapientia, & Libris Salomonis, ne leviter quidem attingens ejus pœnitentiam, exprobrat viro immodicos in feminas amores. Plures tandem Patres, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Gregorius Magnus, ſiniſtram de Salomone ſententiam pronuntiant. In tanto opinionum diſcrimine, illud tutiſſimum, ac ſapientiſſimum cenſemus, ut ſilentio rem totam premamus, & judiciorum Dei profunditatem vereamur, quippe qui exemplo Salomonis demonſtraverit apertiſſime quanta ſit mortalium imbecillitas, quantaque ejus gratiæ ope egeamus, tum ut bonum incipiamus, tum ut in incepto perſeveremus.

Regnum Hebræorum ſcinditur. Roboamus, & Jeroboamus regnant, alter in Juda, alter in Iſraele. Invectus Vitulorum cultus Iſraelem inficit. Juda etiam ſuperſtitione ſordidatur. Seſacus ſacros, regioſque theſauros diripit. Roboamo ſuccedit Abia, qui Jeroboamum devincit.

CAP. IV.

ANNO MUNDI 3029. ante Chriſtum 971. *Roboamus regnat.*

I. SAlomone vita functo, Roboamus in Sichem ſe contulit, ut a coactis ibi populis in Regem ſalutaretur (*a*). Agebat tunc Roboamus annos ætatis unum & quadraginta; natus eſt enim anno primo Regni Salomonis, vel paulo ante. Matrem habuit Naamam

(*a*) 3. Reg. XII.

mam Ammonitidem, atque unicus eſſe filius creditur Salomoni natus e mille uxoribus, quas duxerat. Accedebant tamen geminæ filiæ, Japhet, & Baſemath, geminis ex Iſraelitis Principibus matrimonio conjunctæ (*a*). Videtur autem populus de induſtria elegiſſe ſibi ad conventum Sichem præ Hieroſolyma, locum fovendis ſeditionis igniculis aptum, utpote qui in media Tribu Ephraim jacebat. Eadem de cauſa Jeroboamum, qui audita Salomonis morte ex Ægypto domum reverſus fuerat, quique Iſraelitas adverſus Salomonis familiam jugiter ſollicitabat, ut ſecum adeſſet invitarunt.

Decem Tribus ſecedentes a Roboamo Jeroboamum ſibi eligunt.

II. Iſraelitæ igitur una cum Jeroboamo Roboamum rogarunt, ut impoſitum ſibi a Salomone graviſſimum operarum, vectigalium, & forte etiam tributorum jugum leniret: ſimulque ſignificarunt, ſe, niſi id impetrarent, numquam in animum inducturos, ut novum imperium acciperent. Roboam tridui tempus ad conſulendum poſtulans, populo remiſſo, veteres Salomonis conſiliarios, quid ſibi facto opus eſſet, interrogavit. Illi quidem, populo in præſentiarum acquieſcendum ſuaſerunt, ut illum deinceps in obſequio ſemper haberet; ſed Roboam eorum conſilium minus probans, juniorum, quibuſcum a teneris unguiculis conſuetudinem foverat, ſententia requiſita, hoc populo expectanti reſponſum dedit: Unus meus pollex toto patris mei corpore groſſior eſt: quare ſi pater meus jugo gravi, ego graviori

(*a*) 3. Reg. IV. 11. 15.

premam; ſi pater meus virgis, ego ſcorpionibus ſæviam. Scorpiones flagra ſunt, quibus e ſimilitudine ſcorpionis, ſive ex cuſpidibus inſtar caudæ ſcorpionis, nomen inditum eſt. His a cœtu auditis, murmur paſſim excitum, ac deinde in apertam ſeditionem re deveniente, Iſraelitæ a Roboamo ſeceſſerunt, palam dicentes: Contentus eſto Tribu tua, Roboam. Rex ſtatim Aduram tributorum Præfectum ad populum revocandum miſit, quem illi lapidibus impetentes oppreſſerunt. Quare ſibi metuens Roboam ſtatim currum aſcendit, ac Hieroſolymam fugit. Populus vero intelligens, veniæ a Rege nullam ſpem ſibi ſupereſſe, cum ad extrema omnia nece Aduræ deveniſſent, accitum Jeroboamum rebellibus præfecerunt. Tribus tamen Juda & Benjamin in fide manſerunt. Hinc ex uno duo orta ſunt Regna: quorum alterum Regnum Juda appellatum eſt, Tribu Benjamin ob parvum ſuorum numerum vix nominata; alterum Regnum Iſrael, ſeu decem Tribuum.

Bellum Judæis adverſus Iſraelitas interdicitur.

III. Roboamo collecto ex ſuis 18000. ſelectorum militum exercitu in rebelles Tribus arma movere ſtatuit; quam tamen expeditionem Semejas Propheta avertit, Dei juſſu monens, ne in fratres ſuos, qui conſilio, & providentia Numinis deſciſcerant, arma converterent. Illi Prophetæ ſtatim parentes, ſoluto exercitu, ad ſua ſe ſe receperunt. Rex igitur verſis ad firmandum Regnum curis, quo ſe ab Jeroboami conatibus tutum præſtaret, plures urbes munitionibus vallavit; nempe Bethleem,

Etham,

Etham, Thecue, Bethſur, Socco, Odollam, Geth, Mareſam, Ziph, Aduram, Lachis, Azecam, Saraam, Hajalonem, Hebronem, in quibus omnibus ſuos Præfectos, ſuaque annonæ promptuaria, & inſtructiſſima armamentaria conſtituit (*a*).

IV. Porro Jeroboamus in Regni ſedem Sichem, ubi Rex electus fuerat, elegit, ibique habitavit, donec vallata Phanuel, quæ totius ditionis transjordanicæ poſſeſſionem illi firmabat, Therſæ thronum collocavit (*b*). Ne novi vero ſubditi ab ipſo deficerent, Principatum ſibi aſſerere Religionis, & cultus divini diſpendio molitus eſt (*c*). Cum enim apud ſe cogitaret, nunquam ſibi firmam, certamque fore regnandi ſpem, quandiu populus offerendis Sacrificiis Hieroſolymam iret, ubi Dividis familia geſtorum gloria, ampliſſimiſque Dei promiſſionibus, oculos ad ſe omnium trahebat, duos Vitulos aureos inſtar Apidis Numinis, quod in Ægypto viderat, quodve in deſerto olim populus coluerat, cultui ſubditorum propoſuit; quorum alterum in Dan, alterum in Bethel, finibus imperii ſui collocavit, addito inſuper mandato, ne quis unquam Hieroſolymam ire auderet. Apta viſa ſunt ea loca detinendo populo in nova Religione. Bethel enim inclaruerat viſione Scalæ, quæ apparuit Jacobo; Ephod autem Michæ in Dan cultores habebat. Eodem conſilio in locis etiam excelſis, aliquo Patriarcharum geſto, mora,

ANNO MUNDI 3030. ante Christum 970.

Jeroboamus Vitulorum aureorum cultum proponit.

(*a*) 1. Par. XI. 6. XIV. 17.
(*b*) 3. Reg. XII. 25. & (*c*) 3. Reg. XII. 26.

ſive erecto ab illis Altaris notis, cultiſque populo, Jeroboamus Templa conſtruxit, eiſque præfecit Sacerdotes non ſolum a Domo Aaronis, ſed & a Tribu Levi alienos. Quare Sacerdotes, Levitæ, & religioſiſſimi Iſraelitarum pene omnes, a ditione Jeroboami ſecedentes, ad partes Roboami confugiebant (*a*).

Opiniones Moncæi & Grotii confutantantur.

V. Hinc ruit ſingularis Moncæi opinio, putantis, Jeroboamum Vitulos aureos ita exhibuiſſe, ut de inducenda in populum Idololatria minime cogitaret. Illud tantum, inquit, conabatur, ut proponeret colendum eumdem verum Deum, qui ita concipiebatur, quaſi Cherubinis inſideret, in quibus bovis, ſeu vituli figura ceteris præſtabat. Quare vitio vertit Jeroboamo tantum ſchiſma; ex quo tamen ad Idololatriam via patuerit. Sed fruſtra hæc. Ut quid ergo viri pietate inſignes tam cito ad Roboamum tanſiſſent? Quæcumque ad excuſandum Jeroboamum, ejuſque ſubditos afferri poſſunt, hæc pariter Aaronem, atque Iſraelitas in deſerto Vitulum colentes purgarent. Scriptura tandem exprobrans Jeroboamo ſcelus, Vitulos illos traducit nomine Deorum alienorum: *Feciſti tibi Deos alienos* (*b*). Grotio alia ſedet minus etiam probanda opinio. Jeroboamus, ait, e Tribu Ephraim originem ducens, gentis ſuæ auctorem habebat Joſephum Patriarcham; quare ut fratribus ſuis majorem de tanto viro ideam ingereret, ſibi vero non temporarium Regnum pararet, proponendum

Iſrae-

(*a*) 3. Reg. XIII. 3. & 2. Par. XI. 14. XIII. 9.

(*b*) 3. Reg. XIV. 9.

Iſraelitis cultum ſuſcepit, ſub ea plane figura, qua olim Ægyptii colendum Joſephum, acceptorum ab illo beneficiorum merito, ſibi ſtatuerant. Ægyptiis autem effingere viri ſimulacrum ſub aſpectu vituli, & Serapidis ſuccurrit. Quare uno eodemque ſimulacro Jeroboamus & Patriarcham ſuum, & veri Numinis memoriam, cultumque Iſraelitis exhibendum cenſuit. Hæc Grotius, ingenioſa quidem, ſed falſa: falſa, inquam, quia ex alibi dictis, nunquam Ægyptii cultum Joſepho ceu Numini impendere (*a*). Fac impendiſſent; qua ſatis firma conjectura Numen illud a Jeroboamo Aris tunc impoſitum probaretur? Poſſunt ne Joſepho tribui, quæ impius Rex indicato Idoli ſui ſimulachro populum docuit: *Ecce*, inquiens, *Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*.

VI. Jeroboamus politicæ artis peritiſſimus probe norat, Feſtorum apparatum, & Religionis conventus, vincula eſſe, quibus tenacius labilis Iſraelitarum indoles continebatur; quare ad imitationem Solemnitatis Tabernaculorum, quæ Jeroſolymis celebrabatur, novo Altari dedicando, aureiſque Vitulis conſecrandis, ut die decima quinta octavi Menſis, noſtro Octobri reſpondentis, in Bethel conveniret univerſus Iſrael, publicis edictis imperavit: Auctoritatem vero, & gloriam majorem conciliaturus novo huic a ſe invecto cultui, ſacerdotalia munera per ſe obire decrevit; quare ſtata die coram frequenti populo ipſe ad *Jeroboami manus percutitur, & ſanatur.*

(*a*) Vide hanc Hiſt. l. 2. c. 12. n. 21.

Aram acceſſit, ſuis manibus incenſum, & ſacrificia oblaturus (*a*). Subito autem vir quidam quem plures credunt Prophetam Addo, vel Ahiam, e Juda in Bethel juſſu Dei miſſus, elata voce adverſus Altare inclamavit, futurum ut Deus tandem e domo Davidis virum, Joſiam nomine, ſuſcitaret, qui omnes Sacerdotes Excelſorum, modo in eo incenſum adolentes, ſuper ipſum immolaret, atque eorum oſſa in illo concremaret. Rei autem, quæ ad longiſſimum tempus, hoc eſt poſt 350. circiter annos implenda ſervabatur, certam fidem adſtruens: En, ait, Altare in fruſta nunc deſiliet, cinereſque effundentur. Rex his auditis, ex Altari, ubi ſacrificans conſiſtebat, juſſit ſatellitibus ſuis, extenta in vaticinantem manu, ut illum ſtatim comprehenderent (*b*). At manus ſubito exaruit, ſimulque Altare confractum eſt, cinereſque cum igne in terra diſperſi. Tunc Jeroboamus Prophetam ſupplex rogavit, ut ſibi a Deo manus ſuæ uſum impetraret. Propheta igitur rogante, manus Regis naturalem motum ſtatumque recepit. Pro tanto beneficio Rex virum ſanctum ad prandium invitavit, pollicitus inſuper, ſe muneribus illum cumulaturum; quæ tamen omnia Propheta recuſavit, juſſus a Domino, ne quid cibi potuſve in eo loco deguſtaret, & ne per eamdem quidem viam, qua venerat, reverteretur, omne commercium cum incola quocumque Bethel devitans.

VII.

(*a*) 3. Reg. XII. 32. (*b*) 3. Reg. XIII.

VII. Erat in eadem urbe quidam Propheta ſenio languidus, qui, cum audiſſet a filiis ſuis de adventu alterius Prophetæ a Juda, & prodigiis per eum patratis, mandavit, ut e veſtigio aſinus ſtratus ad iter ſibi expediretur. Conſcenſo autem jumento per veſtigia Prophetæ properabat. Quem aſſecutus interquieſcentem ſub terebintho, primo ſalutavit, deinde ut apud ſe hoſpitalitate frueretur, rogavit. Quo referente, non licere ſibi contra interdictum Dei, apud quemquam in ea urbe cibum ſumere, aut detineri, certe apud me, inquit, licet ſumere: nam ego quoque Propheta ſum, ejuſdem, cujus tu, cultor Numinis; & nunc Angeli ipſius juſſu venio, ut mecum te reducam, domique prandio excipiam. Hæc audiens verus Propheta Prophetæ mentienti, ſive dolo malo, ſive ex ſimplicitate, incaute credidit, ſimulque in Bethel reverſus eſt. Adhuc autem illis prandentibus, & familiari ſermone ſe invicem oblectantibus, Deus Prophetæ inobedienti prædixit futurum, ut in criminis pœnam a leone diſcerperetur in itinere, avitaque ſepultura privaretur. Remeanti igitur ad propria leo factus obviam, detractum de jumento necavit, nihil læſo aſino, imo & illum, & Prophetæ cadaver ſervavit accubans, donec viatores quidam rem viſam alteri Prophetæ in Bethel renuntiarunt, qui ad locum progreſſus, occiſi corpus aſello impoſuit, delatumque Bethel, in ſepulcro ſuo ſepelivit, mandans filiis ſuis, ut poſt mortem oſſa ſua oſſibus illius ſociarent, quem vera

Propheta inobediens necatur.

ra prophetaſſe de prophano Altari, impiiſque Sacerdotibus, certus omnino erat. Virum hunc pſeudoprophetam putat Joſephus (*a*), qui etiam habet, veritum illum, ne de hoſpite melius quam de ſe Rex opinaretur, poſt juſta funebria Prophetæ reddita, Jeroboamum adiiſſe, ejuſque in auribus inſuſurraſſe, Prophetam illum eſſe mendacem, ob idque a fera necatum, citraque prodigium fieri potuiſſe, ut Altare recens conditum, gravi pondere plurium victimarum, quin & majori ignis vi incaleſceret, & deſiliret; præ laſſitudine vero manum ejus riguiſſe, dum Altari inferret victimas; recreato denique per quietem brachio, ſtatim liberum curſum redditum ſanguini, & ſpiritibus nervorum. Hæc Joſephus. Alii tamen æquiora de viro ſtatuunt, rati, Domini Prophetam fuiſſe. Sed ex iis alii ceu impium, & ſceleſtum accuſant, perſimilem celebri illo Balaamo, qui commodis ſuis jus, faſque omne poſthabuit. Eſt autem apud alios Propheta rudis plane, & ſimplex, qui officioſo mendacio licere ſibi hominem ad ſe pertrahere arbitraretur.

Status Religionis ſub duobus Regnis.

VIII. Jeroboamus ſive propria malitia inductus, ſive aliorum falſis perſuaſionibus deceptus, mentem ſuam a Deo, & juſtis ac piis operibus in totum averſam, in impietate obfirmavit. Quod autem a Jeroboamo illatum eſt Religioni vulnus ingeſto Vitulorum cultu, nunquam convaluit; qui enim poſt illum regnarunt Principes in Iſraele, omnes illius impieta-

ta-

(*a*) Antiq. l. 8. c. 3.

tatem imitati, Tyrannorum potius quam Regum ſeriem perpetuarunt. Ad ſubditos quod ſpectat, trifariam dividi poſſunt. Nonnulli enim nihil habebant commune cum ſchiſmate, & Idololatria, quorum principes ſunt Elias, Eliſæus, Oſee, Amos, Jonas, Tobias, Abdias, in ditione Regni Iſraelitici degentes. Ad ſeptem milia tempore Eliæ numerabantur. Sequuntur poſt illos Iſraelitæ imbecilles, qui perſecutionis metu quamdam pietatis ſcintillam erga Deum intimo corde foventes, externum Vitulorum cultum profitebantur; quibus Elias dicebat: *Claudicatis in duas partes* (*a*). Tertiam tandem Iſraelitarum partem conſtituebant auctores, fautoreſque ſchiſmatis, & ſuperſtitionis. Horum numerus facile ceteris præſtabat; ſcelere certe erant ſuperiores; quo etiam atque etiam creſcente, id tandem effecerunt, ut Deum ad populum illum deſerendum inducerent, veluti dignum, qui particulari Providentia frueretur; dignum vero, qui ſæviſſimæ ultionis exemplum exhiberetur. Hæc de Iſraelitarum Regno. Majora autem ſemper Religionis commoda in Regno Juda fuiſſe quam in Regno Iſraelis, nemini ignotum eſſe arbitror. In Juda Urbs ſancta, & Templum Domini conſtitutum; ibi Sacerdotes e genere Aaron ſpectabantur, viri ampliſſimi, docendis atque in officio continendis populis non genere tantum & munere, ſed etiam proprii compendii gratia ſtudioſiſſimi. Seriem etiam Regum potentiſſimorum Juda ſpe-

(*a*) 3. Reg. XVIII. 21.

ſpectavit in Aſa, Amaſia, Ozia, Joathan, Joas, Ezechia, Joſia. Sua tamen diſpendia & in hoc Regno paſſa eſt Religio. Roboamus enim, populuſque illi ſubjectus, ultra triennium in obſequio Domini non manſerunt (*a*). Rex ille ſive pravo Salomonis patris ſui exemplo concitatus, ſive veritus ne, ſi qui forte illi adhærebant, populos ad avitam Religionem cogere voluiſſet, ſe deſerto, Jeroboami partes ſequerentur, integrum ſingulis fecit, ut quamcumque tandem Religionem mallent, amplecterentur; qua conceſſa venia, omnis in ditionem Juda, non ſecus ac Iſraelem Idololatria perrupit. Tunc conſecrata in Excelſis, & ſub frondoſis quibuſque arboribus Altaria; paſſim dicati Luci, & Numinum ſimulacra, proſtitutæ feminæ, virique ſalacem Idolis cultum pro veteri incolarum Palæſtinæ more præſtabant (*b*); quibus criminibus Judæi Domini in ſe offenſionem, pluſquam patres ſui, provocaverunt. Hæc in hujus Hiſtoriæ decurſu ſæpius parebunt.

ANNO MUNDI 3033. ante Chriſtum 967.

Seſac Templum, & regium ærarium diripit.

IX. Seſac igitur Rex Ægypti, divinæ ultionis miniſter, bellum in Roboamum anno Regni illius quinto indixit (*c*). In eam expeditionem exercitum duxerat 1200. curruum, & 60000. equitum, immenſa peditum ex univerſa Ægypto, viciniſque Regionibus multitudine adjecta. Idumæam invadens, munitiſſimis arcibus Regni jugum recipere coactis, ad Metro-

(*a*) 2. Par. XI. 17.
(*b*) 3. Reg. XIV. 22. & 2. Par. II. 12.
(*c*) 3. Reg. XIV. 25. & 2. Par. XII. 1.

tropolim uſque proceſſit. Tunc Semejas Propheta Roboamum atque Principes Juda in urbe conveniens, Domini verbis denuntiavit, futurum ut quemadmodum ipſi Dominum deſeruerant, ita Deus in manus hoſtium illos permitteret. Rex, ceterique crimen ſuum profeſſi ſunt; & Deus continuo ad Prophetam: Quia, inquit, ſub manu mea cervicem ſubmiſerunt, id ego efficiam, ne totus iræ meæ furor in Hieruſalem deſæviat: hoſtibus tamen ſubdentur, ut quantum inter homines, & Deum diſtet, experiantur. Spontaneam igitur deditionem fecit Roboam; nec Seſac inde pedem retulit, niſi collectis e direptione Templi, & regiarum Ædium ditiſſimis ſpoliis. Detraxit etiam aurea ſcutata, & clypeos, quos Salomon fecerat. Quare poſt illius diſceſſum Roboamus pro ſcutis & clypeis aureis parem æneorum numerum conflavit: quæ cum ad Templum iret, ſatellites præcedentes deferebant, redeuntes vero in armamentarium referebant. Porro iſte Roboami ad Templum acceſſus aliquam pietatem ab eo cultam oſtendit; ſed cum Religionis ſuæ cauſam haberet ſtudium ſui, metumque, tandiu in ea perſeveravit, quandiu diſcrimen imminebat; eo elapſo ſtatim ad crimen, in quo ad mortem uſque perſeveravit. Animadvertimus autem, omnes ante Seſacum Ægypti Reges Scripturam nomine Pharaonis deſignare. Seſac omnium primus proprio nomine appellatur; quem quidem aliqui cum Seſoſtri, ſive Sethoſi, alii cum Seſonchi confundunt.

ANNO MUNDI 3047. ante Chriſtum 953.

Abias Roboamo ſuccedit.

X. Uxores duxit Roboamus duodeviginti, & concubinas ſexaginta, ex quibus 28. filios, & 60. filias genuit. Patris tamen animus in Abiam inclinans, ſucceſſorem Regni illum deſtinavit; quem propterea apud ſe educabat, ceteris per diverſas urbes remotis, metu ne ſimul coeuntes defectionis aliquid, & conſpirationis in fratrem molirentur. Res ab eo geſtas late, ſolerterque Semejas & Addo Prophetæ ſcriptis mandarunt; quæ tamen eorum opera noſtra ætate interciderunt, uti & hiſtoriæ bellorum, quæ inter Roboamum & Jeroboamum toto Regni tempore contigerunt. Obiit Roboamus poſt 17. Regni annos, atque in urbe Davidis ſepulturæ mandatus eſt.

XI. Jeroboamus Rex Iſraelis, amicus, & fœderatus Seſaci, apud quem labente Salomonis Regno ſeceſſerat, nihil moleſtiæ ex bello in Roboamum moto paſſus eſt; quin & Regno ipſius confirmando plurimum contulit illa Roboami demiſſio. At Deus alio pœnarum genere impii Regis crimina punivit, morte ſcilicet filii ſui Abiæ, quam paulo ante Jeroboami obitum contigiſſe crederemus (*a*). Abia igitur ægrotante Jeroboamus uxori imperavit, ut mutatis veſtibus, allatiſque decem panibus, placentula, & vaſe melis, Ahiam Prophetam in Silo conſulendum de filii morbo adiret. Paruit illa, cumque limen domus Prophetæ attigiſſet, ad primum pedum illius ſonitum, quænam eſſet, vir Dei ſtatim cognovit, non quidem oculorum ope, quibus præ ſenectute cali-

(*a*) Vide Calm. in 3. Reg. xv. 1.

caligabat, ſed ex Dei revelatione. Verſus autem ad mulierem: Ingredere, ait, uxor Jeroboami; quid aliam te ſimulas? Tum plurima Jeroboamo a Domino collata beneficia commemorans, ipſum impietatis accuſavit, quod Davidem, cujus Regni potiorem partem obtinuerat, minime imitatus, plura, quam priores homines, mala perpetraſſet, Deoſque alienos fuſis Idolis, poſthabito Domino, coluiſſet. Quamobrem omnes in Jeroboami domum calamitates a Domino effundendas, mares cunctos interficiendos, totamque penitus illius familiam exterminandam; ac eos, qui in urbe obiiſſent, a canibus diſcerpendos, qui vero rure, a Cæli volucribus devorandos, prædixit. Ad hæc, ſubdidit: Redi nunc domum; cumque pedem in illam intuleris, filius tuus morietur; ſoluſque ille e tota Jeroboami familia ab Iſraele plorabitur, & ſepelietur, quod pietatis igniculos quoſdam foverit. Alium vero Regem (Abiam Regem Juda) hoc eodem tempore eligit Dominus, qui res Jeroboami ita affliget, ut erigere cervices in Judam ulterius non poſſit. Iſraelem quoque, qui illum ſuperſtitionis ducem ſecutus eſt, Dominus percutiet, illumque e terra hac bona trans Euphratem projiciet, ceu pulverem a ventorum turbine diſſipatum. Regreſſa Jeroboami uxor, & Therſam veniens, quo Regni ſedes e Sichem translata fuerat, cum domus ſuæ limen attigiſſet, Abia ipſius filius mortuus eſt. Quem honorifice ſepultum omnis Iſrael flevit.

XII.

Singularis Abiæ de Jeroboamo victoria.

XII. Abia Roboamo patri ſuo in Regno Juda, & in Idololatriæ ſcelere ſucceſſit anno duodevigeſimo Regni Jeroboami. Matrem habuit Maacham filiam Patruelis Roboami, & Abſalomi ex Thamare neptem (*a*). Porro Abia bello Jeroboamum petivit, collectoque 400000. hominum exercitu ex Juda & Benjamin, in monte Someron, ubi poſtea Samaria condita eſt, fixit tentoria. Jeroboam vero contra ipſum proceſſit 800000. hominum ſecum ducens, ex ſuis Provinciis collecta. Stante in conſpectu utroque exercitu, Abia ſumpta religioſiſſimi viri perſona, quamquam de Religione non melius, ac Jeroboamus, ſentire conſueviſſet, gravi vehementique oratione hoſtes monuit, ut rurſus Davidis familiæ ſubjicerentur, verique Dei ad cultum redirent. Quis veſtrum, inquit, ignorat datam a Deo fidem Davidi, ejuſque poſteris, ut Regnum illi afferet in pactum *ſalis*, æternum ſcilicet, & incorruptibile? Regnum ſibi uſurpavit Jeroboamus. At quiſnam ille? Filius Nabat, ſervus Salomonis filii Davidis, & in ſuum legitimum Principem rebellis, quem filii Belial pervicaces, indiſciplinati tunc ſibi Regem conſtituerunt, cum regnaret Roboamus vir rudis, animoque puſillus, qui ipſorum conatus frangere nequibat. Tantus copiarum veſtrarum apparatus minime nos terret; firma enim perſuaſione tenemus, Deum improbata veſtra Idololatria, ac Legum ſuarum contemptu, nobis adfuturum, qui veræ Religionis partes tuemur.

(*a*) 3. Reg. XV. & 2. Par. XIII.

mur. Jam jam Sacerdotes illius, qui ſacras ſervant cæremonias, ſuarum tubarum clangore opem divinam adverſus vos depoſcunt. Nolite ergo perſiſtere in bello, quod in Deum quidem eſt impium, rebus vero veſtris noxium. Dum hæc ad hoſtes Abia loqueretur, Jeroboamus exercitus partem poſt montem miſit, ut Abiam medium exciperet. Abia, ejuſque exercitus re intellecta ad Dominum clamantes, ipſius auxilium implorabant. Sacerdotibus tubas ſacras inflantibus, Dominus hoſtes adeo perterruit, tantoque impetu Abiæ exercitus eos invaſit, ut 500000. illorum deſiderata ſint; quanta hominum cædes uno in prælio nunquam facta fuiſſe legitur. Abia victoria uſus, Jeroboamo plures abſtulit civitates, inter quas Bethel, Jeſana, & Ephron; tantaque fuit Iſraelis clades, ut nihil ultra contra Judam moliri auſus ſit. Hebræi Abiam incuſant, quod prophanum cultum, a Jeroboamo in Bethel conſtitutum, non aboleverit, cum maxime potuerit, illa civitate in ſuam poteſtatem redacta. Quatuordecim uxores duxit, ex quibus filios duos & viginti, filias ſexdecim ſuſcepit.

Aſa ſuccedit Abiæ, & Nadab Jeroboamo, cujus familiam Baaſa exterminat. Aſa depulſa Idololatria Zaram Ethiopiæ Regem ſuperat, concitatque Benadadum Regem Syriæ in Baaſam Regem Iſraelis. Baaſam excipit Ela, Elam Zamri, Zamrim Amri Samariæ fundator, Amrim Acabus. Poſt Aſam regnat Joſaphatus.

CAP. V.

ANNO MUNDI 3049. ante Chriſtum 951. *Aſa Abiam excipit.*

I. TErtio ſui Regni anno obiit Abia, filio ſuo Aſa ſucceſſore relicto. Merito quidem ſuorum criminum a Deo ultore Abia cum univerſa familia citius delendus fuerat; ob ingentia tamen Davidis avi ſui merita ſervatus eſt aliquandiu, quin & herede donatus (*a*). Altero a morte Abiæ anno ceſſit e vivis etiam Jeroboamus, percuſſus a Domino (*b*). Ea phraſi interitum aut immaturum, aut improviſum, aut diris infirmitatibus plenum, aut hæc omnia ſimul, intelligimus. Rex ille, qui omnium maxime Vitulorum, aut Vaccarum, ut nonnulli ferunt ſacri Codicis textus, ſcandalo & ſuperſtitione Iſraelitarum populum in ruinam pertraxerat, duos & viginti annos ita Deo permittente exegit in Regno, quod filio ſuo Nadab reliquit. At Nadab paterni ſceleris imitator duobus tantummodo annis regnavit. Dum enim Gebbethon, urbem a Philiſthæis occupatam, obſideret, interiit, inſidiis a Baa-

ANNO MUNDI 3050. *Jeroboamo Nadab ſuccedit.*

ANNO MUNDI 3051. *Nadab occiſo regnat Baaſa.*

(*a*) 3. Reg. xv. 3. (*b*) 2. Par. XIII. 20.

a Baaſa Ahiæ filio ex Tribu Iſſachar petitus; qui Regno occupato omnem omnino Jeroboami ſtirpem excidit, juxta id quod Dominus per Ahiam Prophetam revelaverat (*a*).

Aſæ Pietas.

II. Pietatem, & juſtitiam coluit Aſa; quare e Regni Judæ finibus expulit eos, qui in honorem Numinum ſe ſe proſtituerant; ſimulque omnium Idolorum fæcibus ab anteceſſoribus invectis Hieroſolymam expurgavit (*b*). Regiis inſignibus & negotiorum adminiſtratione matrem ſuam Maacham privavit, quod Idolum Aſtarthes quodam in Luco erexiſſet, ipſum vero Idolum flammis tradidit in valle Hinnon, qua torrens Cedron fluit. Vaſa aurea, & argentea, quæ pater voverat, in Templum invexit. Porro votum illud facile tunc Abia Domino nuncupavit, cum medius ab Jeroboami exercitu teneretur.

ANNO MUNDI *3063.* ante Chriſtum *937.*

Aſæ de Zare victoria.

III. Cum in pace Regnum quieſceret, & Deus populo maxime faveret, curavit Aſa, ut urbium munitiones repararentur. Anno autem decimo quinto ſui Regni coegit exercitum ex Juda 200000. militum haſtis, & ſcutis armatorum; ex Benjamin vero 280000. qui ſcutis quidem & ipſi armati erant, ſed loco haſtarum ſagittas habebant. His copiis Zare Regi Ethiopiæ, ſive Chus, quem partem Arabiæ Ægypto conterminam credimus, 1000000. militum exercitu, & 300. curribus in ſuam ditionem, Mareſam uſque progreſſo, occurrit, locatiſque in Valle Sephata caſtris, antequam ad prælium egrederetur, Dominum invocavit,

S 2 qui

(*a*) 3. Reg. xv. 27. (*b*) 2. Par. xy.

qui ad primum Aſæ impetum hoſtes adeo perterruit, ut ſtatim in fugam converterentur. Fugientes autem Aſa cum ſuis Geraram uſque proſecutus, omnibus illorum urbibus captis, ingentem prædam retulit (*a*). Quamquam latent nos cauſæ belli a Zara in Aſam moti, ſuſpicamur tamen, illum religione Aſæ offenſum fuiſſe, cum videret ſacrorum ſibi Numinum Templa, & Aras ab eo dejici, atque ſubverti; eademque de cauſa Aſam dum pace frueretur, ſe ſe bello comparaſſe, ne imparatus ab hoſte opprimeretur.

Fœdus cum Deo populus innovat.

IV. Poſt eam victoriam, Judæis Jeruſalem regredientibus occurrit Propheta Azarias filius Obed, divinoque œſtro abreptus populum admonuit, ut paria ſemper ſperaret, ſi Deo morem ſemper geſſiſſent; addens futurum, ut Iſraelitæ, qui a Religione deſciverant, plures acturi eſſent annos ſine Deo, ſine Sacerdote, ſine Doctore, ſine Lege, pace ac pietate deſtituti, donec per pœnitentiam ad Deum reverterentur. His verbis Aſa acrioribus ſtimulis ad pietatem incitatus, Idola non ex Juda tantum, ſed ex urbibus quoque montis Ephraim in ſuam ditionem redactis abſtulit. Meruerat quidem antea reprehendi, quod populum Domino in Excelſis ſacrificantem non prohibuiſſet; quem quidem abuſum fortaſſe tolerandum judicaverat, ut majus Idololatriæ malum evitaretur; ſed exinde omnem illam ſuperſtitionem delevit. Tunc etiam maxima ſolemnitate Pentecoſten celebravit. Coactis igi-

(*a*) 2. Par. XIV.

igitur in unum populis Tribuum Juda, & Benjamin grande incrementum acceſſit ex Tribubus Simeon, Manaſſe, & Ephraim, qui Dominum Aſæ rebus favere cernebant. Victimæ ex præda Zaræ immolatæ ſunt, videlicet 700. tauri, & 7000. oves. Cum autem fieri non poſſe videatur, ut in unico Altari tot immolarentur hoſtiæ, putant nonnulli, Aſam in eam rem uſum fuiſſe non modo conſueto Holocauſtorum Altari, ſed & altero quod Salomon in Templi dedicatione erexerat; idque innuere Scripturam, cum dicit: *Dedicavit Altare Domini, quod erat ante porticum Domini.* Initum ea occaſione fœdus, promittentibus Hebræis, totos ſe in Dei obſequium tradituros; quod etiam ſolemni juramento, decreta mortis pœna in tranſgreſſores, canentibus interim buccinis, & cymbalis, confirmatum eſt.

V. Inter Aſam Regem Juda, & Baaſam Regem Iſraelis perpetuo viguerant ſimultates, quæ tamen in apertum bellum nonniſi ſero, ſexto ſcilicet & trigeſimo Regni Aſæ erupe-runt (*a*). Cum autem certo certius ſit Baaſam ultra ſextum & vigeſimum annum Regni Aſæ vitam ſuam non prorogaſſe, hinc omnium fere eſt ſententia, annum hunc trigeſimum quintum ducendum eſſe a ſciſſione Regnorum Juda, & Iſraelis, qui in annum ſextum, & decimum Aſæ incidit. Tunc igitur Baaſa urbes ſuæ ditionis in finibus Juda munitionibus vallavit, eo conſilio, ne Iſraelitæ ad Regnum Juda, & ad Templum Domini commearent.

Anno Mundi 3064. ante Chriſtum 936.

Fœdus jungit Aſa cum Benadabo, quod a Domino improbatur.

(*a*) 2. Par. xv. xvi.

Aſa autem, ut hoſtem ab incepto abduceret, quidquid auri, & argenti ſive in ſuis, ſive in theſauris Templi invenit, totum ad Benadad Regem Damaſci, Razonis facile filium, tranſmiſit, rogans, ut rupto cum Baaſa fœdere, in ejus ditionem irrumperet, diverſionem facturus. Res pro votis ſucceſſit, quippe Benadad Regnum Iſraelis adortus, ac pluribus urbibus Tribus Nephtali ſuperatis, Baaſam coegit, ut munitionibus urbis Ramæ intermiſſis, regionem ſuam defenderet. Aſa ea occaſione abrepta, populum Ramam adduxit, atque aſportatis omnibus, quæ Baaſa Urbi muniendæ paraverat, Gabaam Benjamin, & Maſpham reſtauravit. Fœdus tamen ab Aſa initum cum Benadad alte improbari a Domino, Hananus Propheta ipſi Aſæ aperuit, quod ea occaſione minus Deo fidiſſet. Victoriam ſane prodigioſam mox retulerat de Zara: Deus per Azariam illi patrocinium ſuum certiſſima fide promiſerat, ſi quidem ille fidem ſibi debitam ſancte retineret. At Aſa omnium oblitus, ſacros Templi theſauros expilat, ut Benadad ſibi adverſus Baaſam incitet. Niſi tu, ait Hananus, fiduciæ in Dominum defuiſſes, nedum Rex Iſraelis, ſed & ipſe Syriæ Benadad e manibus tuis non evaſiſſet. Nonne Zaram Regibus hiſce longe potentiorem ſpes, quam in Domino collocaſti, devicit? Crimen hoc tuum adverſum te bella deinceps provocabit. Dicentis libertate Rex indignatus, illum carceri addixit, plurimoſque eodem ſimul tempore, qui forte ejus acta, non ſecus ac Propheta, reprehenderant, morte damnavit.

VI.

VI. Jehu quoque Hanani filius juſſu Domini Baaſam infidelitatis & ingratitudinis arguit (*a*), quod ex infima ad ſupremam Regis conditionem erectus a Domino, abjecto tanto benefactore, Jeroboami veſtigia relegiſſet. Quamobrem ſciret ſe, poſteroſque ſuos a Domino delendos inſtar familiæ ejuſdem Jeroboami, vel in urbe a canibus, vel in agro a volucribus abſumptos. Hiſce minis nequaquam territus Baaſa, ira maxime æſtuans, Prophetam interemit juxta Vulgatæ textum. Nam Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta ita explicari poſſunt, ut innuant ipſum Baaſam poſt Jehu vaticinium a Domino fuiſſe morte punitum.

Jehu Baaſam reprehendit.

VII. Obiit reapſe Baaſa (*b*), poſtquam regnaſſet quatuor annis & viginti, & ſepultus Therſæ, ſucceſſorem Elam filium ſuum reliquit. Porro Ela altero Regni ſui anno proditione ſublatus eſt. Zamri enim Præfectus partis equitatus Elæ, cum ille in urbe Therſa biberet, in eum irruens occidit, Regnoque occupato totam illius familiam, conſanguineos, amicos interfecit, ut implerentur quæ per Prophetam Jehu Baaſæ patri Elæ fuerat Dominus comminatus. Non diu autem profuit ſcelus, nam Amri dux copiarum Elæ, dum obſidioni Gebbethon præeſſet, audita occiſione Elæ Domini ſui, contra Zamri proditorem copias direxit, obſeſſumque in urbe Therſa, adeo in arctum conjecit, ut ille regia domo incenſa, ſe totamque familiam poſt ſeptem initi Regni

ANNO MUNDI 3074. ante Chriſtum 926.

Baaſæ ſuccedit Ela. Breve hujus Regis, ſicut & Zamri, Imperium.

S 4 dies,

(*a*) 3. Reg. XVI. (*b*) 3. Reg. XVI. 8.

dies, abſumpſerit. Zamri ſublato, Iſraelitæ de Regni ſucceſſore diſputantes, in duas partes abierunt: alii enim ipſum Amri, alii vero Thebni filium Gineth acclamabant. Quatuor ſolidis annis diſputatum eſt, nec niſi poſt mortem Thebni in Amri omnes convenerunt. Regni ſedem ſex annis Therſæ, ſex Samariæ habuit. Empto enim monte Someron pretio duorum talentorum argenti, urbem in eo novam conſtituit, quam de nomine primi hujus loci poſſeſſoris Somer, appellavit Samariam; eamque ipſe, ceterique poſt illum Reges Regni Iſraelitici ſedem habuerunt. Mirari ſubit, cur Amri, qui urbem condidit, nomen illi ſuum non indiderit. Succurrit nonnullis, ibi forte jam fuiſſe parvam urbem, quæ poſſeſſoris nomen haberet. Malunt alii, poſſeſſorem viliori pretio locum ceſſiſſe Amri ea conditione, ut nomen ſuum retineret. Primo igitur Reges Iſraelis ſedem Imperii conſtituerunt in Sichem, deinde Therſæ, tandem Samariæ. Sedet hæc urbs in fertili quodam colle in meditullio ferme Tribus Ephraim, ſitu commodo & munito. Ut illam ornarent, augerentque, Iſraelis Reges nihil omiſerunt. Obſidiones ſuſtinuit plures: bis illam cinxit Benadad; Salmanaſſar triennali obſidione expugnavit. Poſt mortem Alexandri magni ceſſit Regibus Ægypti; ſed erepta Ægyptiis ab Antiocho magno paruit Regibus Syriæ, donec per Hircanum Machabæum ſolo æquata eſt. E ruinis ſuis ſurrexit beneficio Herodis magni, qui eo, colonia ſex millium deducta, Sebaſten,

ANNO MUNDI 3079.

Amri ſolus regnat, qui ſedem Samariæ figit. Hujus Urbis vices.

ſten, quod perinde valet ac Auguſta, de Auguſti nomine appellavit.

VIII. In urbe igitur Samariæ a ſe condita, vel aucta, ſepultus eſt Amri, omnium præcedentium Regum ſceleſtiſſimus, qui non verbis modo, & exemplis, ſed & legibus Jeroboami Idololatriam promovit (*a*). Ipſum tamen Achabus filius & ſucceſſor impietate ſuperavit, qui vitulorum cultui ab Jeroboamo introducto, Chananæorum Idola, Baal, & Aſtaroth, Jezabelis uxoris ſuæ opera, adjecit, id agentibus impiis, ut quam abominationem Deus in Chananæis inultus ferre non potuit, eamdem in populo ſuo regnantem videret. Femina illa patrem habebat Ithbaalem Sydoniorum Regem; quam ſuorum ſcelerum merito comparat Grotius Tulliæ uxori Tarquinii, Fulviæ Antonii, & Eudoxiæ Arcadii. Alii quidem Reges ante Achabum nuptias cum alienigenis mulieribus conciliaverant, ſed cautione ſaltem quadam, uti fertur, juſſis nempe prius ad Judaica Sacra tranſire. Nihil tale cum Jezabele ſervatum. Quin Achabus Templo a ſe Samariæ fabricato Aram Baalis, lucumque appoſuit.

ANNO MUNDI 3086. ante Chriſtum 914.

Amri ſuccedit Achabus.

IX. Regnante Achabo Hiel vir e Bethel, nihil territus diris a Joſue in eum qui urbem Jericho reſtituiſſet pronunciatis (*b*), reſtaurationem illius aggreſſus eſt. Sed Dei ultio in illius familiam ſæviit; cum enim Hiel fundamenta jaceret, orbatus eſt Abiramo inter filios

Hiel malo ſuo Jerichuntem reſtaurat.

(*a*) 3. Reg. XVI. 28. Reg. XVI. 34.
(*b*) Joſue VI. 26. & 3.

lios natu maximo; deinde paulatim ceteri etiam filii perierunt, ac tandem omnium poſtremus Segub obiit, cum abſolutæ urbi fores adderentur.

ANNO MUNDI 3090. ante Chriſtum 910.

Aſam excipit Joſaphatus cujus militum & ſubditorũ numerus indicatur.

X. Interim inclinante vita Aſa pedum dolore, facile podagra, laboravit: qua occaſione fiducia illius iterum nutavit; neglexit enim ad Dominum confugere, dum medicinæ auxilia ſibi omnia procurabat (*a*). Vi morbi nobilioribus partibus occupatis, tandem extinctus eſt, exactis in Regno quadraginta & uno annis. Mortui corpus lectulo, ſeu feretro impoſitum una cum aromatibus crematum eſt; cineres vero & oſſa condita in tumulo, quem in civitate David ipſe ſibi paraverat. Malunt alii, corpus non arſiſſe, ſed unguenta tantum & aromata, juxta cadaver poſita; hæc enim, inquiunt, Hebræorum moribus magis congruere videntur. Novus iſte ſepeliendi ritus exinde obtinuit. Aſæ in Regno Judæ ſucceſſit Joſaphatus Princeps laudatiſſimus, quem ex Azuba uxore ſua ille ſuſceperat. Cum autem civilia bella, quibus Iſrael laboravit, vires illius plurimum minuiſſent, factum eſt ut Joſaphat validior eſſet æmulo ſuo Achabo. Ad plurimarum urbium propugnaculum plurimas arces in Juda conſtruxit. Ex regno ſuo cogere poterat exercitum undecies centenorum & ſexaginta millium, ſub quinque ſupremis ducibus Edna, Johanano, Amaſia, Elinda, & Jozabado, exceptis præſidiis arcium, & copiis, quas in Regno detinebat ſub armis. Facile ſub eo Rege ea-

(*a*) 2. Par. XVI. 12.

eadem diſciplina revixit, quæ olim ſub Davide, cum agmen quatuor & viginti millium ſemper apud Regem vel in Arcibus manebant. Porro ea Regio, quæ duodecies centena millia hominum ad arma idoneorum ſufficere valebat, continuerit neceſſe eſt ſaltem ſexagies centena millia. Si quis numerum hunc miretur, is animadvertat, Regnum Judæ ſub Joſaphato omnia amplexum fuiſſe a Berſabee & Peluſio ad uſque montes Ephraimiticos, ab Jordane ad Mediterraneum. Unica olim urbs Roma complectebatur incolarum tricies, vel quadragies centena millia; feruntque, urbem Cairi ſeptuagies centenis millibus coli, & Pechinum a ducentis millibus millium frequentari. Quamvis autem Palæſtina eſſet fertiliſſima, numquam frequenti adeo populo alendo par fuiſſet; quare ipſam commercio plurimum floruiſſe, cenſendum eſt. Cum autem hinc maximi proventus provenirent Joſaphato, colligeretque ex collectis ſibi populis ingentia tributa, incredibile eſt, quantis ille divitiis abundarit. Imitatus autem exempla Davidis, antequam ille cum Bethſabea peccaret, Deum propitium ſuique Regni Aſſertorem habuit.

XI. Cum Joſaphatus ſe Dei ope, rectique facti conſcientia invictum reputaſſet, Excelſis, Luciſque ex Juda evertendis manum admovit; quod tamen non ſemper, vel non ubique perfecit, unde nomini illius nonnihil labis conciliatum (*a*). Tertio Regni ſui anno per Sacerdo- *Joſaphat. Pietas.*

(*a*) Confer. 2. Par. XVII. XXII. 43. 6. cum XX. 33. & 3. Reg.

dotes & Levitas, librum Legis deferentes, in omnes Judææ regiones dimiſſos, populum ſubditum erudiit: quare Deus illud etiam ei rependit, ut a finitimis omnibus timorem ſimul & obſequium retulerit, & Philiſthæos, & Arabes vectigales habuerit, quorum poſtremi ſeptem millia & ſeptingenta arietum, totidemque hircorum in ſingulos annos pendebant.

Elias paret in Iſraele. Alitur a corvis. Viduæ Sareptanæ multiplicat oleum, & farinam, ac filium ad vitam reſtituit. Deducit e Cælo ignem in victimam. Imbrem prece obtinet. Deliteſcit in ſpelunca Horeb. Dominus apparet. Eliſæum ſibi ſucceſſorem conſtituit.

CAP. VI.

ANNO MUNDI 3092. ante Chriſtum 908. *Elias famem prædicit, alitur a corvis, farinam & oleũ multiplicat.*

I. INter hæc Elias Propheta clariſſimus, quem perpetuam ſervaſſe virginitatem, plures ex Patribus credidere, apparuit, ut Jezabelis & Achabi impietati tanquam murus æneus opponeretur (*a*). Thesbe transjordanica urbe in Galaaditide oriundus erat, cujus tamen Tribum, conditionem, educationem, vocationem ignoramus. Elias igitur Achabum conveniens: Per Deum, ait, qui omnibus præſens eſt, futurum prædico, ut trium annorum ſpatio ne guttula quidem ſive imbris, ſive roris ſuper terram cadat, niſi id ego a Domino petam. Continuo vero juſſus a Domino

(*a*) 3. Reg. XVII.

mino trans Jordanem ad torrentem Carith ſe ſe recepit; ubi carne, & pane bis per diem corvorum miniſterio reficiebatur. Aliqui tamen originalem vocem *Arabim* non corvos interpretantur, ſed Arabes, ſive Negotiatores, vel incolas *Arabo*, vel *Oreb*. Verum priſtinam verſionem communis Interpretum, & Commentatorum conſenſus præferendam cenſet. Equidem ſi non corvus, ſed homines cibum ad Prophetam detuliſſent, cur non & aquam, poſtquam torrens defecit, ne ille ejus defectu alio commigrare cogeretur? Igitur calore Solis torrente, quo ſitim levabat, exſiccato, Sareptam Sidoniorum ad viduam quamdam juſſu Domini contendit. Cum urbem ingrederetur, viduam illam ligna colligentem offendit; quam ut ſibi potum præberet juſſit. Dum abiret aquam allatura, ipſam Propheta revocavit, imperans, ut & panem una cum aqua portaret. Tunc illa juravit, nil ſibi domi eſſe, præter unicum farinæ pugillum in hydria, & parum olei in lecytho, ſeque eo veniſſe, ut collectis lignis ſibi ac filio panem in ſupremum vitæ cibum coqueret, cum nihil omnino ſupereſſet, quo ulterius vitam utcumque tolerare poſſent. At Propheta his minime moratus, iterum inſtitit, ut ex illa farina primo ſubcinericium panem ſibi conficeret, factura deinde quod diſpoſuerat. Ne tamen, adjecit, animo deſpondeas, futurum pronuntio, ut nunquam neque oleum, neque farina deficiant, quoadusque arentem terræ faciem largo imbre Dominus irriget. Paruit mulier; eventus autem oracula probavit.

II.

Elias Viduæ filiũ ad vitam revocat. II. Non diu poſt, mulier illa cum filius ejus morbo prævalente expiraſſet, ejulans querebatur de Elia perinde ac ſi Deus peccata ſua oblitus fuiſſet ante ipſius adventum, poſt illum autem, ea perquiſiſſet accuratius, atque agnita, morte filii ultus fuiſſet. Elias miſerabili matris dolore commotus, acceptum pueri cadaver lectulo ſuo impoſuit, oblatiſque deinde Domino precibus, ter illi incubuit, ita in arctum ſe colligens, ut os ori, pectus pectori, manus manibus, totuſque toti reſponderet. Quibus peractis puer vitæ reſtitutus eſt.

Abdiæ obviam fit Elias. III. Triennio elapſo Elias juſſus eſt a Domino, pluviam daturo, ut Achabo occurreret (*a*). Porro Rex ille depopulantibus Regionem ſiccitate & fame ab Elia pronuntiatis, imperarat Abdiæ Domus regiæ Præfecto, ut agros percurreret, aliquid ſubſidii pereuntibus hominibus & jumentis comparaturus. Abdiæ juſſa obeunti Elias obviam factus eſt. Quo viſo, Abdias procidens in terram: Tune es, inquit, Dominus meus Elias? Cui alter: Vade, & dic Domino tuo: inventus eſt Elias. Et Abdias: Quid peccavi, ut me ad Achab mittas, & occidar? Vivit Dominus Deus tuus, non eſt gens, aut Regnum, quo non miſerit Achab ad te inquirendum, coacturus, ſi inveniſſet, ut pluviam a Deo impetrares; vel ſi obſequi recuſares, nece ulciſceretur. Omnes vero te ibi non eſſe reſponderunt. Nunc jubes, ut adventum tuum Regi nunciem. At ego timeo futurum, ut me ad Achabum pergente

(*a*) 3. Reg. XVIII.

te; Spiritus Dei te alio aſportet, quo ego ignoro; teque non reperto, Achab me ceu mendacem interficiat; quod equidem non merui, cum ab infantia Deum jugiter coluerim. Numquid tibi narratum non eſt, Jezabele in Prophetas Domini ſæviente, me centum ex illis in geminis ſpeluncis abſcondiſſe, eoſque pane, & aqua paviſſe? Ne igitur me ad Regem mittas, tantoque vitæ periculo ne objicias. Jurante autem Elia ſe coram Rege illa die pariturum, Abdias abiit, & Prophetæ adventum nuntiavit.

IV. Achabus obviam Eliæ factus: Tune, inquit, es, qui Iſraelem vexas? Cui Propheta: Non ego, ſed tu, patriſque tui domus, qui ſpreto Domini cultu Baali adhæſiſtis, Iſraelem perturbatis. Nunc igitur omnem Iſraelem in Carmelum convoca, & 450. Baalis, & 400. Aſtharthes miniſtros, quos Jezabel paſcit, illuc ducito. Hic Iſraele judice, meane, an illorum Religio vera ſit, exhibebo. Accepta a Rege conditione, omnes in deſtinatum locum adducti ſunt, præter eos, quos veluti familiares ſibi Prophetas Jezabel alebat. Tunc coram frequenti multitudine Elias verba faciens, minime omnium decere, dixit, ut inter duas Religiones, Baalis ſcilicet, & Domini, neutri ſe continerent; ſeligerent igitur, quam præſtantiorem judicarent. Silente populo, addidit Propheta, ſe unum relictum eſſe, qui Dominum coleret; Prophetas vero Baalis ad 450. aſcendere. Utriſque igitur bovem, qui immolaretur, tribuerent: cujus autem victima lapſo

Conventus populi in Carmelo.

pſo de Cælo igne abſumeretur, ipſe in Deum haberetur. Æqua propoſuiſſe viſus eſt. Quare Prophetæ Baalis priori loco bovem immolantes, in fruſta conciſum Altari impoſuerunt. Tum Baal rogare, ejuſque opem qua clamoribus, qua ritualibus carnium ſuarum conciſionibus, qua tandem ſuper Altare ſaltibus, implorare. Cum fruſtra operam uſque ad meridiem impendiſſent, Elias inſultans: Majores, ajebat, clamores tollite: Baal fortaſſe dormit, vel in caupona occupatus, aut itinere abſens, rogantes non audit.

IgnisCælo demiſſus Eliæ victimam abſumit.

V. Erat ibi quoddam dirutum Altare, unum facile ex illis, quæ olim conſecrata fuerant, cum, nullo adhuc certo loco ad adorandum conſtituto, hæc Altarium religio permittebatur. Cum igitur in caſſum ultra meridiem res ab Idololatris tentata fuiſſet, Elias denique Altare opera populi reſtituit, ex duodecim lapidibus pro numero Tribuum Iſraelis illud compingens, totique operi parvam foſſam, & veluti duos ſulcos circumduxit. Altari deinde immolatum bovem atque in fruſta diſſectum imponens, totam victimam, atque injecta ligna adeo large affuſa ter aqua perfudit, ut imbre circum diffluente foſſa repleretur; quibus perſuadere volebat, flammam ſuperventuram prodigio ortam, non autem naturali cauſæ deberi. Subinde igitur Dominum rogavit, ut demiſſo cælitus igne Religionis veritatem vindicaret. Nec diu poſtulatum eſt; illico enim delapſæ flammæ ligna, holocauſtum, ipſoſque lapides, ac loci pulverem cum

aqua abſumpſerunt. Tunc populus demiſſo in terram vultu exclamavit: *Dominus ipſe eſt Deus:* ſtatimque, auctore Elia, abreptos Prophetas Baal, atque ad radices montis raptos, qua torrens Ciſon in Mediterraneum devolvitur, omnes occiderunt.

Elias precibus pluviam obtinet.

VI. Elias deinde Achabum monuit, ut Carmeli ſuperiora conſcenderet, lætuſque ibi cibo & potu ſe ſe reficeret, quod auribus ſuis accedentis copioſiſſimi imbris fragor inſonaret (*a*). Aſcendit Rex, eumque Elias ſequutus eſt. Ibi Propheta pronus in terram, atque vultu inter genua demiſſo, verſus erat in preces, mittebatque identidem puerum ſuum in quamdam montis crepidinem, ut ad mare proſpiceret, & ſi quid vidiſſet, nuntiaret. Cum ille ſexies fruſtra iviſſet, tandem, ſeptima vice regreſſus, dixit, nubeculam quamdam veluti veſtigium hominis e mare emergere. Quibus auditis juſſit Elias, ſervum Achabo renuntiare, ut junctis ad currum equis iter domum, quod immineret pluvia, maturaret. Puer illico paruit, cumque tempus tereretur motu, & circumcurſatione, interim in aere nubes glomerabantur. Dirigente autem Rege iter Jezrahel verſus, ubi Achabus ruſticare ſolebat, Elias accinctus lumbis, raptuſque inſolito Spiritus impetu, equis ipſis & curru Achabi ocior ferebatur. Nec diu abfuit, quin largus imber decideret.

Elias fugit in mõtem Horeb.

VII. Jezabel uxor Achabi, accepto a marito de nece Prophetarum nuncio, graviter rem tulit,

(*a*) 3. Reg. XVIII. 41.

tulit, juſſitque nuntiari Eliæ, ſe jurejurando mortem illius pro craſtina die decreviſſe (*a*). Quæ cum audiſſet Elias, ſtatim fugam arripiens, Bethſabee ad meridiem Tribus Juda pervenit, inde dimiſſo famulo ad interiora Arabiæ Petreæ iter dirigens, poſt exactum eundo diem, tandem feſſus ſub junipero conſedit, atque a Domino petens, ut vitæ ærumnis tandem liberaretur, obdormivit. Dormienti Angelus adfuit, qui, ut ſurgeret & comederet, imperavit; panis enim ſubcinericius & aquæ vas prope jacentis caput apparuerunt. Cibo recreatus Elias, iterum obdormivit. Poſtera die ab Angelo mane excitatus, intellexit ab eo longam, difficilemque ſibi ſupereſſe viam. Quare cibo ab Angelo pridie allato iterum refectus, quadraginta dierum, ac noctium itinere ad monte Dei Horeb eo cibo confirmatus pervenit. Subſtitiſſe tamen in via aliquamdiu cenſendus eſt; vel forte rectius iter non tenuit; cum Bethſabee ab Horeb 125. milliaribus circiter tantum diſtet. Alii intra hanc 40. dierum periodum claudunt tempus, quo Elias in Horeb ſubſtitit.

Deus Eliæ apparet, eumque ad inungendũ Hazaelẽ, Jehu, & Eliſæum mittit.

VIII. In ſpecu ejuſdem montis deliteſcens, aliquando a Domino interrogatus, quid ibi ageret, reſpondit: Ferre non potui conculcatum a populo tuo fœdus, araſque tuas everſas; meumque tui ſtudium impulit, ut fuga perſecutionis furorem vitarem. Ex omnibus Prophetis tuis unus ego remanſi, quem tamen aliis occiſis e medio ſubducere illata nece hoſtes

(*a*) 3. Reg. XIX.

ſtes tui moliuntur. His auditis Dominus fervidum viri zelum temperaturus: Egredere, ait, de ſpelunca, & in oſtio conſiſte: inſonabit continuo auribus tuis ingentis venti fragor, deinde terra motu quatietur, poſtea flamma oculos tuos perſtringet, tandem tranquillum auræ tenuis ſibilum ſenties. Scias autem, non violento turbinis impetu, non terræ agitatione, non flammæ rapiditate contineri Dominum, ſed tantum auræ tenuis ſibilo; quo auribus tuis blandiente, volo ut humi ſtratus præſens Numen adores. Paruit Elias, auditoque auræ ſibilo dejecit in terram vultum, eoque pallio obducto Deum adoravit. Ut tamen Elias ſciret, delicta nequaquam impunita relinqui, aperuit illi Dominus, ſe in prævaricatores Iſraelis, & in Achabum, & Jezabelem ultores deſtinaſſe, juſſitque, ut deſerti via Damaſcum iret, ibique Hazaelem in Syriæ Regem ungeret, eademque unctione Jehu filium Namſi in Iſraelis Regem conſtitueret; qua pariter functione Eliſæum filium Sephat de Abel-Meula in Prophetam, qui ſibi ſuccederet, deſignaret. Adjecit tunc Dominus: Si Hazaelis de impiis Iſraelitis ultio minor fuerit, ſupplebitur a Jehu, & niſi Jehu conſilia mea compleverit omnia, abſolvet Eliſæus. Ne glorieris autem, te unum ſupereſſe Deo fidelem in Iſraele. Servavi enim mihi ſeptem hominum millia, qui Baalem nec de genu, nec manuum oſculis coluerunt. Interpretum quidam numerum ſeptem millium ad literam retinent; verum alii ampliorem numerum eo

numero juxta Scripturarum morem intelligunt.

Eliſæus Eliæ adhæret. IX. Redux igitur a monte Elias, cum in regionem Ephraim veniſſet, Eliſæum duodecim boum jugis agrum arantem nactus, illico pallium ſuum ejus humeris impoſuit, eique ad munus Prophetæ divino juſſu acciri ſignificavit. Nec mora, Eliſæus relictis bobus, petita obtentaque ab Elia facultate, domum rediit, parentibus vale dicturus; ubi & geminis bobus mactatis, coctiſque carnibus epulum populo dedit; regreſſuſque inde ad Eliam illius ſequelæ ſe ſe totum addixit. Quæ autem ad Hazaelem, & Jehu ſpectabant mandata, per ſe ſe Elias non explevit, ut ex narrationis ſerie conſtabit.

Benadadus Samariam obſidens profligatur. Iterum vincitur ad Aphec. Achabus fœdus cum illo componit. Naboth vineam ſuam Achabo negans, artibus Jezabelis damnatur. Pœnitentia Achabi.

CAP. VII.

ANNO MUNDI 3103. ante Chriſtum 897. *Minæ Benadadi in Samariā.* I. BEnadad Rex Syriæ, alterius Benadadi, qui Aſæ Regis Judæ partes contra Baaſam Regem Iſraelis ſecutus fuerat, filius, uti nos quidem credimus, movens Damaſco, ubi regnabat, cum ingenti exercitu, quem duo & triginta Reguli reddebant validiorem, ad obſidendam Samariam venit (*a*), miſſiſque ad Acha-

(*a*) 3. Reg. xx.

Achabum Regem Legatis mandat, ut theſauros ſuos, feminaſque ac filios, quos maxime haberet in deliciis, ſibi dedantur. Imparem ſe tanto hoſti ad reſiſtendum intelligens Achabus, ſperanſque futurum, ut Benadadus conditiones moderaretur, facilis ad omnia acquievit. Sed cum per eoſdem Feciales iterum exigeret hoſtis non tantum quæ erant Achabi, ſed & quæcumque ſibi maxime opportuna judicaſſet e rebus illius ſubditorum, tunc coram frequenti Seniorum populo concione hæc expoſuit Achabus: Benadad ſtruit nobis laqueos occultos; me enim omnia mea illi permittente, ille & veſtra pariter poſtulat. Conſuluerunt Seniores, non oportere hoſtis poſtulatis acquieſcere. Remiſit ergo Feciales Achab, hæc tradens renuntianda, præſto eſſe ſe pacem emere impendio rerum ſuarum omnium; de ſubditorum vero bonis diſponere, ſibi non licere. Regreſſi igitur Legati omnia ad Benadadum retulere, qui indignatus illos remiſit, juſſos renuntiare: Dii Benadadum male perdant, niſi ita deleam Samariam, ut ne pugillum quidem terræ ejus relinquam. Quibus Achabus: Ne epinicium ante victoriam canas: ſæpe qui armis melioribus inſtruuntur, cadunt primi.

Benadadus ab Achabo profligatur.

II. Cum hæc relata ſunt, Benadad cum Regibus, qui eum ſequebantur, in umbraculis bibebat; juſſit autem urbem circumdari. Eodem tempore Propheta quidam ad Achabum venit, futurumque nuntiavit, ut Deus omnium hoſtium exercitum in manus Iſraelitarum traderet. Iniret igitur ipſe prælium, atque pediſ-

ſequos Principum Iſrael, juvenes ſcilicet adoleſcentes de Regis comitatu, qui in Aula alebantur, ſecum adhiberet. Recenſuit ergo pediſſequos illos, & duos & triginta ſupra ducentos invenit. Populum etiam Samariæ numeravit, & ſeptem millia inventa ſunt. Egreſſi autem ſunt meridie, dum Benadad de more compotationibus vacabat, qui monitus, Achabi milites Samaria egreſſos: Sive, inquit, ad pacem petendam, ſive ad bellum veniant, vivos comprehendite. Præeuntibus igitur pediſſequis, ac reliquo exercitu ſequente, hoſtes Imperatore deſtituti urgeri cœperunt, tantuſque eos timor invaſit, ut omnes fugam arripuerint, ipſeque Benadad equum conſcendens cum ſuis equitibus aufugerit. Achabus fugientes inſecutus, plurimiſque eorum interfectis, ingentem prædam aſportavit. Tunc Propheta Domini ad Achab venit illum confirmaturus, & ut caveret moniturus; ſequenti enim anno Benadadum rediturum prædicebat.

Deus Hebræorum Montibus præſidere creditur.

III. Aſſentatores autem Benadadi probrum amiſſi prælii nequaquam faſtui & ebrietati Regis ſui, ſed Hebræorum Diis attribuentes, inſuſurrabant auribus Principis: *Dii montium ſunt Dii eorum*: nil proinde mirum, ſi ipſis prope Samariam, urbem in monte conſidentem, pugnantibus victoria obſecuta ſit; quare ſi Iſraelitæ in agrum trahi poſſint, ceſſante favore & viribus Numinis illorum, fruſtra eos eſſe pugnaturos. Facile illis hæc inſederat opinio, Mundum ſcilicet per varia Numina ita diſtribui, ut ſingula aſſignato ſibi loco præſiderent.

rent. Deum vero Hebræorum montanis locis delectari ex eo ſuſpicari poterant, quod in montibus Sinai, Moria, Carmelo &c. cultus fuiſſet. Servi autem Benadadi illi auctores quoque fuerunt, ut Regibus, omnibus, quos ſecum adduxerat, dimiſſis, ſubſtitueret Præfectos, qui ad nutum ipſi parerent; ſuppleretque etiam defectum militum, equorum, & curruum, quos in prælio amiſerat. Statim omnia.

Achabus iterum Benadadum vicit.

IV. Altero igitur anno Benadadus rediens, in Aphec caſtrametatus eſt. Achabo contra Benadadum & numero & viribus inferiorem exercitum moventi obvius Propheta victoriam pollicitus eſt nomine illius, qui dominium in vallibus æque ac in montibus haberet. Poſt diſpoſitos unius hebdomadæ ſpatio exercitus, ſeptima tandem die prælium initum eſt, in quo cæſis centum Syrorum millibus, reliqui fuga in Aphec quæſivere. Ingredi vero in urbem feſtinantes murus ruens ad 27000. oppreſſit. Benadad, ne in manus Achabi incideret, in ſecretiori Aulæ parte delituit. Regii tamen miniſtri, narrata Iſraelitarum Regum clementia, ſpem illi fecere, dum ſacco induti, funibuſque colla ligati Achabo ſupplicarent. Profecti igitur ab Achabum nomine Benadadi ejus vitam petierunt. Quibus ille: Si vivit, inquit, frater meus eſt; juſſumque ad ſe adduci in currum ſuum recepit. Tunc Rex Syriæ oblatis pro libertate urbibus, quas ipſius pater ab Achabi patre, ſeu anteceſſore abſtulerat, fecit etiam victori facultatem ædificandi Da-

maſci vias, ac loca publica, ut ipſius Benadadi pater Samariæ olim præſtiterat; quibus conditionibus acceptis Achabus Benadadum dimiſit.

Achabi clementia Deus irritatur.

V. Præpoſtera hæc Achabi clementia Dominum iritavit; quare ex Prophetis unus, quem plures Michæam putant, a Domino ſuſcitatus, ſocium vocans: Feri me, ait. Abnuenti prædixit, a leone mox eſſe devorandum; quod & impletum eſt. Deinde ab alio eadem requiſivit; a quo vulnere accepto, faciem poſtea ſuam pulvere conſperſit, ne agnoſceretur. Eo habitu Achabo occurrens, dixit, ſibi cum in prælio eſſet, captivi cujuſdam cuſtodiam commiſſam fuiſſe, impoſita vitæ, ſive talenti multa, ſi fugere permiſiſſet; accidiſſe autem, ſe in pugnæ calore huc illucque diſcurrenti, ut captivus elaberetur. Cui Rex: Tu te damnaſti, ea conditione captivi cuſtodiam acceptantem. Ad quæ Propheta faciem abſtergens: Quod, ait, virum morte dignum Benadadum dimiſiſti, tua ipſe pro illius vita, tuuſque populus pro illius populo pœnas dabitis. Achabus iratus Samariam ingreſſus eſt, Prophetæ vaticinium nihili faciens (*a*). Mirari ſubit, nec Eliam, nec Eliſæum unquam in bellis hiſce prodire. An Jezabel viris ſanctis ingreſſum in Aulam remorabatur?

ANNO MUNDI 3105. ante Chriſtum 895.

Naboth vineam dare Regi recuſat.

VI. Cum domum ſuam, quam pro deliciis in Jezrahele Achabus habebat, horto augere cuperet, a Nabotho loci incola petiit, ut vineam ſuam ſibi venderet, aut meliorem acciperet

(*a*) Joſeph. l. 8. Antiq. c. 8.

peret (*a*). Cui Nabothus: Avertat Deus, ut patrum meorum hereditatem tibi dem. Dedecore quodam afficiebantur Iſraelitæ, qui paternam hereditatem alienaſſent. Moyſes quoque prohibuerat, ne Iſraelita fundos ſuos diſtraherent, niſi ad extremam neceſſitatem redacti (*b*). Idem legem tulerat, ut vendita ſemper poſſent redimi, atque ut anno Jubilæi quiſque ad poſſeſſionem ſuam reverteretur. Neutrum autem fieri potuiſſet, ſi Nabothus vineam Regi vendidiſſet. His de cauſis vir ille Regis juſſionibus obſequi recuſavit; quod tamen Achabo ita grave accidit, ut Jezrahele Samariam reverſus decubuerit, cibum hominumque adſpectum adverſatus.

VII. Jezabel Achabum inviſens, triſtitiæ cauſam popoſcit, qua audita: Grandis, inquit, profecto auctoritatis Rex es tu! Orare ne eum decet, cui jus eſt quodlibet uſurpandi & exigendi? Surge, comede, & bono eſto animo; ego enim operam dabo, ut voti compos fias. Nec mora; epiſtolas nomine Regis ſcripſit, Regioque annulo munitas ad ſeniores Jezrahelis miſit. Literarum autem hæc erat ſententia: Jejunium indicite, primiſque ſubſelliis Nabothum inter vos excipite, in quem geminos viros, Belial filios ſeducetis, ut ipſum in Deum & Regem blaſphemaſſe teſtentur. In textu legitur: *Deo & Regi benedixiſſe*; benedixiſſe tamen ibi fertur pro maledixiſſe. Adeo enim Scriptura abhorret ab ea maledictionis voce, ut nolit ejus meminiſſe, cum in Deum evo-

Agente Jezabele Naboth occiditur.

(*a*) 3. Reg. XXI. (*b*) Levit. XXV. 23.

evomitur. Nonnulli tamen legunt: *Deo & Regi valedixiſſe*; id eſt ab utroque ſeceſſiſſe. Actum eſt, ut Regina mandaverat; ſedit Naboth inter Principes Jezrahelis, de eo delatum eſt, quod in Deum & Regem convicia congeſſerit; extra urbem eductus lapidibus obrutus interiit. Continuo nefarii hi judices ad Jezabelem miſere, qui eam de Nabothi nece monerent; quo eventu hilaris Regina ad Achabum ingreſſa, ei nuntiat, tuto uſucapere poſſe vineam Nabothi, quippe quæ illi deberetur jure Fiſci, uti patrimonium viri crimine Majeſtatis damnati. Statim Rex acquievit, & Samaria egreſſus Jezrahelem contendit, ut Nabothi vinea potiretur.

Elia Achabum terrente, eum criminis pœnitet.

VIII. Ad Achabum autem juſſu Domini ſe conferens Elias, ſic eum increpavit: Occidiſti ergo Nabothum, & vineam illius poſſediſti? Sed audi, quæ tibi minitatur Deus (*a*). Eodem in loco, ubi canes ſanguinem Nabothi linxerunt, tuum etiam lingent. Ad quæ Achabus: Qua in re me tibi adverſarium ſenſiſti, ut infauſta hæc prædiceres? Cui alter: Iniquitati te totum mancipaſti; idcirco e familia tua ne canem quidem Deus vivere permittet. Jeroboamum & Baaſam, quos ſecutus es culpa, ſequeris & pœna. Jezabelem uxorem tuam intra antemurale urbis Jezrahelis canes vorabunt. Iterum prædico; ſi Achabus mortuus fuerit in civitate, canum erit pabulum; ſi in agro, volucrum. His auditis Achabus veſtes ſcidit ſuas, & cilicio indutus jejunavit, in ſac-

co

(*a*) 3. Reg. XXI. 17.

co denique dormiens, & veluti luctum agens, operuit caput. Deus autem hac Principis pœnitentia tactus, Eliæ revelavit, ſe revocaſſe, vel ſaltem mitiorem feciſſe latam in illum ſententiam, ut mala, quæ domui illius imminebant, uſque poſt ipſius obitum differrentur. Sunt qui credant, Achabi pœnitentiam exteriorem tantum fuiſſe, totamque, quanta quanta erat, fucatam. Quæ, ajunt, Idola ille dejecit? Quas amovit ſuperſtitiones? An impiam Jezabelem punivit? Vineam Nabothi heredibus reſtituit? Collapſum cultum Domini reparavit? Nos tamen quoſdam Patres ſecuti in æquiorem ſententiam propendentes, genuinam quidem, ſed imperfectam & brevem Achabi pœnitentiam cenſemus, & facile æternæ viri ſaluti inutilem, quamquam utilem ſaltem ut illi prodeſſet in tempore. Deus enim fuco non capitur, & tamen Achabi mœror id apud Deum obtinuit, ut expiaretur temporalis illa, quam in ſe provocaverat, ultio.

Achabus & Joſaphatus in Syriæ Regem fœderati. Occiſo Achabo ſuccedit Ochozias, qui Beelzebub conſulit. Eliæ inſultantes ignis abſumit. Illius in Cælum raptus.

ANNO MUNDI 3107. ante Christum 897.

CAP. VIII.

Achabo & Joſaphato falſi Prophetæ vana promittunt.

I. POſt ſancitum inter Benadadum Syriæ Regem & Achabum fœdus, pax triennalis conſecuta eſt, donec tandem Achabus retineri a Syris Ramoth Galaad, quæ ad Re-

gnum

gnum ſuum pertinebat, intelligens, vi illam ſibi recuperandam cenſuit (*a*). Verſabatur tum temporis Samariæ Joſaphat Rex Judæ, quo acceſſerat, ut Achabum ſibi amicum inviſeret: quare ab eo Rege in Syriacam expeditionem invitatus eſt. Non recuſavit Joſaphat, ſed tantum ſignificavit, optare ſe ut de rei eventu Propheta aliquis conſuleretur. Congregatis igitur pſeudoprophetis numero fere quadringentis, illis nempe, uti quidem nos putamus, quos Jezabel alebat Idolorum cultores, ab omnibus unanimiter proſpera quæque prænuntiata ſunt. Joſaphat, an nullus eſſet ibi Propheta Dei, requiſivit. Reſpondit Achab, eſſe quidem unum Michæam, ſed ſibi inviſum, quod malis, quam bonis vaticinandis aptior eſſet. Suadente tamen Joſaphato, miſſus eſt, qui Michæam vocaret, ſedentibus interim duobus Regibus in platea prope Samariæ portam, cunctiſque Baalis prophetis circumſtantibus, & Reges, ut audacter in Syriam moverent, hortantibus. Ex quibus Sedecias, Chanaanæ filius, ferrea cornua ſibi aptans, imitatuſque inſultantem cornibus taurum, obvia quæque ventilabat; hoc indicio Regibus oſtendens futurum ut diſpergerentur Syri tanta facilitate, quanta furens taurus ſtipulas & humum cornibus per aera diſſipat.

Michæas vera prædicit.

II. Nuntius interim Achabi, qui Michæam quæſitum ierat, illum hortatus eſt, ut a ceteris prophetis in prædicendis proſperis non diſcreparet. Qui Michæas, nihil ſe dicturum reſpon-

(*a*) 3. Reg. XXII. & 2. Par. XVIII.

reſpondit, niſi quæ Deus ſibi ſignificaſſet. Stans igitur ante Achabum, ſtatim ab eo interrogatus eſt, num in Ramoth expeditio ſuſcipienda eſſet? Propheta primo, ut pergeret, reſpondit, victoriam ſpondens. Verum ab Achabo, qui ironiam intellexerat, ſub obteſtatione divini Nominis rogatus, ut vera panderet, compoſito ad ſeveritatem vultu, vidiſſe ſe, ait, Iſraelitas tamquam oves in montibus ſine Paſtore palantes, Domino interim imperante, ut amiſſo Duce quiſque ad domos ſuas in pace regrederetur.

III. Tunc Achabus ad Joſaphatum: Nonne dixi tibi, nihil ab illo, niſi infauſta nuntiari? Michæas vero fidem facturus iis, quæ ab ipſo dicebantur, viſionem, qua futura didicerat, deſcribens: Vidi Dominum, ait, Solio aſſidentem, cæleſti militia hinc inde ſtipatum, interrogantemque: Quis Regem Iſraelis decipiet, ut contra Ramoth expeditione ſuſcepta opprimatur? Diſſidentibus autem variorum ſententiis, improbus quidam ſpiritus coram Domino ſe ſiſtens: Ego, inquit, illum ſeducam. Interrogatus a Domino, qua ratione: Ero, excepit ille, ſpiritus mendacii in ore omnium ipſius Prophetarum. Cui Dominus annuit. En, ſubdidit Michæas, ſpiritus, qui Prophetas tuos inſpirat. Hæc dicenti Sedecias colaphum impingens: Ergone, ait, Dominus me dereliquit, ut in te veniret? At alter: Tunc veritatem diſces vaticinii, cum huc illucque diſcurrens latebras quæritabis. Achabus autem libertatem Michææ diutius ferre non valens, juſſit ſatelliti-

Deus permittit, ut Achabus decipiatur.

litibus ſuis, ut mali ominis Prophetam Amoni Præfecto Samariæ cuſtodiendum traderent; tamdiu fame & aqua arctis nutriendum, quamdiu ipſe in pace rediret. Ad quem Michæas: Velle ſe, dixit, ut Spiritu Dei afflatus non crederetur, ſi ille in pace rediiſſet; ejuſque rei teſtes omnes præſentes appellavit.

ANNO MUNDI 3107. ante Chriſtum 893. *Achabo Ochozias ſuccedit.*

IV. Proficiſcentibus igitur Achab & Joſaphat contra Ramoth, Rex Iſraelis dixit Regi Juda, ut conſuetis ipſe armis & veſtibus indutus contra Syros præliaretur; ſe vero ſub ementitis veſtibus latere velle. Norat fortaſſe Achabus, imperatum a Benadado militibus ſuos, ne quem, niſi Regem Iſraelis armis peterent. Inito ergo prælio, Duces Syrii viſo Joſaphato culto regio ornato, arbitrantes Iſraelis Regem eſſe, facto impetu ad illum concurrere. Qui ſe opprimi conſpicatus, exclamavit: ex clamore autem cognitum duces perſequi deſtiterunt. Tunc quidam miles, jacto in incertum telo, Achabum pectus inter & ſtomachum vulneravit. Qui ſtatim aurigæ juſſit, ut currum flecteret ſeorſim, unde certamen poſſet intueri. Perſeveravit autem pugna uſque ad veſperam, milites ſuſtinentibus, Joſaphato quidem virtute ſua, Achabo vero præſentia. Tandem Iſraelis Rege ex vulnere in ſuo curru obeunte, præconis voce totus exercitus dimiſſus eſt, unoquoque ſuam domum regrediente. Mortuo Achabo, & Samariam delato, ubi & ſepultus eſt, dum currus illius & habenæ in piſcina Samariæ lavarentur, canes juxta Eliæ oraculum ſanguinem illius linxerunt. Hic

fuit

fuit Achabi exitus, poſtquam duobus ſupra viginti annis regnaſſet. Præter urbes, quas vel ædificavit, vel reſtauravit, domum etiam eburneam, eburneis facile laquearibus, vel ſaltem ornamentis ex ebore confectis inſignem conſtruxit. Regnum ad Ochoziam ipſius filium delatum eſt.

Ob fœdus cum Achabo Joſaphatus reprehenditur.

V. Joſaphatum Hieroſolymas revertentem Propheta Jehu Hanani filius acriter increpavit, quod auxiliares copias Achabo detuliſſet, palamque ſignificavit, Deum ex illo pœnas ſumpturum, niſi operibus ab eo pie geſtis ipſius ira delinita fuiſſet. Hunc igitur errorem reparaturus Rex ditionem ſuam luſtravit, judices ubique conſtituens, quibus dicebat: Nequaquam humanum eſt quod exercetis judicium, ſed plane divinum, habendaque eſt minus a vobis hominis, pro quo jus dicitis, ratio, quam Dei, qui ſententias a vobis latas judicabit. Apud illum nulla injuſtitia, nulla perſonarum acceptio, nulla munerum cupido; quare nec vos talia decent, quippe qui Domini locum tenetis. Hieroſolymis quoque ſuos dedit judices ex Levitis, Sacerdotibus, & populi Principibus, ad quos cauſæ omnes ceterarum urbium, ſive jure appellationis, ſive primo ſtatim acceſſu, in quibuſdam cauſis peculiaribus de Lege, de Mandato, de Cæremoniis, de Judicio, de Gradibus neceſſitudinis ob connubia, vel hereditatum ſucceſſiones, deferrentur. Diſtinxit autem Joſaphatus geminam poteſtatem, ſeu tribunal, ſacrum ſcilicet, & prophanum, quorum alteri Amariam ſummum

mum Sacerdotem, alteri vero Zabadiam Ducem præfecit (*a*).

Joſaphatus ſine conflictu vincit.

VI. Non diu poſt, Moabitis, Ammonitis, & Mœoniis Arabiæ Petrææ populis ei bellum inferentibus, Joſaphatus ad jejunia preceſque confugiens, una cum populo, ne pueris quidem exceptis, Templum Domini ingreſſus eſt. Tunc Jahaziel, Zachariæ filius, divino ſpiritu afflatus maximam victoriam Regem poſtera die relaturum, quin congrederetur, promiſit. Ea ſpe confortatus, exercitum in hoſtes ducto, aciem ita inſtruxit, ut Cantores Domini eumdem, quem in Templo, ordinem tenerent, & muſicis inſtrumentis pſallentes, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus*, primi in exercitu procederent. Ad inſolitum concentum hoſtes ſubito terrore perculſi ſunt, vertenteſque in ſe arma, mutuis vulneribus concidere. Cum Judæi ad quamdam ſpeculam, facile inter Jerichuntem & Engaddi, unde proſpectus in deſertum, perveniſſent, viderunt procul omnem late regionem cadaveribus plenam, nec quemquam ex hoſtibus ſupereſſe. Quare in prædam omnes verſi, tantam manubiarum copiam nacti ſunt, ut illis colligendis tres dies non ſufficerent. Quarto die ſpolia dividentes, Deo maximas egerunt gratias, quod tanta victoria ſine pugna illos donaſſet; unde loco *Benedictionis vallis* nomen datum eſt (*b*).

VII. Cum in portu Aſiongaber Rex Joſaphat claſſem, in Ophir profecturam, comparaſ-

(*a*) 2. Par. XIX. (*b*) 2. Par. XX.

raſſet; Ochozias Rex Iſraelis, ut ſervi ſui una cum ſervis Joſaphati navigarent ipſum rogavit; cui alter primo valde obſtitit, ſed tandem acquievit (*a*). Dominus autem fœdus illud improbans, id commiſit, ut fractis tempeſtate navibus cœptum iter abrumperetur; quæ quidem pœna Joſaphato a Propheta Eliezero, filio Dodau revelata fuerat.

Ochoziæ rebellant Moabitæ.

VIII. Ochozias duobus tantum annis regnavit, partim tamen ſolus, partim una cum patre Achabo (*b*). Porro Ochozias patris & matris Jezabelis impietatem ſecutus, Baali, & Aſtarti cultum adhibuit. Sed ſcelus pœnam non effugit. Rebellantibus enim Moabitis, Meſa ipſorum Rex ſolvere renuit centum millium agnorum totidemque arietum cum ſuis velleribus tributum, in ſingulos annos impoſitum, vel forte ſemel tantum in ſingula novi Regis exordia (*c*).

Ochozias Beelzebub conſulit, cujus milites orante Elia ignis vorat.

IX. Diſpoſuit præterea Deus, ut Ochozias, dum Moabitæ novitati ſtudebant, e ſuperiori tecto domus in cœnaculum delapſus, vitæ diſcrimen ſubiret. Quare ſtatim nuncios in Accaron miſit, qui de ſui valetudine Beelzebub conſulerent. Elias ab Angelo monitus viris occurrit, atque poſt exprobratum Regis crimen, quod relicto Domino Idolum adiret, juſſit regrederentur, eique referrent, morbo, quo laborabat, ipſum dubio procul eſſe interiturum. Abeunte Elia, illi domum redeuntes, quæ ſi-

(*a*) Confer. 3. Reg. XXII. 50. cum 2. Par. XX. 35. 49.

(*b*) 3. Reg. XXII. 51.

(*c*) 4. Reg. I. 1.

bi dicta fuerant, Regi aperuerunt, eique viri, qui ſic locutus fuerat, veſtes, formam, & lineamenta inquirenti, piloſum eſſe, & zona pellicea ad renes præcinctum, reſponderunt. Quibus indiciis Ochozias Eliam agnoſcens, continuo Ducem quinquagenarium cum ſua manu miſit, qui Prophetam ad ſe adduceret. Cum ad montem, in cujus vertice Elias morabatur, perveniſſet regius miniſter, ad illum aſcendens: Vir, ait, Dei, Rex præcepit, ut deſcendas. Cui Elias: Si quidem vir Dei ſum, dilapſus e Cælo ignis Ducem cum militibus abſumat: ſtatimque demiſſis e Cælo flammis omnes conflagrarunt. Cum id quod primo Duci, ſecundo etiam contigiſſet, tertius tandem acceſſit, qui protinus in genua provolutus, Eliam rogavit, ut ſui ipſius, ſuorumque militum ſaluti proſpiceret, unaque ſecum ad Regem properaret. Tunc Elias juſſu Angeli roganti morem geſſit, eademque coram Rege dixit, quæ per miniſtros nuntiaverat.

Eliæ facinus defenditur.

X. Hoc Eliæ facinus reprobare viſus eſt Chriſtus, cum ardorem coercuit filiorum Zebedæi, qui Eliæ inſtar deducere volebant e Cælo ignem in Samaritas (*a*). Sed facile omni excuſatur culpa. Dux enim nimie audacter ad Eliam acceſſerat, eumque per contemptum, vel ironice virum Dei appellavit. Non irrogatam ſibi injuriam, ſed Deo, Propheta ulciſcitur. Quis enim ſibi perſuaderi patiatur, Deum proſequi voluiſſe prodigio impetum furentis hominis, qui nihil præter privatæ injuriæ

(*a*) Luc. IX. 54. Calm. in 4. Reg. I. 10.

riæ ultionem cogitaret? Chriſtus autem filios Zebedæi ideo arguendos cenſuit, quod ignorarent, Chriſti ſpiritum lenitatis eſſe & clementiæ; cum viciſſim ſpiritus Eliæ bonus quidem eſſet, ſed ultionis & ſeveritatis.

ANNO MUNDI 3109. ante Chriſtum 891.

De anno initi Regni a Joramo conciliantur Scripturæ,

XI. Ochozia e vivis ſine prole ſublato, frater ipſius Joramus Regnum obtinuit (*a*). Novus Rex non relegit quidem Achabi patris ſui veſtigia, qui vetuſtis ſuperſtitionibus cultum Baalis adjecerat; neque admiſit abominationes Jezabelis matris, quæ in Iſraelem Aſtartes, Numinumque Phœnicum cultum invexerat. Retinuit tamen Vitulos Aureos Jeroboami. Notat Scriptura, Regem hunc Regnum iniviſſe anno altero Jorami filii Joſaphati, cum tamen alibi legamus, Imperium cepiſſe anno duodevigeſimo Joſaphati (*b*). Ad hæc, Joram Joſaphati filius Regnum cepit anno Jorami Achabi filii quinto, teſte eadem Scriptura. Ut nodus præcidatur, fert communis opinio (*c*), Joram Regem Iſraelis regnare cœpiſſe anno duodevigeſimo Regni Joſaphati in Juda, qui pariter ſecundus erat annus a collata per Joſaphatum Joramo filio ſuo Proregis poteſtate. Deinde autem idem Joſaphatus creditur jus ſupremum Regni Joramo filio ſuo contuliſſe biennio ante obitum ſuum, & quinto anno Regni Jorami in Iſraele. Solemni enim fuit Regibus Juda, & Iſraelis, ceteriſque Orientalibus, ſe adhuc ſuperſtitibus, deſignare ſucceſ-

(*a*) 4. Reg. I. 17.
(*b*) 4. Reg. I. 17. III. & VIII. 16.
(*c*) Uſſer. Vat. Jun. Calm.

ſorem, atque interim in regiminis ſocietatem illum admittere. Sunt qui mendum ſuſpicentur in notis numeralibus (*a*). Sed quorſum hæc nulla cogente neceſſitate?

Elias de ſuo raptu monitus Jordanem ſicco pede tranſmittit.

XII. Circa exordia Regni Jorami Dominus revelavit Eliæ futurum ut brevi ex hominibus raperetur; quod quidem prodigium vir Dei omnibus celatum volebat. Sed aperiente Deo id non Eliſæo tantum, ſed & ceteris Eliæ diſcipulis, aſceteria ab eo in Bethel & Jerichunte conſtituta frequentantibus, innotuit. Quare hortanti Eliæ, ut in Galgalis, unde proficiſcebatur, Eliſæus ſubſiſteret, neque ſe miſſum a Deo in Bethel comitaretur, alter ab ejus latere ſe nunquam receſſurum ſacramento aſſeruit. Cum igitur in Bethel veniſſent, ſtatim filii Prophetarum Eliſæum clam adeuntes: Noſtine, dixerunt, hodie Magiſtrum tuum alio a Domino aſportandum? Quibus ille: Sat ſcio, ſilete. Porro quæ in Bethel, Jerichunte quoque contigere. Iterum iterumque Elias moram Eliſæo ſuadebat; cum tamen ille ſemper recuſaret, ambo iter ad Jordanem deflexerunt, quinquaginta Prophetarum filiis euntes illos e longinquo ſervantibus. Ut ad amnem ventum eſt, Elias aquis complicato pallio percuſſis, per medium alveum ſicco pede cum ſocio tranſivit (*b*).

Elias igneo curru rapitur.

XIII. Jam in adverſam ripam evaſerant, cum Elias monuit Eliſæum, ut ſi quid ex ſe cuperet, antequam transferretur, poſtularet. Cui Eliſæus, petere ſe, ait, duplicem ipſius ſpi-

(*a*) Grot. Capell. (*b*) 4. Reg. 11.

ſpiritum. Porro duplex ſpiritus ſive ſimilem ſignificat, nempe Prophetiæ & Miraculorum; ſive geminatum, hoc eſt, uberem, affluentemque; ſive tandem duas ejuſdem ſpiritus portiones. Scitum eſt, ad majores natu duplicem hereditatis portionem ex lege pervenire (*a*). Elias reſpondit Eliſæo: Ardua petis. Si tamen, cum raptus fuero, me videris, obtinebis. Interim proſequentibus illis iter, improviſo igneus currus, igneis equis vectus, medius inter eos apparuit, quo raptus Elias, veluti turbini inſidens, Cælum petivit. Angelos ſub ea imagine miniſterium illud Eliæ exhibuiſſe, cenſent nonnulli. Hinc facile Poetæ Solem igneo curru vectum, quem micantes equi trahunt, deſcribere conſuevere. Quidam etiam Græcam vocem *Helios*, Sol, ex Eliæ nomine ducendam volunt. Elias tamen Hebraice ſonat, *Ipſe eſt Dominus meus*. De loco, quo translatus eſt Elias, non convenit. Vulgaris ſententia præfert Paradiſum terreſtrem. Hebræi putant, Eliam mortali in corpore viventem translatum fuiſſe aduſque ignis regionem, ubi abſumptis veſtibus & carne, ſpiritus purus & expeditus evolarit in Cælum. Collocant alii in ſinu Abrahæ. Nos credimus, Eliam & Enochum viventes adhuc ſimul in eodem loco agere, extremamque Judicii diem expectare; ſed certum moræ locum nonniſi temere deſignaremus (*b*).

(*a*) Deuter. XXI. 17. (*b*) Vide l. 1. hujus Grot. Vat. Malv. Jun. Hiſtor. c. 8. n. 10. Cajet.

Eliſæus Jordanem ſicco pede tranſit.

XIV. Dum Cælum Elias peteret, clamavit Eliſæus: Pater mi, pater mi, qui currus Iſraelis eras, ejuſque auriga. His Propheta innuebat, omne Iſraelitarum auxilium ex uno Elia pendere; per eam enim ætatem potiſſimum armorum auxilium ex curribus militaribus petebatur. Mox vero, cum ex oculis ille evanuiſſet, dilapſum ipſius pallium Eliſæus ſumens, ad Jordanem regreſſus eſt, eodemque pallio aquas verberans, non primo quidem ictu, ſed altero, invocato ſimul Eliæ Deo, amnem diviſit, & ſicco pede illum trajecit. Eo prodigio Eliæ ſucceſſor ab omnibus Prophetis, qui rem conſpexerant, agnitus eſt, atque ſupremum in ſe omnes regimen ei detulere. Cum vero Eliam perpetuo evanuiſſe, ſibi non perſuaderent, propoſuerunt Eliſæo, an mittendos cenſeret quinquaginta validiſſimos viros, qui illum, abreptum fortaſſe in deſertum, atque occultum locum vi Spiritus, & quærerent, & reducerent. Eliſæus ſupervacaneam eam operam futuram dixit; quod quidem non fruſtra ab eo dictum quæſitus irrito labore per tres dies Elias oſtendit.

Traditio Eliæ de mundi duratione.

XV. Judæi Eliæ celeberrimam tribuunt prophetiam, quam hic exhibemus (*a*). *Traditio domus Eliæ: ſex millia annorum erit mundus: duo millia Inanitatis* (hoc eſt, ſine Lege:) *duo millia Legis: duo millia dierum Meſſiæ*. Hanc autem traditionem amplexati ſunt S. Hieronymus, & S. Hilarius (*b*), qui cum notaſſent,

(*a*) Gemar. Sanhedr. & in Michæam IV. Hilar. c. II. §. 29. in Matth. XVII.

(*b*) Hieron. ep. ad Cypr.

ſent, unam diem perinde haberi apud Deum ac mille annos (*a*), ex eo quod Mundi creatio ſex diebus perfecta eſt, intulerunt, mundum ſex millibus annis duraturum. Denique Meſſias circa annum Mundi 4000. venit, quæ ſane chronotaxis prædictæ traditioni cohæret. Quamquam vero non poſſumus aperte hanc opinionem falſitatis arguere, cum nondum 6000. Mundi anni præterierint, illa tamen his infirmari poteſt. I. Chriſtus ait: *De die autem illa, & hora nemo ſcit* (*b*). II. Auctor illius traditionis non eſt Elias noſter, ſed quidam Rabbinus Cabbaliſta ejuſdem nominis, qui anno a reſtituto ſecundo Templo 154. floruit (*c*). III. Mille anni apud Scripturam important maximum annorum numerum indefinite; quod cum debito honore erga S. Hieronymum, & S. Hilarium dictum volo. IV. Anni Chriſtianæ Æræ ſuperant tempora Legis Moſaicæ, & hæc præcedentibus ſæculis non æquantur, cum juxta Chronologiam, quam ſequimur, a mundi exordio uſque ad latam Legem effluxerint anni 2513. a Lege vero uſque ad Chriſtum 1487. a Chriſto tandem ad præſentem ætatem 1749.

XVI. Magi Perſarum affirmant, Zoroaſtrem, quem Præceptorem ſuum venerantur, diſcipulum fuiſſe Eliæ, vel ſaltem patres ſuos inſtitutos fuiſſe a diſcipulis utriuſque Prophetæ Eliæ & Eliſæi. Fabula inde petitur, quod Elias

Apud Perſas Elias eſt Zoroaſtris Magiſter.

V 4

(*a*) Pſal. LXXXIX. 4. & 2. Petr. III. 8.

(*b*) Matth. XXIV. 36.

(*c*) Genebr. Voſſ. apud Berti l. II. c. 8.

Elias & deduxit e Cælo ignem, & in Cælum igneo curru elevatus ſit; ignis autem cultui potiſſimum addicuntur Zoroaſtris ſectatores (*a*).

Eliſæus miraculis claret. Tribus Regibus in Moabitas moventibus victoriam prænuntiat, & ſiti laborantibus copiis aquas ſufficit. Filius Regis Moabitarum ſacrificatur. Naaman Syrus lepra mundatur, quo morbo Giezi punitur.

CAP. IX.

ANNO MUNDI 3109. ante Chriſtum 891. *Eliſæus aquæ Jerichuntinæ vitium corrigit.*

I. POſt Eliæ raptum, cum Eliſæus Jerichuntem veniſſet, quærentibus civibus de loci illius, ceteroqui percommodi, ſterilitate, & aquarum vitio, vas novum, ſale plenum, juſſit afferri; projectoque in fontem Jerichuntis ſale, Deum ab aquis illis vitium & ſterilitatem depuliſſe, palam aſſeruit; ſtatimque aquarum ſapor, qui malignitatem ſolo communicabat, correctus eſt (*b*). Facile fonti illi nocebat bitumen, aut nitrum; quare ſal augendæ potius, quam corrigendæ aquarum malignitati aptus erat. De induſtria ergo ab Eliſæo ſal electus eſt, ut magis magiſque ſentiretur prodigium. Sin vero aquæ corruptæ tantum fuerant, & maligno odore infectæ, miraculo aliquid revera detraheretur, cum ſciamus, aquas fætidas putridaſque, potabiles reddi, injectis in eas ſale, calce, lapillis. Nonniſi tamen prodigio fieri potuit ut ſtatim aquæ corrige-

(*a*) Calm. V. Elias. Jeph. l. 5. de Bello Jud.
(*b*) 4. Reg. 11. 19. Jo. c. 4.

rigerentur. Joſephus dum hiſtoriam hanc deſcribit, Eliſæum in Magum tranſmutare videtur, qui adjurationibus, libationibus, aliiſque arcanis ac myſticis cæremoniis uſus, aquas corrigat, & non modo plantarum, ſed & feminarum eo fonte inductam ſterilitatem depellat (*a*).

II. Jerichunte profectus Eliſæus in Bethel contendebat, cum pueris in via ſibi irridentibus, & calvum per contemptum appellantibus Dei nomine maledixit; continuoque gemini urſi in eos irruentes, quadraginta duos ex illis diſcerpſere. Calvus interdum uſurpatur pro fatuo (*b*). Ceterum illud conſtat, apud veteres injuriæ & quidem graviſſimæ loco habitum fuiſſe, ſi quis calvus appellaretur. Facile idololatræ Bethel incolæ, ægre ferentes, quod eo veniret Eliſæus Vitulorum aureorum ibi cultorum inſectator, filios ſuos in virum ſanctum excitarunt; quare in filiis patrum crimen punitum fuiſſe, non abs re crederetur. Poſt hæc, Eliſæus per Carmelum tranſiens Samariam venit, ubique inviſens Prophetarum diſcipulos, legibuſque illos ſuis veluti Pater & Princeps moderaturus.

Pueri Eliſæo inſultantes interficiuntur.

III. Cum Ochozias tempore, aut vi deſtitutus compeſcere Meſam Moabitarum Regem nequiviſſet, Joram frater ejus & ſucceſſor ſtatim ac thronum aſcendit, nihil habuit antiquius, quam ut refractarium redigeret ad fidem. Luſtrum proinde indixit copiis Iſraeliti-

Trium Regum expeditio in Moabitas.

(*a*) Calm. in 4. Reg. (*b*) 4. Reg. III. II. 23.

liticis in agro Samariæ; tum & per ablegatos ſuos certiorem factum Joſaphatum Regem Judæ de Moabitarum rebellione invitavit, ut arma ſecum jungeret. Paratum ſe ad omnia ſignificavit Joſaphat; quare ambo ſimul coeuntes procedere in adverſarios per deſertum Idumææ decreverunt. Rex Idumæorum, utpote ſubjectus ipſi Joſaphato, & ipſe pariter acceſſit ad expeditionem illam, omneſque ſimul Reges ſeptem dierum ſpatio iter habentes, penuria tandem aquarum adeo laborare cœperunt, ut qua homines, qua jumenta in extremum vitæ periculum devenerint. Tum Rex Iſrael exclamavit: Heu! Num igitur Dominus tres ſimul Reges huc nos coegit, ut ſimul pariter manibus Moabitarum traderet? Joſaphat autem quæſivit, num ibi aliquis adeſſet Propheta Domini? Reſpondit e familiaribus Regis Iſraelis quidam, adeſſe Eliſæum, virum olim e ſervitiis Eliæ. Vere, excepit Joſaphat, viro illi Deus ſecreta ſua pandit.

Exercitui Eliſæus aquas prodigio parat.

IV. Actutum tres Reges Eliſæum convenere. Ille autem ad Joramum converſus: Quid mihi, ait, & tibi eſt? Vade ad prophetas patris, & matris tuæ. Reſpondit Joram: Qui fieri potuit, ut Deus tres ſimul Reges in Moabitarum manus tradendos hac deduxerit? Qui alter: Niſi Joſaphatus hic eſſet, quem ſummo obſequio proſequor, ne obtutu quidem te dignarer. Nunc vero adducatur ad me vir canendi inſtrumentis peritus. Cum veniſſet, atque inſtrumento ſuo luderet, ſtatim Spiritu ſancto in Prophetam inſiliente, ipſe verbis Domini

mini militibus præcepit, ut excavarent in torrente foveas, moxque ſpectaturos, omni licet amota pluvia, ſeu vento, torrentem illum aquis redundare, ex quibus homines & jumenta ſitim reſtinguerent. Sed hæc minima, ait, præ ceteris; traditurus eſt enim Deus manibus veſtris Moabitas, quorum urbes ſubvertetis, agroſque late vaſtabitis. Sed quorſum ad hæc Pſaltes ab Eliſæo adſcitus? Aſpectus, ajunt nonnulli, Regis Iſraelis, ejuſque voces Eliſæum aliquanto commoverant; ſed in priſtinum mentis ſtatum ſono reſtitutus, divini Spiritus impreſſionibus excipiendis ſe ſe comparavit.

Victoria prodigioſa.

V. Eliſæi oraculo ſua fides; mane enim ſequentis diei, dum Sacrificia circa Solis ortum offerrentur, viſæ ſunt excavatæ foſſæ aquis e regione Idumæorum fluentibus, omni naturalis cauſæ vi remota, oppleri. Moabitæ autem intelligentes, tres Reges veniſſe ad bellum, moventes & ipſi pariter, hoſtes opperiebantur in finibus ditionis ſuæ. Verum ad orientem Solem ſpectantes, aquas prodigio eductas, e radiorum percuſſione velut ſanguine infectas videre ſibi viſi ſunt. Qua decepti ſpecie, reputarunt, mutuis cædibus hoſtes corruiſſe; quare majori confidentia in prædam potius, quam in prælium alacres procurrerunt. Venientes autem, in occurſum habuerunt Iſraelitas, quos cum ſuſtinere non poſſent, fugam omnes arripuere. Tota igitur regio vaſtata eſt, excurſumque uſque ad Areopolim totius Regni caput.

VI.

Filius Regis ſacrificatur. VI. Cum autem propugnatores e mænibus repellerent fundibularii, ceterique quaterent turres, Meſa Rex, fruſtra in caſtra Judæorum facta irruptione, ſupremo rebus deſperatis remedio, filium ſuum Regni ſucceſſorem arripiens, ſuper mænia præ hoſtium oculis ſtatuit, ſtrictoque paterno gladio illum immolavit Numini regionis, uti plerique tenent, vel Deo Iſraelis, Abrahamum imitaturus, quod aliis placet. Vetus erat mortalium perſuaſio, in extremis malis placanda eſſe Numina rei cariſſimæ ſacrificio. Sunt tamen, qui putent, Regem Moab non immolaſſe filium ſuum, ſed filium Regis Idumæorum, quem captivum ceperit, cum caſtra aggrederetur; deſperatione autem rei malæ geſtæ furorem ſuum in miſerum Principem vertiſſe. Scriptura equidem hic ambigua eſt (*a*). Iſraelitæ autem hujus facinoris indignitatem horrentes, ſoluta ſtatim obſidione, in patriam reverſi ſunt.

Oleum multiplicat Eliſæus. VII. Porro Eliſæus aliis quoque miraculis inclaruit. Vidua igitur cujuſdam ex Prophetis, quem veteres plures Abdiam Achabi œconomum credidere, apud Eliſæum querebatur, creditorem duos filios ſuos vel ſibi vendicare, vel vendere velle, quod ære alieno, a marito contracto, ſolvendo non eſſet (*b*). Filii recepto apud Hebræos more perinde habebantur, ac parentum ſuorum pecus, vel res domeſtica, de quibus ad nutum decernerent; quoſque pro ſolvendo ære alieno venderent in ſer-

(*a*) Calm. in 4. Reg. (*b*) 4. Reg. IV.
III. 27.

ſervitutem; quem morem apud Romanos quoque, Athenienſes, Britannos, alioſque populos olim obtinuiſſe, compertum eſt (*a*). Sciſcitante autem Propheta, ecquid vidua domi haberet, nihil aliud, reſpondit illa, quam olei tantillum, quo ſe ungeret. Tum Eliſæus jubet, illam domum redire, & acceptis commodato a vicinis vacuis vaſis compluribus, foribuſque cubiculi clauſis, in omnia oleum id indere. Paruit mulier, & repletis ad unum omnibus, ad Eliſæum reverſa rem totam illi retulit. Propheta conſuluit, ut divendito oleo debitum creditori redderet.

Filium ſterili a Deo impetrat, quem deinde mortuum ad vitam revocat.

VIII. Cum Sunam urbem transjordanicam Tribus Iſſachar, domumque in ea matronæ cujuſdam frequentaret Eliſæus, mulier viri ſanctitate commota apud maritum ſuum inſtitit, ut in ſuperiori domus parte parvum conclave, lectulo, menſa, ſella, & candelabro munitum illi pararet, quo, cum eo diverteret, commode reciperetur. Eliſæus pro eo beneficio aliquam repenſurus gratiam, per Giezi diſcipulum ſuum feminam requiſivit, an opera ſua apud Joram Regem Iſraelis, vel apud ipſius copiarum Imperatorem opus haberet. Qua reſpondente, tranquillam ſe agere vitam, nullaſque ſibi cum quoquam eſſe querelas, Giezi Eliſæum monuit, mulierem ſterilitate laborare, cui ex ſene marito nullum remedium expectare poſſet. Accitæ ad ſe mulieri filium intra unius anni ſpatium promiſit Pro-

(*a*) Exod. XXI. 7. Levit. XXV. 39. Calm. in 4. Reg. IV. I.

Propheta; ad quem illa: Ne mihi, vir Dei, fruſtra blandiaris. Sed indicto tempore Oraculum probavit eventus. Verum cum poſt aliquot annos filius ſubito capitis dolore correptus in agro, domique ad matrem delatus, inter ejus genua occubuiſſet, cadaver in lecto Eliſæi mater collocavit, petitaque venia a marito, quem pueri mors latebat, conſcenſo aſello continuo ad Prophetam in monte Carmelo verſantem ſe contulit, apprehenſiſque illius genuis petitionem ſuam promovere volebat. Sed Giezi, qui ſummam Magiſtri modeſtiam, ejuſque a ſexu molliori averſionem norat, arcendæ illi ſtatim accurrit, quem tamen prohibuit Eliſæus, quod mærore confectam videret. Tunc virum ſanctum oravit mulier, ut qui ortum filio impetraverat, mortuo vitam quoque obtineret. His commotus Propheta imperavit Giezi, ut nulla interpoſita mora Sunam contenderet, baculoque ſuo filii cadaveri impoſito ipſum ad vitam revocaret, femina interim teſtante, nunquam ſe illum dimiſſuram, niſi ipſe per ſe veniret. Morem geſſit diſcipulus, ſed fruſtra; quare Eliſæus eo progreſſus eſt, gelidiſque membris totus incumbens, ſe in arctum redegit, ut os, oculi, manus, pedes Prophetæ, ori, oculis, manibus, pedibus pueri congruerent. Ita excitato in cadavere vitali calore orationum vi effecit Eliſæus, ut filius vitæ reſtitueretur.

Myſterium Incarnationis,

IX. Incarnationis myſterium hic adumbratum agnoſcimus. Eliſæi baculus, pueri cadaveri impoſitus, Legem Moyſis exprimebat, im-

imparem per ſe vitæ juſtitiæque conferendæ. Venire debebat ipſe Eliſæus, Jeſu Chriſti typus, & Princeps omnium quotquot miſſi ſunt ſub Lege, qui ſe ſe in arctum Incarnatione redigeret, & quodammodo pueri cadaveri, id eſt toti hominum generi, vita, lumine, & viribus deſtituto, aptaret. Ita exponunt Patres, unaque docti plures Interpretes.

Ingratum cibi ſaporem corrigit.

X. Graſſante in Judæa fame, quidam ex Prophetis in Galgalis juſſu Eliſæi cibum fratribus curaturus, enectis hortenſibus, colocyntidem imprudens collegit in agro, attulitque domum; ex qua pulmentum paravit. Eo cibo vix guſtato, omnes amaro ſapore offenſi, virus ſibi appoſitum eſſe, clamarunt. Id Eliſæus animadvertens, juſſit, ut farina ſibi afferretur, allatamque in olla miſcuit; ſtatimque pulmenti ſapor reformatus eſt. Quamquam farina aliquid conferre potuerit ad corrigendum amarum Colocyntidis ſaporem, nunquam tamen fieri poterat ut id ſtatim efficeret, in olla præſertim adeo vaſta, in qua pro omnibus fratribus fructus ille coctus fuerat, niſi Dei prodigium acceſſiſſet.

Fratrum collegium modico cibi ſatiat.

XI. Sub idem tempus vir quidam de Baalſaliſſa pro ſancta illius ætatis ſimplicitate attulit ad Eliſæum viginti panes primitiarum hordei, plenaſque frumenti ſpicas; quibus centum diſcipulos, quos ſecum habebat, ſatiavit, præter miniſtri ſpem, quin & non nihil ſuperfuit, juxta Prophetæ vaticinium.

Naaman lotus in Jordane ſanatur.

XII. Naaman Dux copiarum Regis Syriæ, lepra elephantiaſi laborans, audita Eliſæi fa-

ma

ma a quadam Iſraelitica uxoris ſuæ ancilla, illum adire ſtatuit, ut curaretur (*a*). Petiit igitur a Rege, ut bona ipſius venia Samariam, ubi tunc habitabat Propheta, pergere ſibi liceret. Annuit Rex; quin & literas ad Iſraelis Regem his verbis dedit: Ubi has acceperis, ſcito ad te miſſum Naamanum exercitus mei Ducem, ut illum cures. His lectis Joram Iſraelis Rex veſtes ſcidit, veritus inſidias ſibi a Rege Syriæ ſtrui, qui a ſe, quæ Dei ſolius ſunt, flagitaret. Cum hæc ad Eliſæum delata fuiſſent: Veniat ad me, ait, & ſciat, eſſe Prophetam in Iſraele. Igitur Naaman equitibus, curribuſque ſtipatus veniens, in foribus domus Eliſæi ſubſtitit, vel obſequii, vel morbi cauſa, quo a ceterorum commercio arcebatur. Audito hujus adventu, Propheta domi ſe continens, miſit, qui illi ſuo nomine imperaret, ut ſepties in Jordane ſe lavaret. Naaman vulgarem medicinam indignatus, regreſſum infecta re meditabatur, dicens: Putabam, quod Propheta ipſe ad me veniens, tactu manus ſuæ, ſuiſque ad Deum precibus morbum curaret. Nam ad Jordanem quod ſpectat, an non Damaſci flumina Abana, & Pharphar omnibus hujus regionis fluminibus meliora ſunt? Recedere igitur parantem ſervi illius monuerunt, ut remedium tam facile a Propheta injunctum tentare non dedignaretur. Quibus acquieſcens, in Jordane ſepties lotus ſanitatem recuperavit.

XIII.

(*a*) 4. Reg. v.

XIII. Ad Eliſæum regreſſus, palam profitebatur, nullum eſſe Deum extra Iſraelis regionem, rogavitque Prophetam, ut munus aliquod ex ſe reciperet; ſed omnibus a viro Dei rejectis, petiit, ut ſaltem humum ſoli Iſraelitici duobus mulis impoſitam in regionem ſuam tranſvehere permitteretur, ſancte pollicitus, ſe nonniſi uni Iſraelitarum Deo ſacrificaturum. Reputabat Naaman cultum Dei Iſraelis ita Terræ Hebræorum inhæſiſſe, ut nulla offerri poſſent grata illi ſacrificia, niſi in eadem regione. Cum autem patriam deſerere non poſſet, ſuccurrit illi futurum, ut commode Deo ſacrificaret in Syria, dum Aram aliquam ex humo Iſraelitica ædificaret, vel impleret, aut ſaltem inſpergeret.

Naaman Deo Iſraelis ſacrificaturus humum Iſraeliticam ſecum defert.

XIV. Antequam Naaman ab Eliſæo diſcederet, dixit illi: *Hoc ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo. Quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Deus ſervo ſuo pro hac re. Cui ait Eliſæus: Vade in pace, & dimiſit eum* (*a*). Quidam putant, Eliſæum verbis Naamani non reſpondiſſe, ſed tantum felicem reditum illi comprecatum fuiſſe. Verum Commentatores plerique opinantur, Naamanum, cum ſatis jam profeſſus fuiſſet, ſe nemini, niſi ſoli Iſraelitarum Deo cultum exhibiturum, ab Eliſæo poſtulaſſe, Eliſæum vero illi indulſiſſe, ut adhuc poſſet Regi ſuo exterio-

Quid ab Eliſæo Naaman pro Idolo Remmon poſtularit.

(*a*) 4. Reg. v. 18, 19. &c.

teriorem ſervitutem præſtare, ut antea conſueverat, cum eum comitaretur in Templum Remmon, ſeque cum illo Idolum adorante inclinaret, Regis brachium ſua manu ſuſtentaturus; minime vero aut Naamanum petiiſſe, aut Eliſæum indulſiſſe, ut Numen coleret, quod execrabatur. Verum non deſunt, qui prædicta verba ita reddenda cenſeant, quaſi ſcilicet Naaman interpoſitis Prophetæ precibus veniam a Domino poſtularet cultus antea Idolo impenſi, dum Regi inſerviret, non vero in poſterum ſpecie tenus impendendi (*a*).

Quid Idolum Remmon.

XV. Ad Numen Remmon quod ſpectat, eo nomine exprimitur, ſive *Malum punicum*, ſive *Id quod eſt elevatum*. Quare inter varias de eo Idolo opiniones, duæ præ ceteris retinendæ videntur. Prima vult, Remmon ipſiſſimam eſſe Venerem, quæ colebatur ſub imagine Numinis, cui poma ſpeciali religione offerrentur. Malum autem punicum Venus plurimum amabat ob pulchritudinem & fecunditatem. Altera opinio Solem præfert; nec immerito, nam elevat ſe ſe, & in reliqua Aſtra dominatur. Adad Syrorum erat Deus, teſte Macrobio (*b*). Adad autem *Unicum* ſignificat, vel *Solum*; quæ quidem Solem maxime decent. In deſerto Hebræi venerati ſunt Moloch, & Remphan (*c*). Remphan poſitum videtur tanquam ſynonimum Moloch, quod Solem deſignat. Porro Remmon & Remphan unum idemque fortaſſe erat Numen.

XVI.

(*a*) Bochart. Calm. Andreas Quenſtedt.

(*b*) Saturnal. l. I. c. 23.

(*c*) Act. VII. 43.

XVI. Ægre ferens Giezi Eliſæi famulus, quod dominus ſuus oblata a Naamano munera recuſaſſet, illum abeuntem inſequutus eſt, ac Prophetæ verbis duorum juvenum Prophetarum adventum cauſatus, talentum, geminaſque veſtes in illorum uſum poſtulavit. Ille omnibus conceſſis, ſimulque alterum talentum addens, bajulis ſuis impoſuit prope uſque urbem vehenda. Inclinante jam die, domum ſuam talentis receptis, & ad Naamanum famulis remiſſis, Giezi ſe tranſtulit ad Eliſæum; a quo interrogatus, quo abiiſſet, domo minime ſe egreſſum reſpondit. Tunc Propheta: Nonne ſpiritus meus præſens erat, quando Naaman argentum & veſtes tibi ſuppeditavit? Eme igitur fundos, oliveta, & vineas; ſcito tamen, lepram Naahami tibi adhæſuram, & nunquam a tua familia receſſuram. Statim autem lepra infectus Giezi egreſſus eſt ab Eliſæo albus ſicut nix.

Giezi avaritia punitur lepra.

XVII. Accidit etiam ut Prophetis ligna ad ripam Jordanis cædentibus, ferrum manubrio ſecuris cujuſdam ex illis non probe junctum, in profluentem deciderit. Eliſæus manubrium illud in manibus ſciſſoris negligens, aliud præcidit lignum, conjecitque in aquas Jordanis; vix autem tactis aquis ferrum ex imo fundo ſe ſe efferens innatavit, atque ligno ille ſe ultro inſeruit.

Ferrum aquis innatat.

Joſaphatus Regnum relinquit Joramo, qui Eliæ epiſtolas minarum plenas accipit. Eliſæus Benadadi inſidias detegit. Samaria obſidione & fame premitur, quibus malis prodigio liberatur. Benadadi interitus ab Eliſæo prædicitur.

CAP. X.

ANNO MUNDI 3115. ante Chriſtum 885. *Joſaphatus obiit. Quænam Joſaphati vallis.*

I. PIentiſſimus Rex Joſaphatus anno Regni ſui vigeſimo quinto, ætatis vero ſexageſimo obiit, & Hieroſolymis in Regum ſepulcro conditus eſt (*a*). Joel Propheta meminit vallis Joſaphat: *Congregabo omnes gentes in vallem Joſaphat* (*b*). Putat Abenezra, hanc vallem eam eſſe, ubi Joſaphat de Moabitis, Ammonitis, & Mæoniis victoriam retulit (*c*). Ea autem vallis jacet prope Mare Mortuum ultra deſertum Thecue. Alii inter mœnia Hieruſalem & Montem Oliveti ſtatuunt. Plures eo nomine locum illum vage intelligunt, in quo ultimum Dei Judicium fiet. Et quidem Joſaphat Hebraice *Judicium Dei* ſonat.

Joſaphatum Joram filius excipit, cujus impietas deſcribitur.

II. Joſaphato Joram filius ſucceſſit. Titulum tamen Regis & poteſtatem Joſaphatus communicaverat filio anno Regni ſui ſecundo & vigeſimo. Quin & ante id temporis, anno ſcilicet Regni ſui decimo ſexto Proregem ipſum conſtituiſſe, credimus. Varia hæc regnandi Epocha, varia Scripturarum loca, quæ de Jorami Regno loquuntur, conciliat (*d*). Cum Jora-

(*a*) 2. Par. XXI. 3. Reg. XXII. 51.
(*b*) Joel. III. 2.
(*c*) 2. Par. XX. 1. & 26.
(*d*) Calm. in 4. Reg. VIII. 16. Vide ſupra c. 8. n. 11.

Joramus in tuto ſibi locaſſet Regnum; ſex fratres ſuos, quibus Joſaphat munera, penſitationes, & civitates largitus fuerat, interfecit. Ab Athalia uxore ſua, filia Achabi, femina impietate, & crudelitate celeberrima, ad Idololatriam, & alia Regum Iſraelis flagitia adductus eſt. Quamvis autem noluerit Deus ingentium Davidis meritorum intuitu illum diſperdere; permiſit tamen, ut Idumæi qui ab ejuſdem Davidis tempore uſque huc Regibus Juda paruerant, deficerent. Irruit quidem in eos Joram, magnaque affecit ſtrage, ſed vel ſuorum militum inertia, vel ſua ipſius inſcitia, male uſus eſt victoria, cum certum ſit, tunc Idumæos Hebræorum jugum excuſſiſſe, ſibique Regem ſuffeciſſe (*a*); id quod olim Jacob prædixerat (*b*). Eodem tempore & Urbs Loba, quæ Judam contra Idumæos tuebatur, rebellavit.

Epiſtolæ Eliæ ad Joramum, quarum vaticiniũ in miſero Rege impletur.

III. Secundum hæc, octennio ſcilicet ex quo Elias translatus eſt, Prophetæ illius epiſtolæ Joramo redditæ ſunt, quibus impietate, fraternaque cæde exprobrata, filiis illius, uxoribuſque ac populo calamitates, illi vero ægritudo alvi, diruſque viſcerum dolor, quo interiora omnia depaſcerentur, denuntiabantur (*c*). Has literas quidam ſcriptas credunt ab ipſo Elia ex eo loco quo raptus eſt; alii ante translationem exaratas, atque Eliſæo relictas malunt; alii denique, per ſomnium eas Regem legiſſe, docent. Omnia evenere. Phi-

(*a*) 2. Reg. VIII. 14 & 4. Reg. VIII. 20.

(*b*) Gen. XXVII.

(*c*) 2. Par. XXI. 12.

liſthæi enim & Arabes in Judæam irrumpentes, regione & domo regia direpta, uxores & Regis filios, excepto tantum Joachaz, natu minore, abduxerunt. Joram vero alvi languore correptus, cum eo morbo biennio laboraſſet, tabe tandem confectus obiit, & nullis Regum honoribus ornatus, neque aromatibus conditus, extra Regum ſepulcrum tumulatus eſt. Octo annis regnaverat, triennio ſcilicet cum patre, & quinquennio ſolus. Anni totius vitæ quadraginta fuere. Succeſſorem habuit Joachaz, qui & nomen Ochoziæ ſortitus eſt (*a*).

ANNO MUNDI 3119. ante Chriſtum 881.

Joramo ſuccedit Joachaz.

Benadadi inſidias detegit Eliſæus, qui Regis illius copias cæcitate percuſſos Samariam deducit.

IV. Interea Benadad Rex Syriæ, facile ille qui & Achabum bellis laceſſiverat, & Naamano adeundi Eliſæi veniam dederat, Joramum Achabi filium cum per inſidias oppugnare moliretur, minime valuit, Eliſæo ipſius conſilia detegente. Quare proditorem aliquem inter ſuos ſuſpicatus eſt; ſed intelligens, ab Eliſæo omnia Regi Iſraelis aperiri, equos, & currus, validioreſque ſui exercitus copias miſit, quæ Dothaim, ubi Prophetam degere noverat, invadentes, ipſum ad ſe vinctum adducerent. Famulus Eliſæi hæc videns, animis continuo deſpondit; quem confirmaturus Magiſter, Deum rogavit, ut ipſius oculis pateret auxilium, quod ſibi partum erat. Tunc mons Dothaim, & aſſurgentes circum colles ſpeciem exhibuerunt oculis famuli, tanquam obſiti eſſent ingenti equorum, curruum, armatorumque igne fulgurantium numero, qui ad opem ferendam ſer-

(*a*) 2. Par. XXI. 17. & XXII. 1.

ſervo Dei præſto eſſent. Cum autem hoſtes ad Eliſæum acceſſiſſent, orante Propheta cæcitate Deus illos percuſſit; quibus Ducem ſe præbens Eliſæus eos Samariam uſque deduxit. Eo autem in preces verſo, aperientes oculos, ſe in medio Urbis hoſtilis conſtitutos viderunt. Tunc Rex Iſrael: Viſne, Pater, ut illos occidam? Cui Eliſæus: Tu illis quoque parcere conſueviſti, quos juſto bello cepiſti; cur ergo eos interficies, quos Deus manibus tuis tradidit? Moneo potius, ut cibo refectos ad propria remittas; quod Joramus actutum præſtitit.

V. Non diu poſt Benadadus Samariam obſedit; quo tempore fames & penuria eo uſque excreverunt, ut non modo caput Aſini octoginta argenteis, vel ſiclis, ſed & quarta cabi pars ſtercoris columbarum quinque argenteis venderetur. Aſinus velut impurus extra illud neceſſitatis tempus a cibis Hebræorum rejectus fuiſſet. Sed quorſum illud columbarum ſtercus? Sunt qui credant, uſum ejus revera ad cibum fuiſſe, alii ad ignem, alii ad ſaliendum, alii ad ſtercorandum. Quidam pro ſtercore ventrem & interiora columbarum intelligunt. Nonnulli tandem agnoſcunt hic quoddam leguminis genus, apud Arabes notum, & ad claſſem cicerum referendum (*a*).

Benadado Samariam obſidente, dira fames regnat. Quid columbarum ſtercus.

VI. Dum Joram muros obiret, cuidam mulieri ipſius opem poſtulanti: Perdat, ait, te Deus, infelix caput. Qui tibi ſalutem procurem? Pane, an vino? Nonne vides utrumque mi-

Mulier filii carnibus paſta.

(*a*) Calm. in 4. Reg. VI. 25.

mihi deeſſe? Tunc mulier, nihil ſe, reſpondit, ejuſmodi petere, ſed tantum habere litem cum amica quadam vicina, quacum pepigerat, ut quandoquidem nullus alius ſupereſſet cibus, jugulatis utriuſque infantibus unum atque alterum diem eo remedio ſe ſuſtentarent; ſe prius ſuum filium occidiſſe, quo heſterna die in communem alimoniam conſumpto, alteram illam mulierem a pacto diſcedere, & ſuum abſcondiſſe filium. Rex his auditis, ſcidit veſtes ſuas, per quas cilicium, quo erat indutus, omnibus patuit, ratuſque, Eliſæum omnium malorum cauſam eſſe, cum ſua oratione & arbitrio infortunia omnia avertere poſſet, miniſtros miſit, qui illum ſtatim interficerent. Eliſæus autem tunc domi commorans, amicis imperavit, ut occluſo oſtio apparitores aditu prohiberent; ſciebat enim, Regem mox ſuperventurum, & mortis ſententiam revocaturum, quam inconſulto nimis protulerat.

Juxta Eliſæi vaticinium Samariæ obſidio ſolvitur.

VII. Revera ipſe Rex ſuperveniens, graves coram Propheta querelas de urbis calamitatibus inſtituit; cui Eliſæus futurum aſſeruit, ut poſtera die eadem ipſa hora ante fores Samariæ modius farinæ ac duplum hordei ſiclo venderetur. Cum ea res cuidam ex Ducibus, neque ſi e Cælo commeatibus plueret, credibilis videretur: Tu, ait Eliſæus, cernes, non tamen frueris. Quatuor interim leproſi extra urbem de more degentes, noctu ad Syrorum caſtra profecti, ut cibi aliquid ſibi quærerent, neminem invenere. Excitato enim a Domino in medio caſtrorum ingenti curruum, equorum,

rum,

rum, copiarumque ſtrepitu, putarant hoſtes, Judæos, Ægyptioſque ſuppetias tuliſſe Iſraelitis, unaque cum illis ſe ſe in adverſarios effudiſſe; quare timore correpti fugam omnes arripuere. Illi igitur leproſi hoſtium ſpoliis onuſti ad urbem venientes, rem excubiis prodidere. Joram hoc de Syrorum induſtria factum cenſuit, quaſi fugam ſimulaſſent, ut Iſraelitas ex urbe in caſtra egreſſos interficerent. Sed equitum quidam illuc exploratum miſſi, oculis audita comprobarunt. Urbe igitur populo egreſſo, direptiſque ditiſſimis hoſtium caſtris, frumentum & hordeum in foribus Samariæ, juxta Eliſæi vaticinium, minimi venditum eſt. Incredulus vero ille Dux, a Joram urbis foribus præfectus, iiſdem in foribus a confertiſſima turba protritus eſt.

Mulier Sunamitis ob Eliſæi merita res ſuas recuperat.

VIII. Eliſæus monuerat feminam illam cujus filium in Sunam ſuſcitaverat, ut domo relicta alio cum ſua familia peregrinaretur, ſeptennalem famem, quam a Domino decretam ſciebat, declinatura (*a*). Elapſo autem eo temporis ſpatio, dum Joram a Giezi prodigiorum Eliſæi hiſtoriam audiret, femina illa ſuperveniens petivit a Rege, ut prædia ſua, quæ tempore ſuæ peregrinationis inter Philiſthæos, Fiſcus, aut cognati ſui invaſerant, ſibi reſtituerentur. Notum feminæ & filii vultum Giezi agnoſcens, admonuit Joramum, ipſiſſimam eſſe, cujus filium precibus Eliſæi ad vitam revocatum narrabat. Interrogata mulier a Rege, ut rem ab exordio exponeret, de omni-

(*a*) 4. Reg. VIII.

omnibus illum certiorem fecit; quare Joram cuidam ex ſuis miniſtris juſſit, ut illi non fundos modo, ſed & fructus omnes tempore illius abſentiæ perceptos, reſtituendos curaret.

Anno Mundi 3120. ante Christum 880. *Eliſæus mortem Benadadi prædicit, quem excipit Hazael.*

IX. Circa idem tempus, cum Benadad Rex Syriæ Rex Damaſci æger decumberet, Eliſæum in regionem ſuam veniſſe intelligens, Hazaelem ad Prophetam cum quadraginta camelis, muneribus onuſtis, miſit, ut ab ipſo diſceret, an a morbo eſſet evaſurus. Hazaeli igitur imperavit Propheta, ut diceret Regi: *Sanaberis: porro oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Gemina horum verborum obtinet expoſitio. Prima: morbo quidem laborat non letifero; novi tamen violenta morte interiturum. Altera: denuntia illi per me quidem valetudinem, (Aulicorum morem ſecutus, qui non niſi proſpera prædicant;) certo tamen morietur. Hæc loquens Propheta, converſo in luctum ore, lacrymas ſimul fundebat. Cauſam hujus luctus ſciſcitanti Hazaeli Eliſæus verſari, ait, ob oculos mala, quæ Iſraelitis imminebant, arcium nempe combuſtionem, adoleſcentium cædem, parvulos proculcatos, & feminarum fetarum ventres diſſectos. Hazaeli ad hæc ſtupenti addidit Propheta, futurum ut ipſemet in Syria regnaret. Non deſunt, qui credant, Eliſæum regia unctione Hazaelem initiaſſe, eaque impleſſe quæ diu ante imperata fuerant Eliæ, quæque Propheta ille per ſe implere nequiverat (*a*).

Re-

(*a*) 3. Reg. xix. 15.

Regreſſus poſt hæc ad Benadadum Hazael, valetudinem quidem illi nuntiavit; ſed mane alterius diei, madenti panno ejus ori applicato, ſpiritum præcluſit, ſeque Syriæ Regem conſtituit (*a*).

X. Contra Hazaelem non diu poſt arma movit Joram Rex Iſraelis, cui Ochozias Rex Juda illius amicus & conſanguineus comitem & adjutorem ſe dedit, auxiliares copias ducens. Cauſa belli erat Ramoth Galaad, quam Regibus Iſraelis eripuerant Reges Syriæ, quamque Achabus pater Jorami tentaverat, infauſto tamen eventu. Joram igitur eam urbem aggreſſus expugnavit; ſed in aggreſſione vulnere graviter affectus, Jehu filio Joſaphati, & nepoti Namſi, copiarum duci, Arcis adhuc obſiſtentis expugnatione commiſſa, ut curaretur, reverſus eſt in Jezraelem, quo & Ochozias venit, ægrotantem inviſurus. *Joram in expugnatione Ramoth vulnere afficitur.*

Jehu Rex conſecratur, qui Achabi domum delet, & Baalis cultores occidit. Hujus Regis cum Hazaele bellum. Rechabitarum mores. Athalia Regnum Juda invadit; qua ſublata Joas ad Sceptrum vocatur. Poſt Jehu regnat Joachaz.

C A P. XI.

ANNO MUNDI 3120. ante Chriſtum 880.

I. ELiſæus juxta Domini præceptum, Eliæ olim factum (*b*), in Ramoth Galaad unum ex prophetarum filiis deſtinavit, qui Jehu *Jehu in Regem Iſraelis inungitur.*

(*a*) 4. Reg. VIII. (*b*) 3. Reg. XIX. 16.

Jehu in Regem Iſraelis conſecraret. Propheta igitur ille Jehu cum aliis Ducibus colloquentem nactus, ſeorſim in ſecretum locum accivit, nullaque interpoſita mora oleo in vertice inunxit, mandans ſimul, ut quandoquidem a Domino Rex Iſraelis conſtitutus eſſet, minas ab ipſo in Achabi domum, & Jezabelem factas exequeretur. His dictis Propheta raptim abiit, ne agnoſceretur (*a*). Jehu vero ad Duces regreſſus, ab illis etiam atque etiam rogatus, quid ab homine illo inſano, uti quidem ipſi dicebant, audiſſet, tandem rem omnem prodidit. Illi ad hæc continuo aſſurgentes, & ex ſuis ſingulorum palliis tumultuario opere throno inſtructo, concrepantibus buccinis, Jehu in Regem ſalutarunt.

Joramus occiditur a Jehu.

II. Dum Jehu militibus ſtipatus in Jezraehelem properaret, Iſraelis Regem oppreſſurus, Joram rei omnis ignarus, renuntiato ſibi a ſpeculatore, quod militum manus ad urbem accederet, exploraturus, quid id eſſet, cum bellico curru Ducem miſit. Ille obviam factus Jehu, & quid vellet percontatus, nullum aliud reſponſum accepit, quam ut exercitum ſequeretur. Eadem arte & alios duos a Joramo miſſos detinuit. Tandem ipſe Joram, unaque Ochozias Rex Juda, ſinguli ſuo curru vecti venerunt; atque Jehu in campo Naboth Jezrahelitæ offendentes, ſuſpicati ſunt, ipſum cum exercitu tumultuario ſe ſe recepiſſe e Ramoth, quod ſiniſtri aliquid accidiſſet. Quare Joramus ad illum: Rectene, inquit, procedunt omnia?

(*a*) 4. Reg. IX. 2. Par. XXII.

omnia? Cui Jehu: Quomodo recte poſſunt procedere, cum tam multa vigeant ſcelera, & veneficia matris tuæ Jezabelis? His auditis, Joramus proditionem intelligens, in fugam cum Ochozia ſe actutum vertit. Verum Jehu confeſtim emiſſa in eum ſagitta, fugientis terga transfigens, in ipſo curru illum exanimavit. Hic finis Joram, poſtquam duodecim annos regnaſſet. Defuncti vero cadaver juſſu Jehu, implendæ Eliæ prophetiæ ergo (*a*), Badacer dux in campo Naboth projecit.

III. Ochoziam quoque interficiendum cenſuit Jehu, quod natus eſſet ex Athalia filia Jezabelis. Cum igitur Ochozias mortuum vidiſſet Joramum, fugæ ſe dedit; at milites Jehu juſſionibus parentes, in aſcenſu Gaver illum vulneravere. Proripuit ſe tamen in Mageddo; ſed minus ſe ibi tutum intelligens, clam ſe transferri Samariam curavit. Nequidquam tamen, nam quæſitum ibi inventumque Jehu reducendum mandavit in Mageddo, ubi & miſerum interfecit (*b*). Cujus corpus permittente Jehu ob piam Joſaphati patris memoriam, ſervi currui imponentes, tranſtulerunt Jeroſolymam, & in patrum illius ſepulcro condiderunt. Peſſima Achabi veſtigia impellente Athalia illius filia, quam matrem habuit, relegit Ochozias. Annum ſecundum ſupra vigeſimum agebat, cum Regnum aſſumpſit, & unico anno imperavit. Paralipomena habent, Ochoziam duos & quadraginta annos egiſ-

Ochozias quoque interficitur.

(*a*) 3. Reg. xxi. 18. 9. cum 4. Reg. ix. 27.
(*b*) Confer 2. Par. xxii.

egiſſe, cum Regnum inivit (*a*). Sed hoc qui fieri poteſt, ſi pater ejus Joram quadraginta annorum ætate deceſſit (*b*)? An patre ſuo ſenior fuerit filius? In Paralipomenon textum mendum numerale irrepſiſſe, putant non pauci (*c*).

Jehu Jezabelem occidit.

IV. Poſt Jorami & Ochoziæ necem Jehu in Jezrahelem iter direxit; quod cum audiſſet Jezabel Regina, excitando ſui vel amorem, vel obſequium in novo Rege, nedum caput egregie ornavit, ſed & oculos ſtibio pingens, nigriores amplioreſque, atque adeo pulchriores ut apparerent, curavit; ſicque compta e feneſtra domus regiæ, Urbis portæ imminenti, ingredientem Jehu intuita, elata voce exclamavit, novo Zamri, qui dominum ſuum occidiſſet, felicitatem eſſe non poſſe. Hæc audiens Jehu, ex curru ſuo oculos in altum levavit, præſenteſque interrogavit, quænam eſſet femina illa? utque intellexit, Jezabelem eſſe, quæſivit ſtatim, an ſuarum partium quiſpiam illic adeſſet? Offerentibus ſe ſe actutum duobus Reginæ famulis præcepit, ut mulierem e feneſtra præcipitem agerent. Illis obſequentibus, Jezabel cecidit in clauſtrum antemuralis, ubi confractam pedibuſque æquorum protritam canes vorarunt. Interim Jehu ad convivium ingreſſus, domeſticis ſuis præcepit ut irent, atque feminæ, quantumvis miſeræ, & ſceleſtæ, Reginæ tamen, cadaver ſepeli-

(*a*) Vide 2. Par. XXII. 2. & 4. Reg. VIII. 26.

(*b*) 2. Par. XXI. 20.

(*c*) Cajet. Torniel. Salian. Grot. Uſſer. Calm. in 4. Reg. VIII. 26.

pelirent. Quibus cadaver requirentibus nihil aliud occurrit, quam cranium, atque manuum pedumque extremitates. Quod cum Jehu renuntiaretur, Eliæ oraculum impletum eſſe dixit, quo carnes Jezabelis canibus vorandas, ac veluti ſtercus in agrum projiciendas pronuntiavit; adeo ut prætereuntes dicturi eſſent: *Hæccine eſt illa Jezabel?*

V. Secundum hæc, Jehu Samaritas per epiſtolas captioſas ſane, & inſultantes monuit, ut inter ſeptuaginta Achabi filios, quos apud ſe educabant, eum ſeligerent, quem in ſedem patris a ſe collocatum armis tuerentur (*a*). Illi artificium ſubodorati reſponderunt, ſe non alterius, quam Jehu imperata facturos. Nec vana polliciti ſunt; quippe jubente Jehu omnes illico Achabi filios obtruncarunt; abſciſſaque capita ad illum in cophinis tranſmiſere. Cumulatis autem capitibus illis in duos acervos ante portæ urbis introitum, ita populum allocutus eſt Jehu: Me quidem conſpiraſſe fateor in Regem, atque in illum manus injeciſſe; ſed quam facinus meum obtinuit approbationem virorum totius gentis Principum, qui eodem atque ego conſilio Achabi filios necarunt; & felix tanti moliminis exitus, argumenta ſunt apertiſſima, Deo auctore hæc contigiſſe, atque in rebus hiſce omnibus Numinis voluntatem, Eliæ quondam revelatam, impleri. Jehu deinde univerſam Achabi cognationem, Amicos, Aulicos, Sacerdotes delevit.

Septuaginta Achabi filii necantur.

VI.

(*a*) 4. Reg. x.

Ochoziæ cognati neci traduntur; quo infortunio & omnes Baalis Sacerdotes involvuntur.

VI. Jezrahele deinde Samariam ivit; quo in itinere occurrens duobus & quadraginta cognatis Ochoziæ Regis Juda, Jezrahelem euntibus, ut filios Achabi, quos incolumes adhuc ſupereſſe putabant, ſalutarent, comprehendi omnes, atque occidi juſſit. Paululum procedens Jonadabum, filium Rechabi, obviam habuit, quem compellans: Sinceramne tu mihi, ait, ut ego tibi, amicitiam profiteris? Affirmantem ſecum in currum aſſumens, Samariam duxit, ut ſui in Deum zeli teſtem haberet. Urbem ingreſſus continuo reliquos omnes e domo Achabi delendos curavit. Deinde cœtu Samaritarum coacto ſignificavit, velle ſe Numini Baalis divinos honores, & quidem majores, quam Achabus, impendere; edicere proinde, ut omnes Idoli Sacerdotes, Miniſtri, & Prophetæ ad ſolemnitatem, quam ipſe erat celebraturus, evocarentur. Cum omnes in Templum Baalis conveniſſent, jubente Rege ſinguli veſtibus ſuperſtitioſis cæremoniis deſtinatis donati ſunt. Tum nihil tale cogitantes immiſſis militibus omnes ad unum trucidavit. Cæde peracta ſimulacrum Baalis everſum eſt, & igne conſumptum, deletumque Templum, cujus area purgamentis corporis excipiendis deſtinata eſt.

Religio, & zelus Jehu crimine non vacant.

VII. Cladem hanc, ſicut & ultionem, quam de univerſa Achabi familia expetiverat Jehu, Deus adeo probavit, ut Regnum illi, & poſteris ejus uſque ad quartam generationem, hoc eſt uſque ad nepotum filios, ſe aſſerturum promiſerit. Verum Jehu in eo repre-

pre-

prehenditur, quod a cultu Vitulorum aureorum, quos Jeroboamus conſecraverat, nec ſe, nec populum retraxerit. Alia quoque in eo recte improbantur. An Jehu a crimine defectionis in Regem ſuum excuſetur? an a cæde Ochoziæ Regis Juda, ejuſque cognatorum? An a mendacio, quo Baalis cultores decepit? Nonne in ipſa ultionis Domini ſuper Achabi domum proſecutione privatas ſimultates, & quamdam ſævitiæ & ambitionis indolem ſecutus eſt? Hinc Deus per Oſeam minitatus eſt: *Adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Jezrahel ſuper domum Jehu* (*a*).

Hazael partem Regni Jehu invadit.

VIII. Nec diu poſt criminis pœnas luere cœpit Jehu, nam Hazael Rex Syriæ ditionem transjordanicam ingreſſus, Galaaditidem, totamque late regionem Ruben, Gad, & Manaſſe, ab Aroer uſque ad Baſanitidem vaſtavit. Tempus hujus expeditionis incertum quidem eſt, ſed nos conjectura ducti ad tempus ſolutæ obſidionis Ramoth Galaad revocamus. Facile enim Hazael, cum audiviſſet, Jehu ex Ramoth in Samariam exercitum duxiſſe, abſentiæ illius occaſione invitatus, Regni illius partem trans Jordanem invaſit, triſtia Eliæ, & Eliſæi in Regnum Iſraelis vaticinia impleturus.

Rechabitarum origo & mores.

IX. Jonadab, quem Jehu ſecum in curru Samariam duxit, patrem habuit Recab, celeberrimum Rechabitarum Inſtitutorem. Quidam eum e Tribu Juda accerſunt; alii Sacerdotem, vel ſaltem Levitam faciunt; ſed Rechabitas ori-

(*a*) Oſee 1. 4.

origine Cinæos fuiſſe, ex primo Paralipomenon Libro docemur. *Hi ſunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab* (*a*). Hebræus habet: *Hi ſunt qui vocantur Cinæi, qui venerunt de Chamath patre Rechabitarum*; ut Calor, ſive Chamath unus idemque ſit, quem Cinæi, ſive Rechabitæ inter proavos maxime numerabant. Porro Cinæi non ex Jacob, ſed ex Madian, filio Chus, genus referebant. Hobab enim, ſive Jethro, Moyſis Socer, Sacerdos erat Madian, & Cinæus (*b*). Una cum Hebræis in Canaanitidem venerunt. A ceteris autem maxime agreſtis vitæ genere, atque urbium & ſtructarum ædium contemptu diſtinguebantur, montes inacceſſos, & cavernas incolentes. Hinc eorum Auctor *Cin* dictus eſt, quod nidum ſive cavernam ſonat.

Mira P. Balducci de Rechabitis opinio.

X. Miram prorſus hypotheſim Pater Balduccius excogitavit. Rechabitarum originem ante Diluvium in Enos ſcrutatus, inde continuata ſucceſſione poſt Diluvium propagatos ſub Cynæorum, Cinezæorum, Hebræorum, Nazaræorum, Filiorum Prophetarum, ac tandem Rechabitarum, & Phariſæorum nomine agnoſcit. Viros autem illos omnes Monachorum more Religioſam ſimul vitam egiſſe, ſuis ſive omnium, ſive ſingulorum cœtuum Præfectis conſtitutis, juxta Religioſorum Eccleſiæ Latinæ diſciplinam. Unde vero nomen *Rechab*? Eliſæus, reſpondet Auctor, Eliam alta tenere conſpicatus, ad illum clamavit: *Pater mi, pater*

(*a*) 1. Par. 11. 55. (*b*) Judic. 1. 16.

ter mi, currus Iſrael (*a*). Hebræus legit; *Rechab Iſrael*. Inde Rechabitarum nomen in diſcipulos Eliæ, & Eliſæi derivatum. Neque hæc illi ſatis. Qui enim Rechabitas e curru Eliæ, Phariſæos ex illius equis deducit. *Pharaſim* enim hebraice ſunt equi. Seriam confutationem hæc non merentur (*b*).

Quid de Rechabitis tenendum.

XI. Illud autem docente Scriptura certum ſcimus, Jonadab filium Rechab florentem, aſſeclis ſuis lege prohibuiſſe, ne quid umquam vini deguſtarent, neve ædes conſtruerent, ſererent triticum, vineaſque colerent; ab omnibus etiam agrorum poſſeſſionibus illos removiſſe, vitamque ſub tentoriis injunxiſſe (*c*). Hæ Rechabitarum leges; quæ nihil ad ceteros Cinæos, & poſteros Jethro ſpectabant. Cum autem Urbs Hieruſalem obſidione a Nabuchodonoſore premeretur, Rechabitæ relictis agris, in urbem ſe receperunt, quos tamen facile commune Captivitatis fatum obvolvit, poſt everſam Hieruſalem a Chaldæis, cum Pſalmus ſeptuageſimus hoc titulo inſcriptus ſit: *Filiorum Jonadab, & primorum captivorum*. E Captivitate reduces, in Urbe Jabes transjordanica ſedes habuere (*d*). Nullibi poſt hæc de Rechabitis mentio in Scriptura. Sunt tamen qui Rechabitas cum Aſſidæis, & Eſſeniis confundant. Verum rationem vitæ inſtituendæ longe aliam Aſſidæis, Eſſeniiſque, ac Re-

(*a*) 4. Reg. II. 12.
(*b*) Jacob. Boulduc. de Eccl. ante Legem l.3.c.16.
(*c*) Jerem. XXXV. 6.
(*d*) I. Par. II. 55.

Rechabitis fuiſſe conſtat. Sed ad Hiſtoriæ ſeriem redeundum.

ANNO MUNDI 3120. anteChriſtum 880.

Athalia Regnum Juda uſurpat, & Joas communi filiorũ Ochoziæ neci ſubducitur.

XII. Athalia Achabi filia extinctum videns Regem Ochoziam filium ſuum ac pleroſque Regis neceſſarios, cum ope & patrocinio ſuo nepotes ſuos juvare deberet, reliquos e ſtirpe regia delere curavit, ut omnibus ſublatis ipſa vacuum Juda Regnum occuparet (*a*). Verum Joſaba filia Regis Jorami, & ſoror Regis Ochoziæ, ex altera tamen matre, ut vero propius eſt; qua enim ratione alioquin conſiliis Athaliæ matris ſuæ ſe ſe oppoſuiſſet? Joſaba, inquam, callide ſubduxit Joas infantem anno minorem, dum ceteri Ochoziæ filii neci traderentur, ſubductumque celavit una cum ejus nutrice, primo domi ſuæ, tum in quodam Templi conclavi: quod illi percommodum fuit, cum Joſaba ſummum Sacerdotem Jojadam virum haberet. Neque eſt, cur miremur, ſi in re plane nova & ſingulari ſoluta fuerit lex, aut mos, qui forte tunc vigebat, prohibens, ne in Templi ædibus feminæ cubarent.

ANNO MUNDI 3126. anteChriſtum 874.

Joas curante Jojada Rex ſalutatur.

XIII. Poſt ſexennium, quo temporis ſpatio Athalia pacifice regnavit, Jojada ſummus Sacerdos quinque Centurionibus ſacramento adactis conſilium ſuum aperuit Regni ad legitimum heredem Joas Ochoziæ filium revocandi. Quo autem arduum molimen expleret, eoſdem clam miſit undique per regionem, ut Sacerdotes omnes, Levitas, & Optimates Regni Hieroſolymam accirent ad certam Sabbati diem, qua populus frequentior

(*c*) 4. Reg. XI. & 2. Par. XXII. & XXIII.

tior ad Templum accedere ſolebat, ne inſolitus concurſus aliquid ſiniſtri ſuſpicandi anſam Athaliæ præberet. Cum veniſſent, Jojada omnes convocavit in Templum, obſtrictiſque jurejurando, ne rem proderent, produxit puerum Joas, fidem ab omnibus exigens, collaturos operam ſuam, ut Joas in avitum ſolium reſtituerent. Sacri Miniſtri munus ſuum Sabbato inibant, eodemque tempore vicem ſuam claudebant, qui præcedente hebdomada Templo inſerviiſſent. Miniſterium igitur ineuntes Jojada trifariam dividens, partem conſtituit in excubiis conclavis, ubi Joas agebat; alios locavit ad portam *Sur*, ſeu *Fundamenti*, cujus ſitum neſcimus; reliquos vero ad portam occidentalem, e regiis Ædibus in Templum deducentem, poſuit. Miniſterium vero abſolventes bifariam diviſit, eiſque cuſtodiam corporis Regis commiſit, præcipiens, ut ſi quis ingredi vi, & turbare ordinem tentaret, ſtatim occideretur. Ex Armamentario autem, quod David olim conſtituerat, ac Domino conſecraverat, arma omnibus ſuffecit. His ita diſpoſitis, Jojada e conclavi puerum Joas produxit ad medium Atrii Sacerdotum, a dextris & ſiniſtris militibus ſtipatum, impoſitoque ſuper caput illius diademate, Legiſque volumine, regia unctione initiavit. Moris utique non videtur fuiſſe, ut Reges omnes Juda unctione conſecrarentur; id tantum ſervabatur, quoties difficultatis aliquid ineſſet, ſive in electione, ſive in poſſeſſione Regni, uti tunc contigebat, Athalia Regnum occupante. Conſcendit deinde

de Rex Tribunal, quod in Atrio Sacerdotum ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus Salomon erexerat, ſacris Miniſtris interim tubas inflantibus, muſiciſque inſtrumentis ludentibus, ac univerſo populo inclamante: Vivat Rex.

Athalia trucidatur. Jojadæ ſedulitas pro Regno, & Religione.

XIV. Athalia populi clamore excitata ad Templum cucurrit, novumque Regem in Solio intuita, diſruptis veſtibus, proditionem clamavit. Sed continuo Jojada innuit militibus, ut eam e Templo raptam occiderent, & ſi quis illam ſequeretur, pariter trucidarent. E Templo igitur uſque ad portam Equorum prope Palatium abſtracta ibidem neci tradita eſt. Regem deinde Jojada adegit, ut inviolabilem fidem Deo ſponderet, obſtringeretque ſe populo ad tectas ſartaſque ſervandas leges, conſuetudineſque Regni. Viciſſim autem obtrinxit populi Optimates, ut nomine totius Reipublicæ integram Deo, Regique obedientiam pollicerentur. Joas poſt hæc ex Templo in Aulam delatus in patris avorumque throno ſedit. His ita geſtis, ad fanum Baalis, quem Athalia maxime colebat, currens populus Idolum contrivit, ejuſque Sacerdotem Mathan ante ipſam Baalis aram interemit. Septennis erat Joas, cum Regnum capeſſivit, quod deinde annis quadraginta adminiſtravit (*a*). Rex cum adoleviſſet, Jojada nuptias conciliante geminas duxit uxores, ex quibus filios, puellaſque ſuſcepit. Eo regnante nihil antiquius habuit Jojada, quam ut veterem diſciplinam pro cultu Dei in Templo exercendo,

(*a*) 4. Reg. XII. 2. Par. XXIV.

do, a Davide & Salomone juxta Moyſis Legem firmatam, & ſub ſucceſſoribus Religioni parum ſtudentibus collapſam, in priſtinum ſplendorem reſtitueret.

XV. Anno Regni ſui vigeſimo Joas reparatione indigere Templum intelligens, ſeponi in eam rem juſſit pecuniam, quæ Templo ex Lege Moyſis debebatur (*a*); quæque ex voto, ſeu ſponte offerebatur; idque muneris Sacerdotibus & Levitis commiſſum fuit. Cum autem ii operi manus numquam admoviſſent, quod pecunias in ſumptus inanes, vel in uſus ſuos erogarent, ſive quod viderent, idcirco proventus ſibi imminui, Rex poſt tres annos, accitis Jojadæ & aliis Sacerdotibus negligentiam exprobravit, novaque lege ſtatuit, ne pecuniam illam amplius colligerent, neve ſibi de Templi reparatione curam deinceps vindicarent; quin & juſſit, ut exactæ ad id uſque temporis pecuniæ rationem redderent. Illis tamen permiſit, ut e regione Altaris præ Templi foribus Arcam colligendis pecuniis conſtituerent, cuſtodirentque diligenter, ne quid fraudis committeretur. Cum Arca impleta dignoſcebatur, coram Regis Scriba & ſummo Sacerdote aperiebantur, illiſque diſtribuebatur pecunia, qui Templi operibus præerant; a quibus nulla poſtea exigebatur expenſarum ratio, quod viri integræ fidei reputarentur. Cum autem prohibuiſſet Rex, ne collectæ pecuniæ in alium uſum diſſiparentur, quam ad ſarta

ANNO MUNDI 3147. ante Chriſtum 853.

Joas Templi reparationi ſtudet.

(*a*) Exod. xxx. 13. xxvii. 2. Matth. xvii. 24. Levit.

tecta Templi, non prius admota eſt manus conflandis ex illis Altaris vaſis, quam hujuſmodi Templi reparatio abſoluta fuiſſet. Porro oblationes, ſeu illarum pretium, quod pro peccato, & delicto erat indictum, hæc omnia ex Legis ſanctione ita cedebant Sacerdotibus, ut ad uſus Templi nullo modo devolverentur (*a*). Quare de his nihil Rex diſpoſuit.

ANNO MUNDI 3148. ante Chriſtum 852. *Jehu ſuccedit Joachaz. Obit Jojada. Zaccharias occiditur.*

XVI. Jehu Rex Iſraelis, poſtquam regnaſſet annis viginti & octo, obiit, Regnumque reliquit filio ſuo Joachaz, quo imperante Religio deteriori loco jacuit. Exceſſit e vivis etiam Jojada ſummus Sacerdos anno vitæ ſuæ 130. Mundi vero incerto, qui Regum Juda ſepulcro, ob collata in Joas beneficia, tumulatus eſt. Donec ipſe inter vivos egit, Templo cultus integer, & Regno felicitas manſit, quod Regem ſuis conſiliis morigerum haberet. Excelſa tamen ne tum quidem ablata fuerunt. Sublato Jojada, ſuis Joas adhæſit aſſentatoribus, qui Templi cultu neglecto, Idolis & Lucis, ſeu verius Aſtarthi Lucorum Numini, adolebant. Quare Dominus plurima Hieroſolymæ, & regioni mala per Zachariam Pontificem, Jojadæ filium, prædixit. Sed vir ſanctus ab audientibus, Regis juſſu, in ipſo Templi Atrio, quo dicendo proceſſerat, lapidibus obrutus, divinam in illos eo de facinore ultionem denuntians, dum moreretur: *Videat*, ait, *Dominus, & inquirat*.

XVII.

(*a*) 4. Reg. XII. 16. Toſtat. Grot. Jun.

XVII. Vana minitatum non fuiſſe Zachariam eventus comprobavit (*a*). Brevi enim Hazael Syriæ Rex, obſidione capta Geth, contra Hieroſolymam movit; a cujus impetu ut ſe ſuoſque Joas vindicaret, quidquid Ochozias pater, Joram avus, proavuſque Joſaphat ac ipſemet in Templo dedicaverat, quidquid etiam in regio theſauro condiderat, Hazaeli erogavit, vel potius erogare ſpopondit, ſed minime reddidit. Hinc poſt annum Syrorum exercitus in Judæam reverſus eſt, & quamvis modicus eſſet, regionem tamen populatus, ingentique Joas exercitu deleto, Hieroſolymam invaſit, Judæque Principibus interfectis, opimam Syriæ Regi prædam Damaſcum tranſtulit. Joas autem pudore affectum, quod promiſſis non ſtetiſſet, increparunt hoſtes, maximiſque affecerunt calamitatibus; quem Joſachar, & Jozabad ipſius ſervi, Zachariæ cædem ulturi, tandem in lectulo ſuo occidere, occiſumque in Civitate quidem David, minime vero in Regum ſepulcrum intulerunt. Suppetunt alia quædam exempla perſimilis ſepulturæ, Regibus Juda a populo decretæ (*b*). Juris genus erat quoddam, & licentiæ, quam ſibi populus in Principes poſt eorum obitum ſervaverat, ut privaret illos avitæ ſepulturæ honore; quod probriſſimum erat, ſi quid aliud maxime; ut ſcilicet ejus pœnæ metus Principes contineret in officio, ne ſuprema auctoritate abuterentur. Poſt Joas regnavit Amaſias ejus filius.

Anno Mundi 3165. ante Chriſtum 835.

Joas a ſervis necatur eique ſuccedit Amaſias.

XVIII.

(*a*) 4. Reg. XII. 17. & 2. Par. XXIV. 23.

(*b*) 1. Par. XXVIII. 27.

Joachaz moriens ſucceſſorē habet Joas.

XVIII. Eodem fere tempore Joacház Iſraelis Rex mortem & ipſe oppetiit, poſtquam decem & ſeptem annis rebus præfuiſſet. Multis ſceleribus divino conſpectui ſe ſe exhibuit inquinatum, peſſima Jeroboami veſtigia ſectatus (*a*). Quin ſub illius Regno rediit iterum Samariam cultus infamis Aſtarthes, quem olim Jehu expulerat. Quamobrem furor Domini in Iſraelem exarſit, ac toto illius Regni ſpatio arbitrio Hazaelis, & Benadadi, Hazaelis filii permiſit, adeo ut Regi Joachaz ex omnibus ſuis copiis quinquaginta tantum equites, decem currus, & decem millia peditum ſuperfuerint. Rex enim Syriæ plauſtra ferrea induxit ſuper Galaaditas, ceteroſque Iſraelitas non ſecus contudit, ac humum areæ ad trituram (*b*). Joachaz tot ærumnis oppreſſus ſupplex ante Dominum procubuit; Dominus autem calamitatibus Iſraelis commotus, ad eum Salvatorem miſit, qui populum e Syriæ Regum jugo liberaret (*c*). Salvatorem vero hunc non alium credimus, quam Joas, ipſius filium, qui ad regimen admotus eſt a patre ſuo, biennio antequam moreretur. Is enim tandem coegit Benadadum Regem Syriæ, occupatas urbes reſtituere. Verum hæc a filio præclare geſta Joachaz non vidit, cum poſt illius obitum contigerint. Sunt tamen, qui cenſeant, Salvatorem illum Jeroboamum II. fuiſſe, vel Angelum cælitus miſſum, vel Eliſæum Prophetam.

Ama-

(*a*) 4. Reg. XIII. 1.
(*b*) Amos 1. 3.
(*c*) 4. Reg. XIII. 5. & 22.

Amaſias regnat in Juda, Joas vero in Iſraele, quibus imperantibus obit Eliſæus. Jeroboamus II. Zacharias, Sellum, Manehen, Phacejas, Iſraelis Reges. Azarias, ſive Ozias Rex Juda. Olympiadum exordium.

C A P. XII.

Anno Mundi 3165. ante Chriſtum 835.

Exordia Regni Amaſiæ pietate florent.

I. UT ſe in Regno Juda confirmatum vidit Amaſias, patris ſui Joas interfectores occidit. Noluit tamen ad illorum filios pœnam prorogare, memor Legis Moſaicæ, qua cavetur, ne parentum crimina inſontes filii luant (*a*). Et quidem Regni primordia ea pietate ornavit, ut nihil illi tunc vitio vertendum fuerit, niſi hoc tantum, quod Excelſa non obſtulerit. Vigintiquinque annos natus Regnum cepit, & vigintinovem annis illud retinuit.

Eliſæus Regi Joas victoriam de Syris prædicit.

II. Joas autem Rex Iſraelis pravum Jeroboami exemplum imitatus eſt. Sub Regni ſui primordia lethali morbo Eliſæum correptum Joas inviſit, ejulanſque querebatur, Iſraelem poſt illius obitum futurum ceu Ducem ſine curru, & currum ſine auriga (*b*). His commotus Propheta arcum afferri poſtulat, eumque Regem jubet intendere. Cum Joas paruiſſet, Eliſæus manus ſuas manibus Regis imponens, per feneſtram orientalem, contra Syrorum regionem, ut ſagittam emitteret, præcepit. Mo-

(*a*) 2. Par. xxv. 4. Reg. xiv. Deut. xxiv. 16.

(*b*) 4. Reg. xiii. 14.

Morem gerenti: Scias, ait Propheta, hoc jaculo portendi victoriam, de Syris prope Aphec Dei ope a te referendam. Volo idcirco, ut terram hoſtilem ferire perſeveres. Iterum iterumque Rex ſagittas emiſit; ſed cum poſt tertium ictum deſtitiſſet, indignatus Eliſæus: Si quinquies, ait, aut ſexies, ſive ſepties, terram confodiſſes, Syriam omnino deleviſſes; nunc autem tribus tantum victoriis illam franges.

Eliſæus obiit cujus cadaveris contactu mortuus in vitam revocatur.

III. Poſt hæc Eliſæus diem clauſit. Anno autem illius emortuali quidam Moabitæ ab excurſionibus in ditionem Iſraelis reduces inciderunt in quamdam Iſraelitarum pompam funebrem; conterritique portitores projecto cadavere in Eliſæi ſepulcrum fugam arripuere. Vix autem ſacris Prophetæ lypſanis attactis frigidum corpus vitæ igniculos concepit, ſtatimque in pedes ſurrexit. Cujus prodigii occaſione Eliſæum hoc elogio Auctor Eccleſiaſtici proſequitur: *Mortuum prophetavit corpus ejus* (*a*). Eo enim miraculo præcedentia viri vaticinia magis magiſque confirmata ſunt, ejuſque ſanctitas, miſſio, ac doctrinæ veritas aſſerta; ſimulque ſuppeditatum exinde nobis fuit futuræ reſurrectionis argumentum apertiſſimum; uti & eo miraculo intelligimus, quanta ſit Reliquiarum ſanctarum virtus, quantaque vi Sanctorum in altera vita degentium polleat interceſſio. De loco ſepulturæ Eliſæi variæ ſunt opiniones: quidam enim illum Samariæ conſtituunt, alii in patria ipſius Abel-Meu-

(*a*) Eccli. XLVIII. 13.

Meula, ceteri in Carmelo. Præſtat tamen Samariæ viciniis illum adjudicare, quippe quibus traditio conſtantiſſima faveat.

IV. Joas Iſraelis Rex Eliſæi vaticinium implevit; tribus nempe præliis Benadado, qui denato Hazaeli ſucceſſerat, profligato, eas urbes, quos Hazael ipſius pater, aliique Syriæ Reges in tota regione transjordanica, Galaad ſcilicet, Gad, Ruben, Manaſſe, & Baſan occupaverant, recuperavit, Regnumque Iſraelis ſatis ante divulſum reſtituit (*a*).

ANNO MUNDI 3168. ante Chriſtum 837. *Joas Benadadum tribus præliis fregit.*

V. Amaſias redigendis in ſuam poteſtatem Idumæis, qui regnante Joramo jugum Regum Juda ſexaginta circiter ab hinc annis excuſſerant, animum adjecit. Collegit igitur ſub ſigna e ditione ſua trecenta millia, conduxitque pretio centum talentorum alia centum millia e ditione Iſraelis. Omnibus jam ad profectionem paratis, venit ad illum quidam Propheta monens, ut Iſraelitas omnes, quibus Deus non aderat, remitteret. Quid igitur, inquit Rex, de talentis in eam rem ſolutis fiet? Cui alter: Domini partes erunt diſpendium tuum reparare, ſi quidem juſſionibus ejus obtemperaveris. Amaſias Iſraelitas quidem remiſit, ſed illi irati in omnes Juda urbes ſe ſe effudere, a Bethron uſque Samariam tribus hominum millibus interfectis, ingentique præda direpta. Rex cum ſuis tantum in Idumæos egreſſus, commiſſo cum illis prælio interfecit ex hoſtibus decem millia, totidemque cepit captivos, quos præcipites egit e rupis cujuſdam

ANNO MUNDI 3177. ante Chriſtum 823. *Amaſiæ in Idumæos expeditio.*

(*a*) 4. Reg. x. 33.

dam crepidine, cui deinde nomen manſit *Jectehel*, hoc eſt, Obedientia Domini. Sua enim obedientia, dimiſſis ſcilicet ex præcepto Domini centum Iſraelitarum millibus, Amaſias victoriam obtinuit. Geſtum eſt bellum in Valle Salinarum, quæ vulgo ponitur ad Meridiem Maris Mortui. Quidam tamen in Idumæa Orientali, inter urbes Palmyræ & Bozræ illam conſtituunt.

Amaſias Idumæorũ Deos veneratur.

VI. Parta victoria peſſime uſus Amaſias Idumæorum Deos, quos ceperat, adoravit, eiſque incenſa obtulit. Quo ſcelere Dominus irritatus, Prophetam miſit, qui hujuſmodi Idololatriam illi exprobraret. Cui Amaſias, ſi reprehendere pergeret, mortem minitatus eſt. Quin, Propheta excepit, in te mortem a Domino decretam ſcio, quod cum graviter deliqueris, meis tamen monitis non reſipiſcis (*a*).

Amaſias Regi Iſraelis bellum intimat.

VII. Superbiens Amaſias de victoria ex Idumæis relata, atque invictum ſe deinceps & metuendum vicinis gentibus fore blanditus, miſit, qui Joas Regi Iſraelis ſuis verbis denuntiarent: *Veni, & videamus nos* (*b*). Quibus continetur belli intimatio, vel ſaltem admonitio, ut mutuo utriuſque colloquio res utriuſque componerentur. Querendi autem de Iſraelitis non una poterat eſſe Amaſiæ ratio. Omiſſa enim veteri querela de ſciſſione decem Tribuum a Domo Davidis, Jehu avus Joas Ochoziam avum Amaſiæ cum neceſſariis ejus plane multis interfecerat. Inſuper Amaſiæ

(*a*) 2. Par. xxv. 14. (*b*) 4. Reg. xiv. 8.

ſiæ jus aliquod erat repetendi centum illa talenta, quæ ſolverat Regi Iſraelis, ut centum millia Iſraelitarum conduceret, quos deinde remiſit. Denique Iſraelitæ illi poſt dimiſſionem gravi incommodo Regnum Juda affecerant.

Joas Amaſiæ cõfidentiam retundit apologo.

VIII. Joas moniturus Amaſiam, ne ſui ſuique Regni periculo majora, quam par eſſet, tentaret, curavit, ut hic illi narraretur apologus. Dum in monte Libani Carduus parem ſe ſe faciens Cedro, ab eo ipſius filiam peteret filio ſuo dari conjugem, a ſupervenientibus ſaltus beſtiis Carduus contritus eſt. Addidit deinde Joas: Quod Idumæos profligaveris, intumuiſti; quæſo, tua ſorte contentus, quieſce: cur me in tuam, tuique populi perniciem provocas?

Victoria de Amaſia a Joas relata.

IX. Deus, qui ſtatuerat tradere Amaſiam hoſtium manibus, in ultionem cultus Numinibus Idumæorum impenſi, permiſit, ne monita Joas auſcultaret. Quare Joas in caſtra egreſſus prope Bethſames, hoſtibus victis, Regem Juda cepit, & Hieroſolymam invadens, a porta Ephraim uſque ad portam Anguli 400. cubitis Urbis mænia evertit, Templique & Ærarii theſauris direptis, Samariam victor regreſſus eſt. Addit Joſephus, Iſraelis Regem per eum Urbis hiatum in Hieruſalem curru vectum fuiſſe, & Amaſiam captivum more triumphantis traxiſſe (*a*).

Anno Mundi 3179. ante Chriſtum 821.

Joas ſucceſſorem habet Jeroboamū.

X. Non diu tantæ victoriæ ſuperſtes fuit Joas, qui poſt ſexdecim annos in Regno exactos,

(*a*) Antiq. l. 9. c. 10.

ctos, iis etiam computatis, quibus regnavit Patris ſocius, moriens filium ſuum Jeroboamum II. ſucceſſorem reliquit. Poſt hæc quindecim adhuc annis Amaſias imperavit (*a*). Cum tamen ad Dominum minime converteretur, decrevit Deus, ut in ipſum Hieroſolymis conjuratio oriretur. Fugientem igitur ad urbem Lachis miſſi a perduellibus ſatellites interfecere. Equis autem delatus ad Majorum ſuorum ſepulcrum in Civitate David conditus eſt. Ozias, ſive Azarias ipſius filius illi ſucceſſit, ſexdecim annos natus.

ANNO MUNDI 3194. ante Chriſtum 806.

Amaſiæ Regi Judæ ſuccedit Ozias, ſive Azarias.

Regnum Jeroboami II. felix, quod a Jona prædictum fuerat.

XI. Jeroboamus II. rerum ſpatio unius & quadraginta annorum potitus eſt. Non tantum vero diuturnum Regnum habuit, ſed & felix; ſiquidem Iſraelis gloriam ſub prædeceſſoribus lapſam in priſtinum reſtituit, urbes & regiones a Syriæ Regibus uſurpatas recepit; illique tota late regio ab urbe Emath ad Septemtrionem, uſque ad mare Mortuum ad Meridiem paruit, ut olim antiquis Regibus ſubjecta fuerat (*b*). Negotium facit Scriptura, dum aſſerit, a Jeroboamo urbes Damaſcum, & Emath, alteram Syriæ Damaſcenæ, alteram Syriæ Soba Metropolim, Judæ reſtitutas fuiſſe (*c*). Multi ita interpretantur; quaſi geminas illas urbes, quæ olim ſub Davide & Salomone Judæ paruerant, e Syrorum manibus ereptas, iterum Jeroboamus Iſraeli vindicarit; ſibi tamen illas retinuit, quod ſuis ſumptibus, & diſcrimine eas cepiſſet. Alii cre-

(*a*) 4. Reg. XIV. 17.
(*b*) 4. Reg. XIV. 16.
(*c*) 2. Par. VIII. 3.

credunt, Jeroboamum urbes illas adjeciſſe quidem ditioni Judæ, quod juris illius eſſent; viciſſim tamen jure adeptionis retinuiſſe dominium illarum utile, ſeu vectigalia, quæ ab illis ſolvebantur. Porro Regni felicitatem Deus per Jonam Prophetam Jeroboamo prænuntiaverat; quamquam in iis, quæ de Jona nunc ſuperſunt, ſcriptis fruſtra hujuſmodi vaticinia quærerentur. Nemo tamen ignorat, Prophetas non omnia ſua vaticinia litteris conſignaſſe. Plura etiam interciderunt ex his, quæ a Prophetis conſcripta ſunt.

Religio ſub Jeroboamo II. afflicta.

XII. Jeroboami I. Regni Iſraelitici fundatoris veſtigiis inſiſtens Jeroboamus II. de Domino male meritus eſt. Eo imperante floruerunt Prophetæ Oſee, Amos, & Jonas, ex quorum ſcriptis intelligimus, mollitiem, luxum, injuſtitiam late omnia inundaſſe, populoſque in Religione licentius aberraſſe; ſiquidem non tantum Dan, & Bethel, ubi Vituli aurei colebantur, ſed & Maſpha, Galaad, Berſabee, Thabor, Carmelus, & Galgal, loca omnia, in quibus Dominus apparuerat, ac tandem univerſi Colles frequentabantur, non ſine Templi injuria, quo dumtaxat celebrandis ſacris cœtibus populus adire jubebatur. Quin & in locis illis ab hominum conſortio remotis, non niſi honeſtatis diſpendio conventus habebantur. Sub eo tamen Rege plures ex Moſaicis cæremoniis adhuc in Iſraele ſervabantur, uti Primitiarum, & Decimarum ſolutio, Feſtorum & Sabbati religio, ac Nazaræorum conſecratio (*a*).

(*a*) Amos, II. IV. V.

ANNO MUNDI 3220. ante Chriſtum 780.

Jeroboamus obiit, poſt cujus obitum Regnum vacat.

XIII. Naturali exitu Jeroboamus ceſſit e vita. Amos accuſatus quidem fuit ab adverſario ſuo Amaſia, quod moriturum illum gladio prænuntiaſſet (*a*). At ingens erat mendacium hujus Vitulorum aureorum ſacerdotis, qui omnem lapidem movit, ut Regis ira in Prophetam exardeſceret. Poſt Jeroboami obitum ponit Uſſerius interregnum undecim annorum cum dimidio (*b*); quod nullo quidem Scripturæ teſtimonio probatur; ſed tamen admittit vir doctus, ne chronologicus ordo perturbetur. Jeroboamus enim regnare cœpit anno 15. Amaſiæ Regis Juda, qui incidit in annum Mundi 3179. Zacharias autem ipſius filius & ſucceſſor poſt ſextum Regni ſui menſem ſublatus eſt anno 38. Oziæ ſive Azariæ Regis Juda, qui anno Mundi 3232. illigatur. Porro inter annum 3179. & annum 3232. intervallum eſt annorum 53. quod temporis ſpatium implent anni 41. quibus regnavit Jeroboamus, & interregnum duodecim circiter annorum, quod ſtatuit Uſſerius. Variationes tamen, quæ parent in Scriptura, quidam conciliant aſſignando plura regnandi exordia, eoque rem adducunt, ut oſtendant, periodum 41. annorum Regni Jeroboami non niſi anno Mundi 3191. exordiri, & 3132. terminari; aut ipſum pluſquam quinquaginta annis regnaſſe; ex quibus decem circiter cum Joas patre ſuo Rempublicam adminiſtraverit (*c*). Qui mendum in numeros irrepſiſſe docent, com-

(*a*) Amos, VII. 2.
(*b*) Uſſer. ad an. 3220. XII. 13. & XV. 1. 5.
(*c*) Calm. in 4. Reg.

commodiorem quidem, ſed periculoſiorem ineunt viam; qua extrema tantum neceſſitate eundum eſt (*a*).

XIV. Poſt Jeroboamum igitur regnavit Zacharias. Breve ſex menſium ſpatium quo imperavit, conſuetis Regum Iſraelis criminibus fædavit. Sellum autem filius, ſive cives Jabes, conjuratione facta, ipſum invadens, palam occidit, vacumque Regnum occupavit. Ita manſit ſua fides Domini ad Jehu Regem oraculis (*b*), quibus uſque ad quartam tantum generationem Imperium illi promittebatur. Poſt Jehu enim ſederunt in throno Iſraelis Joachaz, Joas, Jeroboamus, & Zacharias, qui ſuo ſanguine ambitionem, & ſævitiem ipſius Jehu expiavit.

Anno Mundi 3232. ante Chriſtum 768.

Zacharias & Sellum curto tempore regnant in Iſraele.

XV. Sellum unum dumtaxat menſem regnavit; Manahem filius Gaddi, cum exercitui Zachariæ præeſſet, audita Domini ſui nece, Therſa movens Samariam obſedit, ubi Sellum Imperium iniverat; receptaque urbe, & Sellum occiſo, Regnum ad ſe tranſtulit (*c*). Deinde Therſam regreſſus, cum inopinato fores urbis a civibus clauſas nactus fuiſſet, adeo exarſit ira, ut Thapſam, locum in viciniis Therſæ, eique fortaſſe fœderatum, vaſtaverit. Verſo deinde in Therſam furore, illaque expugnata, fetarum mulierum ventres diſcidit, abreptoſque fetus in terram eliſit.

Manahem Regnum Iſraelis invadit.

Z 2 XVI.

(*a*) Calm. in 4. Reg. xv. 1. aliiſque Interpretes.

(*b*) Oſee 1. 4. & 4. Reg. x. 30.

(*c*) 4. Reg. xv. 14.

Phul in Judæam a Manahem vocatur. XVI. Ut in Regno Manahem aſſereretur, Phul, Regem Aſſyriæ, Sardanapali facile patrem, accivit, promiſſo mille talentorum argenti pretio. Venit igitur Phul, ac tandiu ſubſtitit, quandiu integram pecuniam non exegiſſet. Ut autem eam ſummam Manahem colligeret, tributum 50. ſiclorum in ſingulos ſuæ regionis Optimates indixit. Fertur etiam, Manahem alterum ex Vitulis aureis, quos colebat, Aſſyrio tradidiſſe (*a*), ut cum eo amicitiæ fœdus magis firmaret, vel ut pretio tanti ſimulacri ſumma promiſſæ pecuniæ compleret. Phul primus eſt Rex Aſſyriorum, quem Scriptura in Hebræorum ditionem veniſſe narret; deinceps vero frequenter nimium eo Aſſyrios venire videbimus.

ANNO MUNDI 3243. ante Chriſtum 757. *Manahem in Regno Iſraelis excipit Phacejas.* XVII. Decennio regnavit Manahem, relegitque nequiſſima antiquorum Regum Iſraelis veſtigia. Patri ſucceſſit Phacejas, cujus Principis cetera latent, niſi hoc tantum, quod biennio Regno præfuit, Vitulorum aureorum cultui addictus. Geſta illius, ſicut & aliorum multorum Regum, qui Hebraicam Rempublicam adminiſtrarunt, deſcripta erant in Annalibus, quos nobis remotior ætas invidit.

Florentiſſimum Oziæ Regnum. XVIII. Dum Iſraeli præeſſent Jeroboamus, Zacharias, Sellum, Phacejas, Judæ ſpatio 51. annorum præfuit Ozias, qui Regnum feliciſſimis ſane auſpiciis incepit, cum ſtatim Philiſthæos, Ammonitas, & Arabes bello fregerit (*b*). Urbem quoque Ailat, & reliquam omnem

(*a*) Oſee x. 5. Reg. XIV.
(*b*) 2. Par. XXVI. & 4.

mnem Idumæam reduxit ad officium, reſtituit, munivitque. Hieroſolymis turres ædificavit, auxitque munitiones; quibus facile reparavit quadringentos mænium cubitos, quos Rex Iſraelis diruerat. In agro & ſolitudine ciſternas, & domos in commodum & ſecuritatem paſtorum conſtruxit. Œconomiæ & Agriculturæ maxime ſtuduit. Exercitum e trecentis ſeptem millibus & quingentis ſub ſignis detinebat, quibus ſexcenti ſupra duo millia Principes imperabant; ſed & ii tribus ſummis Imperatoribus, Jehieli, Maaſiæ & Hananiæ parebant. In Armamentaria ſua, præter lanceas, galeas, clypeos, loricas, enſes, arcus, & fundas, omnium primus, quantum ex Scriptura ſcimus, machinas qua urgendis, qua ſuſtinendis obſidionibus, intulit; ut vincinis omnibus terrorem incuteret. Legem Dei ſancte ſervavit (*a*), quamdiu vixit quidam Propheta, nomine Zacharias, quo utebatur conſiliario; quamquam & tunc in permittendis ſacrificiis in editis collibus nimio indulgentior fuerit.

Ozias incenſum offerendi munus uſurpat, ſed non impune.

XIX. Circa annum Regni ſui 27. Ozias ſuperbia tumens eo temeritatis devenit, ut in Templo munus offerendi incenſi uſurparet. Quare Azarias ſummus Sacerdos, adhibitis ſecum 80. aliis Sacerdotibus, forti animo impiis illius conatibus reſtitit, negans ad illum pertinere munus, quod unis Sacerdotibus ex Legis præſcripto ſervatum eſſet; reciperet proinde ſe ſe e loco ſancto, manuſque removeret ab iis, in

(*a*) 4. Reg. xv. & 2. Par. xxvi.

in quibus Deum nunquam propitium haberet. Hac libertate offenſus Rex thuribulum dimittere recuſabat addens ſimul minas in Sacerdotes. Verum ſubita lepra affectus eſt, apparentibus in fronte inopinatis morbi indiciis. Quare ab hominum conſortio ſegregatus privatam vitam extra urbem uſque ad mortem egit, interim Joathano ejus filio Regnum adminiſtrante. Poſt mortem, Oziæ cadaver non in tumulis Regum, utpote lepra infectum, ſed in eodem agro, ubi ſepulcra erant Regum, conditum fuit.

Terræmotus. Olimpiadum inſtitutio. Tempus fabuloſum, & hiſtoricum.

XX. Cum Rex thura adoleret, tradit Joſephus, terram adeo ingenti motu fuiſſe concuſſam, ut medius mons, qui ad Occidentem Hieroſolymæ erat, e ſolo evulſus, impetu quodam actus, ſpatio ſtadiorum quatuor circumvolveretur, donec objectu aliorum montium impeditus, viam clauſit, ac Regios hortos oppreſſit. Addit inſuper, lucis radium, terræmotus vi diſrupto Templi culmine, in Regem cælitus immiſſum fuiſſe, quo percutiente corpus illius lepra contectum eſt (*a*). Convenit quidem, ſub Ozia validam terræ concuſſionem contigiſſe; idque non obſcure tradunt Amos, & Zacharias (*b*). Non tamen conſtat, utrum ſub ipſum tempus tentati ab Ozia muneris ſacerdotalis terra inhorruerit. Dum idem Ozias rebus præeſſet, anno ſcilicet Mundi 3228. prima Græcorum Chronologorum cœpit numerari Olympias, cum nempe ludi Olympici

(*a*) Antiq. l. 9. c. 11. XIV. 5.
(*b*) Amos 1. 1. Zach.

ci in Herculis honorem in Urbe Piſa, ſeu Olympia Elidis, ſive Elææ, aut Piſatidis regionis in Peloponeſo, ab Iphito Elidis Rege ſunt inſtituti. Hi vero ludi quinto quoque anno ineunte, id eſt poſt quatuor annos completos, celebrari ſolebant. Primus autem omnium vicit ſtadio Coræbus Elæus. Atque hic temporis illud intervallum deſinit, quod a doctiſſimo Varrone Fabuloſum nominatur, quod in eo multa fabuloſa ab Ethnicis referantur; incipit vero tempus Hiſtoricum, quia res in eo geſtæ veris hiſtoriis continentur (*a*).

Phacee occidit Phacejam, ejuſque Regnum occupat. Joathan paternum Judæ Regnum tenet. Achaz ſuccedit Joathano; qui bello petitus auxilium a Theglatphalaſſare impetrat. Hujus Regis impietas. Roma conditur. Ex uno Aſſyrorum Imperio tria oriuntur. Occiſo Phacee, regnat Oſee.

C A P. XIII.

I. PHacee filius Romeliæ e primoribus Regni Præfectis Phacejam Regem Iſraelis aggreſſus eſt, ſecum ducens Argob, & Arie, atque Galaaditarum quinquaginta, conjurationis ſocios, eoque in Palatio Samariæ occiſo, Regnum occupavit, quod per viginti annos adminiſtravit, Idololatriæ Vitulorum aureorum addictus.

ANNO MUNDI 3245. ante Chriſtum 755.

Phacee Regnum Iſraelis uſurpat, occiſo Phaceja.

(*c*) Cenſorini de die natali libello.

Anno Mundi 3246. ante Chriſtum 754. *Joathan Rex Juda pietate & felicitate floret.*

II. Mortuo Ozia, ſive Azaria Rege Juda, Joathan ſexdecim annis ſolus imperavit. Domino religioſius, quam pater, adhæſit, cum manum extendere ad ſuffitum auſus non fuerit (*a*). Non tamen Excelſa delevit. Amplam Templi portam, forte Orientalem, erexit. Hieroſolymæ in muro vici Ophel munimenta plura, in montibus & Judæ ſaltibus turres & oppida conſtruxit. Ammonitas, quos Ozias pater ſubjecerat, coegeratque ad tributum, a ſe deficientes devicit, eiſque centum talentorum, & decies mille cororum tritici, totidemque hordei vectigal impoſuit; quod quidem onus poſt triennium aut Rex levius reddidit, aut Ammonitæ penitus excuſſerunt (*b*). Larga benedictione Deus pium Regem proſecutus eſt, ut cœptorum ſuorum exitu proſpero frueretur. Paulo tamen antequam e vivis migraret, Phacee Rex Iſraelis, & Raſin Rex Syriæ arma in illum moverunt; quo autem eventu neſcimus. Bellum tamen illud ſub ſucceſſoris Regno recruduit.

Anno Mundi 3256. ante Chriſtum 744. *Roma conditur.*

III. Interea Romam, juxta Fabium Pictorem Romanorum Scriptorum antiquiſſimum, paulo ante initium Olympiadis VIII. in Feſto Palilitio, XII. Kal. Maji, Romulus condere cœpit; licet Palilia Varroniana toto quinquennio Fabianis anteriora ſint.

Urbs oritur (quis tum hoc ulli credere poſſet?)
Victorem terris impoſitura pedem (*c*).

IV.

(*a*) 2. Par. XXVII. 2. XXVII. 5. & 4. Reg. XV. 32.
(*b*) Calm. in 2. Par.
(*c*) Ovid. Faſt. 4.

IV. Regnante Joathano illud quoque ſingulare contigit, ut ſcilicet ex uno Aſſyriorum Imperio tria orirentur Regna, quorum res cum Hebræorum rebus plurimum connexæ fuere. Phul igitur, de quo nonnulla narravimus, filium habuit Sardanapalum, & felici ac proſpero Regno tenuit illud vetus Aſſyriorum Imperium, quod tunc ceteris omnibus præſtabat; ſub quo Monarcha Jonas veniſſe Ninivem, ac pœnitentiam prædicaſſe creditur. Sardanapalus viginti annis Ninive regnavit; cujus erat Imperium non in Aſſyrios modo, ſed & in ceteras vicinas provincias uſque in Ciliciam, ubi una die geminas condidiſſe urbes, Tharſum & Anchialen, perhibetur (*a*). Arbaces Mediæ Præfectus muliebrem Sardanapali mollitiem indigniſſime ferens, conjuratione cum Beleſo Babylonio inita quadringenta millia Medorum, Perſarum, Babyloniorum, & Arabum contra eum eduxit. Qui tribus præliis victus, in quarto, Bactrianorum copiis ad eum deficientibus, hoſtes noctu improviſo oppreſſit, & caſtris exuit. Ninive obſidione cincta, Sardanapalus filios tres, & duas filias magna cum Gaza in Paphlagoniam ad Cottam Præfectum mittit, & ad tolerandam obſidionem neceſſaria comparat. Anno obſidionis tertio, Tigris continuis imbribus excreſcens Ninives partem inundavit, & mœnia ad viginti ſtadia dejecit. Quare Sardanapalus diutius reſiſtere hoſtibus ſe non poſſe videns, pyram incendit, qua ſe una-

ANNO MUNDI 3257. ante Chriſtum 743.

Vetus Aſſyriorum Imperium una cum Sardanapalo perit.

(*a*) Athenæus, Strabo, Arrianus apud Uſſer. an. 3237.

unaque regia ædes, concubinas, eunuchos, totamque ſupellectilem cremavit (*a*). Is fuit exitus vaſtiſſimi Aſſyriorum Imperii.

Tria Imperia ex Aſſyrio orta.

V. Ex ejus ruinis tria Imperia prodiere, Medorum, Babyloniorum, & Aſſyriorum. Auctor Imperii Medorum fuit idem Arbaces, alio nomine Orbacus, vel Pharnaces, qui Medos Aſſyriorum jugo liberavit. Alterum Babyloniorum condidit Beleſus, qui dictus etiam Baladan (*b*), & Nabonaſſar, qui eamdem libertatem Babyloniis procuravit. Hinc celebris Nabonaſſaris Æra, indicato Mundi anno 3257. illigata. Tertium denique Aſſyriorum Imperium ad veteris limites contractum, reparavit Ninus junior, qui melioris auſpicii cauſa primi Aſſyriaci Imperii conditoris nomen aſſumpſiſſe videtur, propria appellatione ab Æliano Thilgamus, & in Scriptura Theglatphalaſſar nuncupatus (*c*).

ANNO MUNDI 3262. ante Chriſtum 738.

Achaz ſuccedit Joathano, de cujus ætate diſputatur.

VI. Decedenti Joathano Achaz filius ſucceſſit, de cujus regnandi exordio valde implexa proponitur quæſtio (*d*). Viginti annorum ætate Regnum adivit, ac poſt annos Regni ſexdecim deceſſit (*e*). Vixit igitur tantum ſex & triginta annos. Sed Ezechias ejus filius regnare cœpit ætatem agens annorum quinque & viginti; quare illum genuiſſet Achaz, cum æta-

(*a*) Diod. l. 2. Athenæus l. 12.

(*b*) Iſa. XXXIX. 1. & 4. Reg. XX. 12.

(*c*) Ælian. l. 12. hiſtor. animal. c. 21. 4. Reg. XV. 29. & XVI. 7.

(*d*) Calm. in 4. Reg. XVI. 1.

(*e*) Busbeq. Bochar. Navar. Scalig. apud Calm. ibid.

ætatis annos undecim non ſuperaret, quod incredibile videtur. Ut nodum præciderent, varii varia tentarunt. Quidam affirmant, fieri poſſe ut gignere liberos quis valeat ætate decem, vel undecim annorum; idque nonnullis adductis exemplis in aliis quoque contigiſſe demonſtrant. Alii prodigium comminiſcuntur, rati intuitu Ezechiæ id contra naturam a Domino naturæ conceſſum fuiſſe (*a*). Alii malunt, Ezechiam filium fuiſſe Achaz, non natura, ſed lege, ſive adoptione. Alii in numero mendum ſuſpicantur.

Regis Achaz impietas.

VII. Achaz a pietate domus Davidicæ devians, vias Regum Iſraelis inſtitit, Idololatriam & ſcelus ſectatus. Quin ex filiis ſuis unum igne Molocho conſecravit. Quod nonnulli de ſimplici traductione per flammas, prophanæ luſtrationis cauſa, intelligunt; ceteri vero puerum igne abſumptum credunt, juxta antiquum Chananæorum, Phænicumque ritum. Victimas quoque Achaz & incenſum in Excelſis, ſubterque frondoſis arboribus obtulit.

Regi Achaz ab hoſtibus preſſo Iſaias liberationem promittit, prædicens ſimul ortum Meſſiæ e Virgine.

VIII. Cum ſub finem Regni Joathani cœpiſſet Deus immittere in Judam Phacee Regem Iſraelis, & Raſin Regem Syriæ, populus contremiſcebat, præſentiſſimum ſibi excidium imminere metuens. Novo Regi Achaz conſternato Deus per Iſaiam ipſius liberationem, & hoſtium interitum prædixit; cujus oraculi pignus ut daret Propheta, optionem fecit Regi, ut quod mallet, ſive e Cæli vertice, ſive e Terræ centro, prodigium eligeret

(*a*) S. Hieron. ad Vitalem.

ret (*a*). Eo recuſante ex fucata quadam modeſtia, Iſaias indignatus eſt, raptuſque Dei Spiritu quo afflatus erat, in remotiora, & altiora, ortum prænuntiavit *Emmanuelis* e Virgine, ſcilicet Meſſiæ e Beata Maria. De qua quidem Prophetia alibi a nobis plura dicenda ſunt, cum nempe ad hiſtoriam ipſius Iſaiæ ventum fuerit. Simul tamen divinus Vates in argumentum proximæ liberationis populi ſui, & hoſtium deſtructionis geminos filios ſuos exhibuit. (*b*). Primus jam natus nomen habebat *Sear-Jaſub*, Reliquum redibit; ſignificavitque Iſaias, idcirco eo nomine appellari puerum, quod levandus eſſet Juda moleſto, quo tunc premebatur, onere belli, ſibi ab utroque Rege illati, & populi reliquiæ ad priſtinum felicitatis ſtatum tandem rediturae. Cum autem eodem tempore accideret ut Iſaiæ alter filius ex uxore ſua naſceretur, juſſu Dei nomen illi eſt impoſitum *Chas-bas*, Feſtina prædari; quod ſcilicet Regna Iſraelis, & Syriæ eſſent prius diripienda, quam puer ille noverit per ætatem parentes de nomine, *Pater mi*, aut *Mater mea* appellare. Damus interpretationem, quæ præſenti hiſtoriæ magis congruit, minime reſpuentes alios ſenſus ſive litterales, ſive myſticos, quos e duobus illis nominibus inferunt Interpretes (*c*).

Judæa a Razin & Phacee infeſtatur.

IX. Poſt editas has prophetias, Phacee, & Raſin junctis viribus Hieroſolymam obſedere, quam tamen minime expugnarunt. Quare diviſo

(*a*) Iſa. VII.
(*b*) Iſa. VIII. 18.
(*c*) Iſa. VII. 3. & VIII. 1.

viſo exercitu omnem circa regionem excurrere. Raſin multos abegit captivos, intulitque Damaſcum prædam ditiſſimam. Phacee vero unius diei prælio cecidit centum viginti hoſtium millia, cepitque ducenta millia ex viris ſimul, ac feminis, pueriſque. Ea facile occaſione Zechri e Tribu Benjamin vir ſtrenuus Maaſiam filium Regis Achaz, Ezricam regiæ domus procuratorem, & Elcanam a Rege ſecundum interfecit (*a*).

Judæi captivi dimittuntur.

X. Cum ea captivorum turba Samariam duceretur, Oded Propheta Domini cum Urbis Optimatibus occurrens victoribus, exprobravit illis crudelitatem, qua traditos ſibi a Domino Iſraelitas ex Tribu Juda occiderunt; nec his contenti Judam & Hieroſolymam ſibi ſubdere meditabantur. Hortatus tandem eſt, ut captivos reducerent, ne vindicem Dei furorem experirentur. His illi perterriti captos dimiſerunt, quibus iidem Samaritæ Primates veſtes, cibos, & quidquid opus fuerat, erogantes, cum plerique tot incommodis attriti, impares eſſent itineri, equos ſuffecerunt, eoſque Jerichuntem uſque in Judæ ditionem reduxerunt.

Raſin Idumæis Ailat vindicat.

XI. Eodem fere tempore Philiſthini, & Idumæi in Regno Achaz ſuſdeque omnia vertere (*b*). Suſcepta pariter a Raſin expeditio in urbem Ailat, ſive Elath, aut Elan; ad mare Rubrum portum; quam Ozias in ſuam poteſtatem redegerat. Raſin igitur pulſis Judæis, eo Idumæos, a quibus forte ſollicitatus fuerat, in-

(*a*) 2. Par. XXVIII. (*b*) 2. Par. XXVI. 6.

introduxit (*a*). Tot autem tantiſque ærumnis premebatur Achaz, quod a Domino Judam avertens, poſt Idola ipſum ire compelleret.

ANNO MUNDI 3264. ante Chriſtum 736. *Ninus Syriæ Regnũ evertit, & Iſraelitas pleroſque in Aſſyriã traducit.*

XII. In his afflictarum verum articulis abſtulit Rex quidquid auri & argenti inveniebatur in Templo Dei, & in Ærario ſuo, miſitque per ablegatos ad Theglatphalaſſarem, ſive Ninum juniorem, Aſſyriorum Regem, munus, orans ut e manu Regum Syriæ & Iſraelis ipſum ſervaret. Cui ille auſcultans, contra Raſin expeditione ſuſcepta, Damaſcum venit, everſaque urbe Regem occidit, ſimulque incolas omnes in Cyrenem, ſeu potius in Iberiam, ubi Cyrus amnis fluit, traduxit. Atque ita Regnum Damaſcenum vel Syriæ in Rezon cœptum, in Raſin finitum eſt (*b*). Victricibus deinde armis irruens in regionem Iſraelis, Tribus Ruben, Gad, & dimidium Manaſſis, miſit in Lahelem, Habor, & Aram ad fluvium Gozam. Captæ etiam urbes Ajon, Abel-beth-maca, Janoe, Cedes, Azor, regioque Galilææ, Galaad, & Nephtali, omneſque earum incolæ in Aſſyriam trans Euphratem pariter tranſlati. Anno ſequente ſublato Phacee Rege Iſraelis, interfector illius Oſee filius Ele ſolium occupavit (*c*). Reſpiravit tunc Achaz a metu *duarum caudarum titionum fumigantium*, intra breve biennii ſpatium, & antequam puer *Chas-bas* ætatem liberæ rationis attingeret, uti prædixerat Iſaias.

ANNO MUNDI 3265. *Occiſo Phacee regnat Oſee.*

XIII.

(*a*) 4. Reg. XVI. 6.
(*b*) 3. Reg. XI. 23.
(*c*) 4. Reg. XVI. 7. Amos I. 4. & 4. Reg. XV. 29. I. Par. V. 26.

XIII. Liberatum ſe ab infenſiſſimis hoſtibus intelligens Achaz, Damaſcum venit, gratias pro accepto beneficio Theglatphalaſſari actuturus, & forte etiam illum a conſilio veniendi in regionem Juda remoturus. Fruſtra tamen; ille enim ſeu non contentus iis, quæ ſibi Achaz obtulerat, ſeu aliam belli occaſionem captans, invaſit Regnum Juda, nulloque ſibi obſiſtente late vaſtavit, nec ante diſceſſit, quam expoliatis ab Achaz Templo Dei, ædibus regiis, ac Principum domibus ditiſſimo theſauro, hæc omnia illi tribuerit. Quin Aſſyrius ipſum Achaz ad annuum tributum coegit (*a*).

Aſſyriæ Rex arma in Achaz vertit.

XIV. Achaz calamitatibus oppreſſus nedum non movebatur ad pœnitentiam, ſed tunc præcipue Dominum contemnebat. Adeo vero ſe erroris caligine merſit, ut crederet Syrorum Numina ſibi infeſta ultionem per Raſin olim in caput ſuum exercuiſſe; quare furorem illorum cultu ſibi conciliare decrevit. Viſo igitur, dum eſſet Damaſci, prophano ipſorum Altari, hujus exemplar, dimenſioneſque ad Uriam ſummum Sacerdotem miſit, ut conſimile in Templo Hieroſolymitano conſtruendum curaret. Impiis juſſionibus paruit Urias. Regreſſus autem Damaſco Rex novum Altare non probavit tantum, ſed & oblatis in eo victimis, & libationibus conſecravit. Quin & Pontifici imperavit, ut amoto Altari æneo, quod Salomon conſtruxerat, rejectoque ad Atrii angulum, nullo poſthac præterquam hoc novo

Achaz cultum prophanũ promovet.

(*a*) 2. Par. XXVIII. 20. 4. Reg. XVI. 7.

novo uteretur ad ſacrificia. Evulſit præterea aurum & argentum, quibus poſtes, & fores Templi tegebantur, cælatas quoque baſes, æneoſque luteres illis impoſitos, ac boves pariter æneos, quibus Mare æneum ſuſtentabatur, abduxit. Juſſit etiam, ut *Muſach Sabbati* in ſecretiora Templi transferretur, veritus ne hoſtis illud quoque raperet. Quid autem illud eſſet, non una eſt Interpretum ſententia. Alii velum credunt, Templi pavimento die Sabbati inſternendum; alii tentorium ſuper atrium expandendum, ut cadentes Solis radios averteret; alii locum tectum, ubi Sacerdotes, vice ſua per hebdomadam fungentes, cubarent; alii arcam continendis oblationibus pro Templi reſtauratione; alii ſuggeſtum ſacræ lectioni deſtinatum; alii acceſſum extimum, quo a domo Regis ad Templum patebat aditus; alii tandem, quibuſcum & nos ſentimus, thronum ſeu cathedram æneam juſſu Salomonis flatam, atque in Templo collocatam, quam Reges die Sabbati, & aliis ſolemnitatibus, cum ſacræ cæremoniæ agerentur, aſcendebant. Porro hæc utcumque in Achaz excuſarentur, ſi placandi Regis Nini cauſa tentavit. At impia religione ductus eo demum progreſſus eſt, ut ſacris vaſis comminutis, Temploque Dei clauſo, Altaria in Hieroſolymæ plateis, cunctiſque civitatibus Juda erigi imperaverit, quo ubique prophanum adoleretur incenſum.

Oſee

Oſee regnat in Iſraele, quo ſuperato Salmanaſar transfert Iſraelitas in Aſſyriam. Samaritani, qui & Cutæi. Variæ de eorum Pentateucho ſententiæ. Numina, quibus illi erant addicti.

CAP. XIV.

I. OSee poſtremum Iſraelis Regem conjuraſſe credimus in Phacee Romeliæ filium anno illius vigeſimo; duobus poſt annis Regnum ſibi vindicaſſe, anno nempe quarto Achaz, qui eſt vigeſimus, ex quo Joathan pater Achaz Regnum capeſſivit; ac anno tandem duodecimo Achaz pacifice univerſo Iſraelis Regno præfuiſſe; ut turbis & ſeditionibus intervenientibus, Reſpublica ad Anarchiam quamdam, per novem circiter annos, reciderit. Ita diverſa, & in ſpecie oppoſita Scripturarum loca conciliantur (*a*). Porro Rex Oſee ſceleribus quidem ſe inquinavit, ſuorum tamen prædeceſſorum improbitatem non æquavit; nempe juxta Hebræorum doctores ſuis ſubditis non interdixit, quominus ad cultum Domino exhibendum Hieroſolymam pergerent; id quod ſub antiquis Iſraelis Regibus, latis edictis, diſpoſitiſque in viis & ad Regni confinia cuſtodiis, minime licebat.

ANNO MUNDI 3274. ante Chriſtum 726.

Oſee pacifice Iſraeli præeſt, Rex non undequaque impius.

II. Cum Achaz deceſſiſſet, ejus corpus Hieroſolymæ quidem ſepulturæ traditum eſt, non tamen in Regum Juda tumulis; quo honore indignus reputabatur. Patri ſucceſſit Ezechias, qui

ANNO MUNDI 3278. ante Chriſtum 72?.

Decedenti Achaz Ezechias ſuccedit.

(*a*) 4. Reg. XV. 30. & XVII. 1. Vide Calm. ibid.

anno antecedenti Regnum cœperat adminiſtrare.

ANNO MUNDI 3282. ante Chriſtum 718. *Regnum Iſraelis a Salmanaſare deletur.*

III. Salmanaſar Theglatphalaſſaris ſucceſſor ſuſcepta in Oſee expeditione, ipſi tributum imperavit. Inviſum jugum excutere tentans Oſee, fœdus ſecreto compoſuit cum Sua, alio nomine Sabacon, vel Abacum, ſive Sethon Rege Ægypti; quod ut intellexit Salmanaſar, Oſee Regnum invadens, exercitum ad Samariæ obſidionem admovit; qua poſt triennium capta, Iſraelitas, quos reperit, tranſtulit, poſuitque in Hala, & Habor, juxta fluvium Gozam, in civitatibus Medorum. Etiam Oſee Rex vinculis onuſtus in Aſſyriam traductus eſt. Iſraelitarum tamen plures, irritis Aſſyriorum perquiſitionibus, in regione ſubſtitere, populique hujus portio in Ægyptum aufugit (*a*). Porro hæc contigere anno ipſius Oſee nono, & Ezechiæ Regis Judæ ſexto. Ita complevit Deus quæ toties in flagitioſum Regnum minitatus fuerat, poſtquam illud 254. annos a Regno Judæ ſejunctum ſubſtitiſſet. Quantum ad oras Gozan, quo primum Theglatphalaſar, deinde filius ejus Salmanaſar Iſraelitas traduxerunt, amnem illum trans Euphratem fluere credimus. Siquidem Ptolomæus Gauzanitidem in Meſopotamia collocat. In Media inter Cyrum & Cambyſem fluvius regio Gauzan occurrit, in qua ex fide ejuſdem Auctoris urbs Gauzania. Nec diffidet Benjamin Tuldenſis, qui Gozan in Media quatridui itinere ab Hemda diſſitam ſtatuit (*b*).

IV.

(*a*) 2. Par. XXXIV. *6.9.* 33. Oſee VIII. 13.

(*b*) Apud Calm. V. *Gozam*.

IV. Eſt autem Gozan Judæis idem ac amnes ſabbaticus, qui ſingulis recurrentibus Sabbatis a fluendo ceſſat, eademque die ita obſidetur flammis, ut vadum ejus tentare nemo audeat. Trans hunc fluvium decem Regni Iſraelitici Tribus florere adhuc agro, & divitiarum gloria illi jactitant (*a*). Auctor quarti Libri Eſdræ, qui apocriphus eſt, perhibet, Iſraelitas in captivitatem deductos a Salmanaſare, ſtatuiſſe ſubducere ſe ſe e medio gentium, ut liberius vacarent Deo, eodemque conſilio Euphratem tranſvadaſſe, aperta ſibi per medium alveum via; erraſſe deinde integro anno & ſemis, antequam pervenirent ad locum, quo aſpirabant, ſubſtitiſſe tandem in Arzeret, ubi tracturi ſunt moram aduſque noviſſima tempora, cum novo prodigio aperto ſibi per Euphratem vado revocabuntur (*b*). His Hebræi ſuadere contendunt, ſceptrum & regimen, de quo Jacobus in ultimis conſtitutus vaticinabatur, adhuc apud gentem ſuam perſeverare; perperam proinde Chriſtianos ex deſtructo Judæorum Regno Meſſiæ adventum defendere. Sed apage fabuloſum Rabbinorum Imperium. Sane neque Itinerantibus, neque Geographis unquam portentoſum illum fluvium ſabbaticum, aut Iſraelitarum Regnum, ſive decem Tribus in unum coaleſcentes populum, reperire contigit. Fruſtra etiam cum nonnullis quærerentur Iſraelitæ in Sinarum Regno, in Tartaria, in Laponia, in Ethiopia, in

Fluvius ſabbaticus. An adhuc ſuperſit Iſraelis Regnum.

(*a*) Biblioth. Rabbin. Bartolocci t. 1. p. 100.

(*b*) 4. Eſdræ XIII. 41. Calm. V. *Sabbathicus*.

America. Jeſu Chriſti ætate longe lateque per Orientem diſſeminabantur in Perſide, Media, Elam, Meſopotamia, Cappadocia, Ponto, Aſia, Ægypto, Creta, Arabia (*a*). Conſtat pariter raras eſſe regiones Judæis habitatoribus deſtitutas, ac veſtigia aliqua Religionis illorum non exhibentes. Majori autem numero frequentari Mediam, & Aſſyriam, ubi primo ſubſtitere, in captivitatem ducti, ambigit nemo.

Multi ex Iſraelitis ad propria remearũt.

V. Ceterum multos ex Iſraelitis ad propria tandem aliquando remeaſſe, colligimus ex Prophetis. Oſee habet: *Avolabunt ex Ægypto, & quaſi columbæ de terra Aſſyriorum, & collocabo eos in domibus ſuis* (*b*). Gemina prædixit Amos: *Convertam captivitatem populi mei Iſrael, & ædificabunt civitates deſertas* (*c*). Quod quando factum ſit, alibi dicetur, cum de Cyro, Eſdra, & Nehemia ſermo fuerit. Tandem Tribus Juda, & Benjamin, ac decem Tribus Iſraelis confuſas habent modo inter ſe ſe res, admixtaſque adeo ut nullo ingenio poſſint diſtingui.

Deſertas ab Iſraelitis ſedes occupant Samaritani.

V. Rex igitur Aſſyriæ Iſraelitis in Aſſyriam & Mediam traductis, eorum regionem variis gentibus colendam dedit, e Babylone, Cuta, Avah, Emath, & Sepharvaim collectis (*d*). Regum Politica id poſtulabat, ut tranſmigrationes haſce devictarum gentium in alterum locum imperarent, ut ſcilicet defectionis cauſas omnes tollerent, fractis vinculis, quibus

(*a*) Act. II. 9.
(*b*) Oſee XI. II.
(*c*) Amos IX. 14.
(*d*) 4. Reg. XVII. 24.

bus cum regione ſua, viciniſque populis conjungebantur. Ubi autem ſita fuerit Babylon, nulli ignoramus. Chuta eadem videtur regio ac Chus, quam ad Araxem Schytarum gens incolebat. Semiramidem veniſſe in Chavon Mediæ provinciam, ſcribit Cteſias (*a*); cujus provinciæ nomen pronuntiari poteſt, ut Gavah. Hic Avah reperiſſe videmur. Emath poteſt eſſe vel Emeſſa, urbs ad Orontem in Syria; vel Amida in ripa occidentali Tigris, ad radices montis Tauri; vel Amaſea in Cappadocia, vel Amaſtris ad montem Parthenium. Tradit Herodotus, Saſpiros eſſe gentem, quæ ſedes habet inter Colchos, & Medos (*b*); Strabo autem Saraparas collocat in Armenia (*c*); quæ quidem nomina cum Sepharvaim conveniunt. Hæc igitur genuina ſunt Samaritanorum exordia: mixtio erant plurium gentium, quæ ad frequentandam regionem, Samariæ metropoli olim ſubjectam, aliunde venere. At quo tempore contigit illarum in Samaritidem adventus? Plerique reſpondent regnante Salmanaſare, qui obiit anno Mundi 3290. Uſſerius tamen Regno Aſſaradonis ad annum 3327. hæc illigare mavult, oraculum initio Regni Achaz ab Iſaia editum conciliaturus: *Intra ſexaginta quinque annos atteretur Ephraim, ut non ſit populus* (*d*). Tunc, juxta auctorem, Ephraim & reliquæ

(*a*) Cteſias Perſic. l. I. apud Stephan. de urb.

(*b*) Herodot. l. I. c. 103. l. III. 94. & l. VII. 79.

(*c*) Strabo l. 10.

(*d*) Iſa. VII. 8. cum Calm.

novem Tribus, quæ Regnum Iſraelis conſtituebant, deſiere eſſe populus, ſive Reſpublica, cum tenues, quæ ſuperfuerant, illarum reliquiæ gentium adventantium multitudine pene ſunt obrutæ.

ANNO MUNDI 3329. ante Chriſtum 671.

Novos Samariæ incolas quidam Sacerdos Religionem docet.

VI. Regnante Aſſyriorum Rege Aſſaradone, cum Iſraelitarum regio ſubito leonum incurſu infeſtaretur, in pœnam ignoratæ, uti quidem vulgatum erat, Religionis illius Numinis, quod terræ illi præerat, ejuſdem Regis juſſu Sacerdos Dei Iſraelis, vel, ut alii malunt, unus ex Sacerdotibus, qui in captivitatem abducti fuerant, ad eos populos Religionem Hebræorum edocendam miſſus eſt (*a*). Plures forte venerunt, ſed unus ceteris auctoritate & doctrina præſtabat, qui alios per varia regionis loca diſtribueret. Sed quiſnam ille Sacerdos? Verine Dei, Hieroſolymis culti, an Vitulorum aureorum? Hoc prorſus ignoratur. Illud autem ſcimus, eum ſedes ſuas in Bethel fixiſſe, ubi antequam everteretur Samaria, Regnumque Iſraelis, Vituli colebantur. Non diffitemur tamen, locum illum toti antiquitati ex eo venerabilem fuiſſe, quod Jacobus ibidem ſcalam e Terra ad Cælum uſque pertingentem viderit.

Unde Pentateuchus Samaritanus?

VII. Miſſus eo Sacerdos incolis tradidit Libros Moyſis, quos adhuc retinent, veteribus Hebraicis, ſive Phæniciis characteribus exaractos. Cum enim litteræ illæ genuinæ eſſent regionis, quam incolebant, retinendas illas cenſuerunt, uti vernaculo vicinarum gentium ſermo-

(*a*) 4. Reg. XVII. 25. & 1. Eſdræ IV. 1. 10.

moni, & commercio accommodatas. Contraria omnia Judæis accidere; cum enim Chaldaicæ ſcribendi rationi in captivitate Babylonica, quo poſtea adducti fuerunt, aſſueviſſent, veteribus ſuorum Librorum characteribus ſenſim immutatis Chaldaicos ſubſtituerunt. Pentateuchus igitur Samaritanus unum eſt idemque cum Judaico opus, eadem lingua, diverſo licet charactere conſcriptum. Hæc de Pentateucho Samaritano vulgo ſentimus. At intemperantioris Critices ſectatores inter ſe ſe committuntur.

Simonii ſententia refellitur.

VIII. Simonius autumavit, Sacerdotem ab Aſſaradone miſſum, abſtinuiſſe a ferendo Codicem Legis Moſaicæ, cujus nullus fuiſſet inter Samaritanos illos, Hebræum ignorantes, uſus; & ſibi pariter futurus eſſet ſuperfluus; quippe qui continua a puero aſſuetudine norat Legem, Codice etiam non conſulto. Non igitur, niſi diu poſt, cum ſcilicet Manaſſes contulit ſe ad excitandum Templum in Monte Garizim (*a*), eo pariter delatus eſt Codex Legis, ſeu factus, ſeu reformatus ab Eſdra ad normam ejus, quem Judæi in Templo legebant. Hæc Auctor. Sed quis ſibi perſuadeat, Sacerdotem illum adeo uſui, & memoriæ fidiſſe ſuæ, ut quacumque data occaſione crediderit, poſſe ſe omnia ad Legis præſcriptum agere, etſi nullum librum, in quo contineretur Lex, haberet? Ad hæc, Sacerdos ille, cum miſſus fuerit ab Aſſaradone, qui anno Mundi 3292. Regnum adeptus eſt, non potuit venire

(*a*) Joſeph. Antiq. l. 11. c. 7.

in Samaritidem, niſi poſt decem ſaltem annos, ex quo avorum regionem, atque adeo Religionis exercitium dereliquit. Unde ergo continuus ille Moſaicorum rituum uſus, quem tantopere effert Simonius? Fac Sacerdotem Legis Codice non eguiſſe. Nonne providendum etiam erat ſucceſſoribas, quos vel noluiſſet præ tædio, vel non potuiſſet pro vitæ brevitate, aliiſque incommodis ſingillatim omnia ex verbo docere? Tandem, ſi Codicem, quo utebantur Samaritani, Manaſſes ad illos detulit, factum, ſeu reformatum ab Eſdra, cur, quæſo, ille comprehendit quinque tantum Moyſis Libros, & non duos ſupra viginti, quos in Judæorum Canonem retulit Eſdras?

Vandalii quoque opinio reprobatur.

IX. Vandalius ſedulo diſtinguit inter Legem & Pentateuchum. Legis ſchedæ, ait, nihil referebant, niſi Dei mandata neceſſario ſervanda, ut a populo averteretur Numinis indignatio; ſed in Pentateucho ſimul continetur Mundi Hiſtoria. Quare Sacerdos detulit quidem ad Samaritanos Legem, minime vero Pentateuchum, quem poſt Eſdræ tantum tempora illi accepere. Hæc opinio ſua non careret probabilitate, ſi quidem illud conſtaret, Pentateuchum ſcilicet aut tunc temporis nondum integrum conſcriptum fuiſſe, aut Sacerdotem illum Codicem aliquem apud ſe non habuiſſe, aut ſaltem aliunde mutuari non potuiſſe; quæ nullo probarentur argumento. Clerici ſententiam non moramur, qui docet, Pentateuchi auctorem fuiſſe Sacerdotem, quem Aſſaradon miſit. Eam namque refutavimus, cum

de

de Moyſe, vero illius Operis Auctore, ageremus.

X. Pentateuchi Samaritani exemplaria uſque ad ſæculum XVII. in Europa ignota Jacobus Uſſerius, primus ex Oriente procuravit. Cum enim ex Euſebii Cæſarienſis, Diodori Tharſenſis, S. Hieronymi, S. Cyrilli Alexandrini, Procopii Gazenſis, Georgii Syncelli teſtimoniis Opus illud noviſſet, verſis omnibus ad illud inveſtigandum curis, tandem id effecit, ut e Palæſtina quinque vel ſex exemplaria transferrentur. Petrus etiam a Valle ejuſdem Operis exemplar elegantiſſimum Damaſci anno Chriſti 1616. comparavit; ex quo P. Morinus omnium primus editionem Pentateuchi Samaritani adornavit anno 1632.

Quando Pentateuchus Samaritanus paruit in Europa.

XI. Ut ad Samaritanorum religionem regrediamur, illi a novo Doctore inſtructi, ita veri Dei cultum ſuſceperunt, ut priſtinam Idolorum regionis ſuæ ſuperſtitionem non deſeruerint (*a*). Colebant autem Babylonii *Socoth-Benoth*; Chutæi *Nergel*; Emathæi *Aſima*; Hevæi *Nebahaz*, & *Thartac*; Sepharvaimitæ *Adramelech*, & *Anamelech*; de quibus Numinibus, quæ veriſimiliora videntur, afferemus.

Samaritani veri Dei cultũ cum Idololatria conjungunt.

XII. Socoth-Benoth ſonat Tentoria puellarum. Deſignari autem credimus proſtibula adiri ſolita a puellis Babyloniis ſemel in vita, ut ſe proſtituerent in honorem Mylittæ, & in compendium ejus Templi, ut refert Herodotus (*b*). Rabbini nomen illud interpretantur de Gallina cum pullis; quo forte ſimulacro Venus

Socoth-Benoth.

(*a*) 4. Reg. XVII. 29. 30. (*b*) Herod. l. I. c. 199.

Venus cum proſtitutis exhibebatur. Alii dictum intelligunt de geſtatoriis quibuſdam ædiculis, ſimulacra quædam Dearum continentibus (*a*). Denique putant aliqui, deſignari conſtellationem illam, quam Plejades appellant (*b*). Præſtat tamen retinere, quæ ex Herodoto allata ſunt.

Nergel. XIII. Nergel Dea erat culta ſub exuviis gallinæ ſilveſtris, ſi Rabbinis & Interpretibus nonnullis fides habeatur. Malunt alii, ignem eſſe perpetuum, cultum a Perſis in honorem Solis. Hebræum *Nergal* exprimere ſane poteſt lampadem, & fulgentem, revolventemque ſe ignem.

Aſima. XIV. Aſima ſive Mendes aliis eſt hircus ſine vellere, aliis ſimia, aliis agnus, aliis ſatyrus, vel Pan Poetarum Deus.

Nebahaz. XV. Nebahaz canis figuram retuliſſe, tradunt Judæi; cujus opinionis unicum reddunt argumentum, Hebræum ſcilicet *Nabach* exprimere latrare. Notum eſt, Anubin Ægyptiorum Numen canino ritu præditum fuiſſe. Nebahaz non male derivaretur ex *Nebo* celebri Babyloniorum Numine, & ex *Achaz*, cepit, poſſedit. Hanc ſi ſequamur etymologiam, nomen Nebahaz vertendum erit, *Deus Poſſeſſor*, vel *Rerum omnium Dominus*.

Tharthac. XVI. Tharthac aſinino capite Numen, inquiunt Hebræi. Facile autem confunderetur cum *Sar-ſak*. Porro *Sar* Hebraice eſt Princeps; *Sak* vero facile nomen erat ſive Regis,

(*a*) Boch. de Animal. p. 1. l. 1. c. 16.

(*b*) Lyran. Malv.

gis, ſive Numinis in Babylonia celebris. Jeremias meminit Dei Seſach (*a*); Seſach autem Lunam ſignificare putamus. Olim ſolemnia quædam nomine *Sacæa* Babylone celebrabantur, Saturnalibus Romanorum ſimillima. Impenſum in illis cultum *Anaïdi*, quæ eadem eſt cum Diana, & Luna, Strabo teſtatur (*b*).

Adramelech & Anamelech.

XVII. Adramelech ſimulacrum erat Muli, vel Pavonis, juxta Hebræorum placitum; Adramelech vero Equi, vel Phaſiani, aut Coturnicis. Juno in Pavone & Phaſiano exprimebatur. Nomen Adramelech eſt Rex magnificus, quo Solem deſignare credimus; Anamelech vero exprimens Regem pium, clementem, Lunam facile exhibet. Cum autem Sepharvaimitæ Diis ſuis Adramelech, & Anamelech filios ſuos comburerent, ex victimarum affinitate, quibus litabatur & Moloch Deo Ammonitarum, & Saturno Phænicium, in eam perſuaſionem inducti ſunt plures, unum idemque Numen varia ea nomina adſciviſſe. Extant de Idolis, quæ Samaritani colebant, hi verſiculi:

Numina, quæ Samaria colit, vis ſcire? Tuere
Semihominemque aſinum, Semihominemque canem.
Et Capriceps, Gallina, Pavo, ſaxumque Trigonum,
Et Sydus Cæli: Numinis illa loco.

XVIII.

(*a*) Jerem. XXV. 26. & LI. 40.

(*b*) Strabo l. XI. Athen. l. 14. c. 10.

An Samaritani reſipuerint?

XVIII. Quamdiu autem Samaritani Idololatriam cum veri Dei cultu retinuerint, incertum. Regreſſis tamen e captivitate Judæis, ſuperſtitionem jam abjeciſſe videntur; eo enim nomine Judæos ut ſocios ſe in Templi ædificatione adhiberent, etiam atque etiam rogarunt, quod dicerent, ſe jam inde ab Aſſaradone veram Religionem proſecutos fuiſſe (*a*). Neque ſane Scriptura exinde cultum Idolorum populis illis vitio vertit, quanquam aliorum criminum reos agat. Ex veteribus nonnulli, ut S. Epiphanius, & S. Auguſtinus, Samaritanos in cenſu hæreticorum habuerunt. Et quidem, ſi ſacros Libros, excepto Pentateucho, rejiciunt, ſi Deum corporeum faciunt, ſi Spiritum ſanctum, reſurrectionem mortuorum, Angelorum exiſtentiam, Animarum immortalitatem, negant, quemadmodum a quibuſdam accuſantur, certe hæretici habendi ſunt, atque ab ipſorum Judæorum fide, nedum a noſtra alieni. Ipſe Chriſtus illos a ſalute excluſiſſe videtur, dum ait: *Salus ex Judæa* (*b*).

Samaritani adhuc ſuperſunt.

XIX. Adhuc Samaritani nonnulli in Sichem, ſive Neapoli Palæſtinæ ſuperſunt, quibus ex genere Aaronis, ut ipſi quidem jactitant, ſummus Sacerdos in monte Garizim præſidet. Ab eo vero Paſcha & ceteræ ſolemnitates Samaritanis ibidem commorantibus, alibique diſperſis denuntiantur.

Eze-

(*a*) I. Eſdræ IV. I. Calmeto,
(*b*) Joan. IV. 22. cum

Ezechiæ Pietas. A Sennacheribo invaſus Angeli ope liberatur. Æger ſanatur. Solis retrogradi prodigium. Regis vanitas. Obitus.

C A P. XV.

I. EZechias annis viginti quinque natus patri Achaz ſucceſſerat, tenuitque Regnum undetriginta annis. Primas Regni curas pius Rex, ut alter David, in eo poſuit, ut Templo Domini, quod pater ipſius expoliaverat, clauſeratque, ornatum & cultum redderet (*a*). Recluſit igitur fores Templi, aureiſque laminis reſtauravit, mandans ſimul Sacerdotibus & Levitis, ut loca ſancta purgarent, omniaque offerendis de more ſacrificiis diſponerent. Sacerdotes igitur & Levitæ primo purgarunt Atria, quod octo dierum opere abſolutum eſt. Interiori deinde Templo manum admovere. Sed cum Levitis pedem intro ferre vetitum eſſet, Sacerdotes ad veſtibulum ſordes deferebant, aſportandas a Levitis, projiciendaſque in torrentem Cedron, ceu in locum immundum. Quo in opere octo pariter dies inſumpti ſunt. Vaſa quoque ſacra, omnemque Templi ſupellectilem rite paraverunt.

ANNO MUNDI 3278. ante Chriſtum 722.

Ezechias cultum Templo Domini reſtituit.

II. Oblati deinde a Rege & Principibus Juda ſeptem tauri, totidemque arietes, agni, & hirci, in Regis, Sacerdotum, & Populi expiationem. Multitudo autem, præter ſeptuaginta tauros, centum arietes, & ducentos agnos

Religionis exercitium innovatur.

(*a*) 2. Par. XXIX. 4. Reg. XVIII.

gnos in holocauſtum, obtulit ſexcentos boves, & tria millia ovium in hoſtias pacificas. Dum vero alii ex ſacris Miniſtris victimas offerrent, ceteri laudes Domini decantabant, & muſicis inſtrumentis ludebant. Gaudebat autem Ezechias, & omnis populus, quod pleno omnium aſſenſu, brevique unius menſis ſpatio cultus Domini eſſet reſtitutus. Cum tamen ſacrum miniſterium pluribus annis intermiſſum fuiſſet, rari tunc Hieroſolymis reperti ſunt Sacerdotes; & qui aderant, non omnes erant expiati, immuneſque a maculis: quare ex Levitarum ordine aſſumpti fuerunt, qui in eo munere Sacerdotibus pro illa vice ſociam operam præberent.

Ezechias diſſipat Excelſa, & æneum Moyſis Serpentem confringit.

III. Excelſa etiam diſſipavit Ezechias, non modo ea, quæ Idololatriæ & impietati conſecrata erant, ſed & quæ imbecillitas prædeceſſorum ſuorum, quorum etiam major fuerat pietas, toleravit, ſpecioſo illo nomine, quod loca eſſent olim Domino dedicata. Tanto autem in Idola exarſit odio, ut ipſum quoque Moyſis Serpentem æneum, quam ſuperſtitioſus populus thure, & cultu ceu Numen conſecraverat, confringendum præceperit, confractoque nomen indidit, *Noheſtam*, id eſt, *Hoc modicum neſcio quid æris*. Extat Mediolani in Templo Ambroſiano æneum quoddam ſerpentis ſimulacrum, quod ipſum eſſe Moſaicum fertur.

Paſcha ſecundo mẽſe celebratur.

IV. Cum Paſcha die decima quarta primi menſis minime potuiſſet celebrari præ temporis anguſtia, Ezechias de conſilio principum univerſique populi Feſtum illud intimavit ad

quar-

quartam decimam ſecundi menſis ex Legis præſcripto permittentis, ut juſtis intervenientibus cauſis Solemnitas illa ad alterum menſem poſſit transferri (*a*). Vocandis igitur ad Paſcha Hebræis, undique per Juda & Iſraelis præcones miſſi ſunt. Ex Judæ Regno omnes convenere; plures etiam ex Regno Iſraelis, Oſee, qui tunc imperabat, minime repugnante; at ceteri riſu & ſubſannatione Ezechiæ nuntios exceperunt. Inita Azymorum ſolemnitate populus Altaria omnia, quæ Hieroſolymis ſupererant, evertit, projecitque in torrentem Cedron. Cum vero plures Hebræi, maxime qui ex Regno Iſraelis venerant, legali macula eſſent infecti, prohiberenturque idcirco per ſe ſe victimam paſchalem immolare, id muneris Levitis commiſſum fuit, ex quorum manibus exceptum ſanguinem Sacerdotes ad baſim Altaris fundebant. Vetuerat quidem Moyſes, ne immundi e rebus ſacris participarent, neve ſacra limina contingerent, niſi cauſa ſe ſe expiandi; & cum quædam eſſent maculæ, quarum expiatio non adeo expedita erat & facilis, accidit ut plures e Sacrificii paſchalis communione excludi debuiſſent (*b*). Sed Ezechias legalia hæc negligenda cenſuit in eo rerum articulo, cum de revocandis ad Domini cultum pleriſque Tribubus, quæ jam pridem Religioni terga verterant, ageretur; qui ſi domum redire coacti fuiſſent, Paſchatis participa-

(*a*) Exod. XXIX. 1. Lev. VIII. 3. Num. VIII. 6. Par. XXX.

(*b*) Calm. in 2. Par. XXX. 17. Lev. XV. 31. Num. IX. 9.

cipatione fruſtrati, nunquam fortaſſe deinceps Hieroſolymam reverſi fuiſſent. Preces tamen ſuas Ezechias Domino obtulit, orans ne ob hanc irreverentiam populum puniret; nec fruſtra quidem, cum nemo ea de cauſa tunc interierit. Ingens ſane erat Sacerdotum & Levitarum labor, eorum præſertim, qui voce & inſtrumentis modulabantur; ſed Rex, qua erat humanitate & comitate, adeo illos pellexit, ut Feſtum ad dies quatuordecim prorogarent, id ultro tota multitudine approbante; cui Ezechias præbuit mille tauros, & ſeptem millia ovium; quod liberalitatis exemplum imitati Principes, alios mille tauros, & decem millia ovium addidere mactanda in hoſtias pacificas, & in cibum de more diſtribuenda. Tanta autem fuit populi lætitia, & Solemnitatis pompa, ut numquam tale quid poſt Salomonem viſum fuerit. Reduces inde Hebræi, in civitate ſua quiſque Idololatriæ reliquias ſummovit, Oſee Iſraelis Rege populi ſui correptionem non inique ferente, ſive quod timor Regis Aſſyriorum animum ipſius dociliorem effeciſſet, ſive quod Ezechias de illius conſenſu omnia tentaret.

Ezechias Templi cultui, & Miniſtrorum annonæ proſpicit.

V. Promovendo Templi cultui ſtudens Ezechias, miniſtrandi ordinem, a Davide, & Salomone Levitis & Sacerdotibus præſcriptum, innovavit. E ſuo cenſu impenſas victimarum matutinæ & veſpertinæ, omniumque dierum feſtorum præbuit. Annonæ quoque Sacerdotum & Levitarum conſuluit, legibus Decimarum, & Primitiarum ad omnimodam executio-

tionem revocatis (*a*). Populus autem in illis conferendis adeo promptus & liberalis fuit, ut de novis horreis conſtruendis Ezechias cogitaverit, qui & quibuſdam Levitis commiſit, ut omnia cuſtodirent, diſtribuerentque inter Templi miniſtros, prout illorum domeſticorum, & familiarum numerus, comprehenſis etiam pueris puelliſque, modo timuli eſſent, exigeret. Hæc Ezechias in Regni ſui exordio.

VI. Poſt aliquot annos Rex movit in Philiſthæos arma, fuſoque eorum exercitu, victoriam quam longiſſime in hoſtilem regionem promovit (*b*). Excuſſit etiam Aſſyriorum jugum, impoſitumque Achaz patri ſuo a Theglatphalaſare tributum pendere recuſavit, inito clam fœdere cum Regibus Ægypti & Ethiopiæ, fidens tamen præſertim Dei auxilio, & cauſæ ſuæ æquitati. Quare Sennacheribus, filius & ſucceſſor Salmanaſaris, injuriam ulturus, anno Ezechiæ decimo quarto, armis in illum verſis, munitiſſimas Regni urbes occupavit. Veritus autem Ezechias, ne hoſtis Hieroſolymis victorem exercitum admoveret, muniendæ urbi, qua ſe tutaretur, nihil reliqui fecit. Annona igitur, armiſque cujuſcumque generis comparatis, reparato muro, excitatis turribus, additoque aggere, militibus duces fortiſſimos præfecit, fontes extra urbem, ne uſui hoſtibus eſſent, obſtruxit, deſpondentemque animis populum vehementi concione firmavit, qua ſibi opem Dei, ejuſque Angelorum,

ANNO MUNDI 3291. ante Chriſtum 709.

Ezechias tributum Aſſyriis pendere recuſans, armis a Sennacheribo impetitur.

(*a*) 2. Par. XXXI. 3. (*b*) 4. Reg. XVIII. 8. Reg. IX..

rum, viribus hoſtium longe ſuperiorem ſpondebat (*a*).

Rapſacis blaſphemiæ.

VII. Metuens tamen longi ac moleſti belli pericula, expectatoque fruſtra a fœderatis Regibus auxilio, pacem emere decrevit, miſſiſque ad Sennacheribum, obſidione Lachis, urbis Juda, tunc occupatum, nuntiis, crimen ſuum faſſus, imperata ſe facturum promiſit. Ille trecenta argenti, & triginta auri talenta indixit, quæ ab Ezechia exhauſto regio Ærario, evulſiſque, quas ipſe antea Templi foribus affixerat, aureis laminis, ſoluta ſunt. Verum quaſi ea pecunia data fuiſſet, ut præteritis tributis, ab Ezechia negatis, ſatisfaceret, Rex Aſſyriæ promiſſis minime ſtans, miſit Hieroſolymam nuntios Tartan, Rabſaris, & Rabſacen, quorum primus Tributis, alter Eunuchis, & ultimus Pincernis præerant, eiſque copias adjunxit, ut cogerent Ezechiam ad deditionem, & ad Urbem ſibi aperiendam. Rabſaces igitur ad agrum Fullonis ſe ſiſtens, Regem ad colloquium poſtulavit; qui e re eſſe non judicans urbe egredi, Eliacimo domus Regiæ Præpoſito, Sobnæ ſcribæ, Joahe a Commentariis, negotium commiſit. Hos arrogantibus verbis alloquutus Rabſaces, Regis ſui potentiam exaggeravit. Ezechiam vero adeo viribus deſtitutum, & imbecillem dicebat, ut etſi 2000. equi ab Aſſyriis illi exhiberentur, vix totidem viros eorum ſeſſores colligere poſſet. Fruſtra Judæos Ægypti Regi fidere, baculi inſtar arundinei illis futuro, qui ſcilicet ſub

(*a*) Iſa. XXXVI. I. 4. Reg. XVIII. 13. 2. Par. XXXII.

ſub incumbente confractus manum ferit. Fruſtra etiam illos ſibi blandiri ſpe adjutorii Dei, cujus in collibus dicatas Aras Rex Ezechias ſubverterat, quove jubente Sennacheribus expeditionem in Judæam ſuſceperat. Hæc Rabſacen Hebraico ſermone effutientem rogaverunt Ezechiæ Legati, ut vernacula Syrorum lingua, ipſis non ignota, uteretur. Metuebant enim, ne verba illius, ad artificium dolumve compoſita, injicerent in populum e ſuperioribus mœnibus audientem, faces ſeditionis, vel ſaltem eum plus nimio terrerent. Verum ille, non ad Regem tantum, ſed & ad populum univerſum ſe miſſum dixit, ut omnes ab imminenti periculo cautos redderet. Quare voce magis elata ad populum converſus, ut Sennacheribi imperio ſe ſe ſubmitterent, neve vana promittenti Ezechiæ crederent, etiam atque etiam hortabatur. Tutiores, dicebat, quietis partes eligite. Alio quidem vos transferet Sennacheribus; ſed ſi ſpontaneam feceritis deditionem, ejus nomine tales ſpondeo ſedes, ut avitis in nullo cedant. Qui fieri poſſit, ut Deus, cujus opem Ezechias vobis promittit, contra Sennacheribum vos tueatur? Ubi ſunt Dii Emath, Arphad, Sepharvaim, Anæ, Avæ, Samariæ? An addictas ſibi gentes a manu Regum Aſſyriorum liberare valuere?

Ezechias ad Deum confugiēs, confirmatur ab Iſaia Propheta.

VIII. Blaſphemis his verbis auditis, Legati juxta ſibi datum a Rege præceptum nihil reſponderunt, ſed ſciſſis veſtibus ad ipſum omnia retulere; qui præ dolore & ipſe veſtes diſcidit, indutuſque ſacco Templum adiit,

omnia ſimul, quæ Rabſaces blaſphemaverat, Iſaiæ per eoſdem Legatos, & nonnullos Sacerdotes aperiens, ſe ſeque & miſeras Jacobi reliquias ipſius orationibus commendans. Propheta autem futurum prædixit, ut Deus in blaſphemiæ ultionem inderet Sennacheribo ſpiritum terroris; quo impulſus impius Rex de reditu ad propria deliberare cogetur, violenta morte ibi interiturus (*a*).

Ezechias iterum ad Templum confugit. IX. Inter hæc, Sennacheribus, demiſſa Lachis, exercitum duxit ad Lebnam, aliam Juda urbem, quo illum convenit Rabſaces, requiſituſque de Ezechiæ reſponſis, nullum ab eo datum reſponſum ſignificavit. Dum vero in obſidione Lebnæ perſeveraret, certior factus eſt, Tharacum Etiopiæ Regem accedere, & copias adverſus ſe ſe adducere. Quare ſoluta obſidione arma vertit in hoſtem; ſimulque ad Ezechiam minaces impiaſque litteras miſit, quibus dicta a Rapſace confirmans, Regem iterum iterumque monebat, ne ſe Dei adjutorio fideret, cum ſimili ope fultæ ceteræ gentes ſuis nihiloſecius armis ceſſiſſent. His litteris Ezechiæ redditis ad Templum de more confugit, Deum exorans, ut ab inſolentiſſimo, omniumque efferato hoſte populum ſuum liberaret, cum ipſe non conſtaret, ut ceterarum gentium Dii, lapide, lignove, ſed eſſet ſupremus omnium Dominus, a nullius pendens imperio.

Iſaias iterum Regem confirmat. X. Iſaias autem Regem magis confirmaturus, hæc a ſe in Sennacheribum dicta renuntia-

(*a*) Iſa. XXXVII. 4. Reg. XIX. 2. Par. XXXII.

tiari juſſit. Cui illuſiſſe credis, Sennacheribe? Quem impetiſti? In quem vocem oculoſque erexiſti? In Sanctum Iſraelis. Dominum contempſiſti. Te curribus tuis montium cacumina, Libanumque ipſum excurriſſe gloriaris, illius cedros altiſſimas, abieteſque ſuccidiſſe; fontes quoque exhauriſſe, militibuſque ſuis fluvios exſicaſſe. An me omnia hæc diſpoſuiſſe, atque ab æterno ſtatuiſſe, ignoras? Molimina tua omnia, cœpta, geſta, decreta longe ante prævidi, tibique ut illa exequereris, vires ſuppeditavi. Deinceps autem in te ludam, annulumque inſeram navibus tuis, & camum ori tuo, ceu bubulo cuidam & equo, teque via, qua veniſti, reducam. Tu vero, Ezechia, confortare. Diripuit quidem Sennacheribus hoc anno agrum; nonnulla tamen ſuperfuere, quibus vitam utcumque ſuſtentare potes. Qui proximus ſuccedet annus, quieti ex Lege dicatus eſt; humum igitur non ſolicitabis, ſed comedes, quæ ſponte naſcentur. Tertio denique anno ſere, & mete; vaſtato licet agro, jacturas tuas proventuum ubertate reparabis. Rex Aſſyriorum Hieruſalem nedum non ingredietur, ſed nec tela in illam jaciet, nec aggeribus cinget; ſed qua acceſſit via, regredietur. Tandem Hieroſolyma, de qua actum eſſe credebas, ceu recentis ſtirpis matre, naſcetur populus novus, ejuſque filii longe lateque ſe ſe per totam regionem effundent. Hanc enim Urbem protegam, tum gloriæ Nominis mei cauſa, tum ob ingentia Davidis ſervi mei merita.

Angelus exercitum Sennacheribi occidit.

X. Dictis Iſaiæ ſua fides: ſequenti enim nocte Angelus Domini in caſtra hoſtium immiſſus, centum octoginta quinque virorum millia occidit (*a*). Porro de hac cæde varii varia opinati ſunt. Igne cælitus demiſſo Aſſyrios in cinerem favillaſque redactos, mira tamen ratione, ut abſumptis ſcilicet corporibus, intactæ remanerent veſtes, Iſraelitis in prædam deſtinatæ, docent Rabbini. Peſtis, ſive interioris morbi plagam in illos immiſſam, alii ſuſpicantur. Sunt qui credant, ſubita procella illos fuiſſe turbatos, ex quo factum, ut veris inter ſe armis, cæcis ictibus, mutuiſque vulneribus ſe confecerint. Tonitru quatientis fragore diſperſum fuiſſe exercitum, affirmat Talmud Babylonicum. Urenti, averſoque vento id tribuunt nonnulli, cujus immodico æſtu modo etiam frequenter in illa regione ſuffocantur, delenturque interdum confertiſſimæ illæ Turcarum Caravanæ, quæ ad Mecham peregrinantur. Quidquid autem illud fuerit, quo Sennacheribi exercitus abſumptus eſt, ab Angelo exterminatore, ſive bonus ille fuerit, ſive malus, juſſu Dei inductum fuiſſe, nulli ambigimus.

ANNO MUNDI 3292. ante Chriſtum 708.

Sennacherib a filiis occiditur.

XI. Mane ſequentis diei experrectus Sennacheribus, ſeque inter occiſos milites pene ſolum nactus, fuga ſe Niniven recepit, ubi Iſraelitas captivos invidia exitii ſui oneratos, indicta perſecutione afflixit (*b*). Sed intra duos menſes, eum in Templo Dei Neſroch adorantem, duo ipſius filii Adramelech, & Sara-

(*a*) 4. Reg. XIX. 35. (*b*) Job. I.

Saraſar, Idolo a patre, ſi Rabbinis fides, deſtinati, occiderunt; quibus in Armeniam ſecedentibus, Regnum ad Aſſaradonem translatum eſt. Quid autem Numinis eſſet Neſroch, ignoramus. Baſnagius tamen cenſet, confundendum cum Jano, repræſentato emblemate Arcæ Noemi, ideo forte quod Noe utrumque Mundum viderit, egeritque vitam ante & poſt Diluvium; notum eſt enim, Janum biceps fuiſſe Numen, ut retro & ante ſpectaret.

XII. Eodem tempore, quo Ezechias angebatur Aſſyriorum metu, morbo letali, quem alii putant ulcus, alii pleuritidem, alii luem, anginam, epilepſiam, correptus eſt. Decumbentem Iſaias inviſit, ſimulque ut de rebus domus ſuæ diſponeret, monuit: *Morieris enim tu*, inquit, *& non vives* (*a*). Quod tamen nequaquam abſolute a Propheta pronuntiatum, credendum eſt, ſed ſub quadam conditione; quaſi diceret: Morbus letalis quidem eſt, ſi naturalis cauſarum ordo ſpectetur, nec valetudo niſi ab uno tantum Deo expectanda eſt. Hæc audiens Rex, verſo ad parietem vultu, in lacrymas effuſus Deum rogavit, ne conſtantis, fideliſque ſui in illum obſequii oblivi- ſceretur. Cum eſſet adhuc improlis, Rex maxime dolebat, quod in ſe ipſo Davidis propago deficeret, atque ita perirent grandes illæ ad Davidem promiſſiones de Meſſia Iſraelis Liberatore. *Ezechias ægrotat.*

XIII. Interim Iſaias e cubiculo ægrotantis egreſſus, cum ad medium veſtibuli perveniſ- *Orante Iſaia Rex ſanatur.*

 ſet,

(*a*) Iſa. XXXVIII. 4. Reg. XX. 2. Par. XXXII. 24.

ſet, Dei juſſu reverſus eſt ad Regem, eique manifeſtavit, preces ipſius adeo exaudiiſſe, ut tertio ab hinc die ad Templum poſſet aſcendere, & vitam ad alios quindecim annos prorogare. Ejus rei pignus exhiberi ſibi aliquod Rex poſtulavit, factaque a Propheta illi eligendi poteſtate, num ſcilicet mallet Solis umbram in horologio patris ſui Achaz retrorſum decem lineis agi, an æquo ſpatio prætergredi, ille primum, utpote factu difficilius, elegit. Nec mora, orante Propheta umbra retrogradu curſu decem linearum ſpatio receſſit. Interim Iſaias ficorum maſſa Regis morbo applicata, ipſum incolumitati reſtituit.. Quamvis autem ficus ad eam rem utiles eſſe potuerint, prodigium tamen agnoſcimus, ob id ſaltem, quod id remedii Iſaiæ e Deo indicatum fuerit, ſubitamque valetudinem Principi largitus ſit. Occaſione recuperatæ ſalutis ſcriptam a ſe odem edidit Ezechias, quæ incipit: *Ego dixi, in dimidio annorum meorum vadam ad portas Inferi*: in qua primum ægritudinem & perturbationem animi ſui ex morbo conceptam, preceſque ſuas ad Deum exponit; deinde beneficium acceptum narrat; poſtremo fidem in Deum profitetur, & gratias ei immortales ſpondet.

Quænam Horologii Achaz figura?

XIV. Cujus autem formæ horologium Achaz eſſet, Scriptores non conveniunt. Nonnulli enim Scalam fuiſſe autumant, ea arte conſtructam, ut umbra a Sole projecta horas notaret. Alii Columnam malunt in pavimento conſtanti erectam, quæ umbram demittens, horas in eodem pavimento deſcriptas, quas

gra-

gradus Scriptura appellat, indicaret. Grotius ita illud ex Rabbi Elia Chomer deſcribit. Hemicyclus erat ſpheræ concavæ, globum in medio tenens; cujus umbra in lineas cavitati adſcriptas incidebat. Hoc horologii genus fere reſpondet horologiis, quæ Græci *Scaphas*, Cymbas ſcilicet, ſive *Hemiſpheria* a Beroſo Chaldæo inventa appellant (*a*). Sed non niſi temere certe aliquid de ejus figura affirmaretur.

Solne, an umbra tantum receſſit? Spinoſæ ſyſtema improbatur.

XV. Majus negotium facit hujus retrogradationis ratio. Duplex potiſſimum obtinet inter Catholicos Interpretes ſententia. Quidam Solem ipſum curſum vertiſſe ajunt; ceteri, receſſiſſe tantummodo umbram. Quare prodigii ratio, ſi hos audias in eo ſita erat, quod Solis radii nubis cujuſdam, ſubita opera comparatæ, oppoſitione refracti, illud in horologio phænomenon induxerint. Spinoſa autem acerrimus ille prodigiorum Scripturæ adverſarius, omni remoto miraculo rem totam parehelio deputat, ſive nubi, quæ immutatis naturæ legibus tum contigerit. Verum ſi res ita ſe haberet, Babylonii, Aſtronomiæ in paucis peritiſſimi, numquam Hieroſolymam veniſſent, de portento, quod acciderat, interrogaturi, ut mox dicemus. Tandem illud ſaltem, velit, nolit, ſupernaturale erat, Deum ſcilicet revelaſſe Iſaiæ effectum, quem ipſe futurum alias penitus ignoraſſet.

Quid lineæ in horologio notarent? Et an retrogradatio momentanea fuerit?

XVI. Sed numquid decem illæ lineæ horas totidem notabant? Hic ſane ſententiam omnem ſuſpen-

(*a*) Vitruv. l. 9. c. 9.

ſuſpendendam judica; nam lineæ illæ non horas modo, ſed & dimidias, quin & quartas, imo & octavas horæ partes, indicare potuere; quod plane neceſſarium erat, ſi mos dividendi diem in duodecim horas inæquales, quemadmodum & noctem, in ea regione ſervabatur (*a*). Incertum item eſt, an retrogradatio illa ſubitanea fuerit, & unico momento peracta, an potius lenta & ſucceſſiva. In hanc tamen partem inclinamus; cum alioquin vix prodigium obſervari potuiſſet.

Ezechias theſauros ſuos Babyloniis oſtēdit.

XVII. Cum Merodachus, ſive Berodach-Baladan Rex Babylonis, Ezechiam amicum ſuum valetudinem recuperaſſe intellexiſſet, epiſtolas & munera ad illum miſit gratulaturus, & ut de prodigio retrogradi Solis doceretur. Eo officio Ezechias nimium delectatus, omnes Regiæ domus theſauros, aromata, vaſa, & quidquid pretioſi, & rari in ſcriniis recondebatur, coram nuntiis expandit. Inanem hanc pompam reprehendens Iſaias, futurum prænuntiavit, ut nedum ea omnia in Ærarium Regis Babylonis tandem veherentur, ſed & poſteri Ezechiæ Eunuchorum munere in illius Aula fungerentur. Ad quem Ezechias: Latæ a Deo ſententiæ acquieſco; id ſolum rogo, ut mala hæc a capite meo avertat, & quos mihi vitæ dies decrevit, pacificos, & quietos agere patiatur.

ANNO MUNDI 3306. ante Chriſtum 694.

Ezechias poſt ingētia Judæis facta beneficia diem claudit.

XVIII. Ezechias laudatur ob collata ab illo regioni beneficia, firmata præſertim munitionibus Hieroſolyma, deductiſque immodico ſum-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 1. §. 1. n. 8.

ſumptu in Urbem aquis, facta illis per cæſas rupes via. Congregavit etiam immenſas divitias, ſtabula habebat refertiſſima, nonnullas præterea urbes conſtruxit. Tandem obiit, relicto Regni, non tamen Pietatis ſucceſſore filio ſuo Manaſſe annos duodecim nato. Tanto Regi juſta populus ſolemni pompa celebravit, ejuſque cadaver in loco editiori, quam reliqua ſuperiorum Regum, collocavit.

Manaſſis impietas, captivitas, pœnitentia, & redditus. Amon ſuccedit Manaſſi, poſt quem regnat Joſias religione inſignis. Volumen Legis reperitur.

C A P. XVI.

I. Manaſſes Regnum annis quinque & quinquaginta adminiſtravit. Peſſimum Achabi exemplum ſequutus, Idola, quibus nationes a Deo deletæ olim litarant, invexit; Fana in editis collibus ab Ezechia everſa, reſtituit; Altaria & Lucos Baali, aliiſque prophanis Numinibus conſecravit; Militiæ Cæli cultum exhibuit; filium ſuum in honorem Molochi per ignem traduxit; nec his contentus, Aras ſuperſtitioſas, & Aſtartes Idolum in ipſo Domini Templo erexit. Divinatione Magiæ, & hujus generis ſceleribus plurimum addictus erat, peſſimoque illius exemplo tota exterorum vitiorum eluvio in Regnum Juda erupit, ut corrumpendis populis, plus Manaſſis ſcelera, quam Chananæorum ſuperſtitiones value-

Anno Mundi 3306. ante Chriſtum 694.

Manaſſes omnium impiiſſimus regnat.

luerint. Quibus crimininibus veluti ultimam manum ſævities impoſuit; ſiquidem innocentum ſanguine Hieroſolyma exundavit (*a*).

Prophetæ terrent Manaſſē, ex quibus Iſaias interficitur.

II. Manaſſis impietate Dei furor tandem excitatus, ingentium malorum minis, Prophetarum voce Regem terruit, iis ſe calamitatibus Hieroſolymam, totumque Juda Regnum afflicturum denuntians, quorum vel ſola recordatio horrorem incuteret, quibuſque olim Achabi domum & Samariam mulctaverat, ſolo æquata urbe, traductiſque in captivitatem incolis. Fert communis majorum traditio, Iſaiam potiſſimum locum tenuiſſe inter Prophetas illos, qui Manaſſem ad meliorem frugem reducere conabantur; ob idque ab impio Rege in carcerem conjectum fuiſſe, mediumque lignea ſerra diſciſſum.

ANNO MUNDI 3329. ante Chriſtum 671.

Manaſſes Babylonē captivus ducitur.

III. Prænuntiata a Prophetis mala, anno vigeſimo ſecundo Regni Manaſſis in ipſum tandem Deus effudit; ſiquidem Rex Aſſyriæ Duces ſuos in Judæam miſit; a quibus comprehenſus Manaſſes, ferreiſque vinculis manus pedeſque conſtrictus, Babylonem ductus eſt. Ex Iſaia diſcimus, Aſſaradonem Regem Aſſyriæ miſiſſe Thartanum cum exercitu in Palæſtinam, & Azotum expugnaſſe. Idem etiam Ægypto, Ethiopiæ, & Idumææ arma intulit, ultionem ſortaſſe expetiturus e Tharaca Rege Ethiopiæ, ac e Rege Ægypti, qui cum Ezechia patre Manaſſis contra Sennacheribum arma junxerant (*b*). Facile ea occaſione Thartan

(*a*) 4. Reg. xxi. 2. Par. xxxiii.

(*b*) Iſa. xx. 1.

tan Hieroſolymam uſque progreſſus, cœpit Manaſſen, captumque abduxit, non Niniven, ſed Babylonem, quam, deficiente Babyloniorum Regum ſtirpe, Aſſaradon jam ſubjugaverat, duobus Imperiis Aſſyriorum, & Chaldæorum in ſe uno conjunctis.

IV. Detentus Babylone Manaſſes agnovit peccatum ſuum, ac veniam a Deo obtinuit. Concepta ab illo, uti fertur, ex imo carceris Oratio adhuc ſupereſt; ſed inter Canonicas Scripturas non recipitur, quamvis Eccleſia Græca inſervandam cenſuit in ſuo Euchologio, recitetque ut piam orationem. Manaſſen liberatum fuiſſe, certum eſt; quo autem modo & tempore, incertum. Comminiſcuntur Rabbini, illum, conjectum in vas æneum perforatum, ingenti rogo expoſitum fuiſſe, in iiſque rerum anguſtiis opem Deorum omnium poſtulaſſe, quibus olim prece & thure litaverat; ſingulorum vero imbecillitatem experto ſuccurriſſe opportune quæ verba olim a patre ſuo audiverat: *Cum quæſieris ibi* (in rebus adverſis) *Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris* (*a*). Quare ex animo ad Dominum converſus, ſtatimque ſolutus, translatus eſt in Regnum ſuum eodem prodigio, quo Habacuc Babylonem, id eſt apprehenſus crinibus, raptus per aerem (*b*). Auctor Operis Imperfecti narrat, flammam totum cinxiſſe Manaſſen, liquatiſque catenis, libertati reſtituiſſe (*c*). Apage fabulis. Nos bene-

Poſt pœnitentiam Manaſſes Regno reſtituitur.

(*a*) Deut. IV. 29.

(*b*) Vide Auctor. Tradit. Hebr. in lib. Paral.

(*c*) Homil. I. in Matth.

beneficium collatæ Manaſſi libertatis Saoſduchino, qui anno Mundi 3336. Aſſaradoni ſucceſſit, deberi credimus.

Rex a Manaſſe bene geſtæ.

V. Reſtitutus Regno Manaſſes evertendis Numinum aris, omnique eliminandæ Idololatriæ incubuit, nihilque permiſit, niſi Excelſa illa, quo populus vero Deo ſacrificaturus adire ſolebat; ſive quod veterem morem abolere non poſſet, ſive quod nimis eſſet ea in re populo indulgentior; quæ una res vitio illi poſt pœnitentiam vertitur. Hieroſolymorum mœnia firmavit, clauſitque eam partem Urbis ad Occidentem, quæ *Secunda Urbs* in Scripturis appelatur (*a*). Tandem Præfectos copiarum ſuarum in omnibus urbibus Juda conſtituit. Reliqua hujus Regis geſta late erant deſcripta in libris Hoſai, quem ab Iſaia quidam non diſtinguunt. Sermones autem, quibus Prophetæ illum allocuti ſunt Dei nomine, legebantur in Annalibus Regum Juda. Manaſſes diem clauſit Hieroſolymis, & ſepultus eſt in horto domus ſuæ, qui dicebatur *Hortus Ozæ*. Ibi fortaſſe Oza, qui Arcæ Domini temere manum admoverat, a Deo percuſſus interiit.

ANNO MUNDI 3361. ante Chriſtum 639.

Ferunt, Manaſſem quadam animi demiſſione hanc ſibi ſepulturam poſtulaſſe, ſplendido ceterorum Regum Mauſolæo recuſato. An autem Judith hiſtoria eo regnante contigerit, ſuo loco in examen vocabitur.

Amon Manaſſi ſuccedit.

VI. Mortuo Manaſſe regnavit Amon ipſius filius, annos natus duos ſupra viginti, qui reſti-

(*a*) Sophon. I. 10. 2. XXII. 24. Par. XXXIII. 14. 4. Reg.

reſtituit ſimulacra, & cultum ſuperſtitioſum, cui pater poſt pœnitentiam bellum indixerat. Cum per biennium regnaſſet, conjuratione oppreſſus eſt. In conjuratos autem populus animadvertit, atque occiſi Regis filium Joſiam, ex Idida filia Hadajach de Beſecath ſuſceptum, in Regno ſubſtituit. Porro Amon in Horto Ozæ, ubi pater ipſius, ſepultus eſt (*a*).

VII. Joſias octennis Regno aſſumpto omnes curas in id intendit, ut præclara Davidis exempla imitaretur; quam rectam viam ſemel inſtitutam numquam ad vitæ exitum uſque deſeruit (*b*). Regni ſui anno duodecimo Excelſa, Lucos, & Simulacra omnia, nedum Hieroſolymis, ſed & in univerſo Regno, prorſus evertit, atque eruta a ſepulcris prophanorum ſacerdotum oſſa in prophanis aris cremavit. Templi inſtaurationi, retroactis annis nimium neglectæ, ſedulo incumbens anno Regni decimo octavo mandavit Saphano Scribæ, & duobus ſociis, ut venia ab Helcia ſummo Sacerdote impetrata, omne metallum, quod privati quique contulerant, liquarent, purgarentque diligenter, atque operum curatoribus inter artifices diſtribuendum traderent. Noluit autem, ut ab illis pecuniarum expenſarum ratio exigeretur, quod viros integros, probatoſque ſciret.

Anno Mundi 3363. ante Chriſtum 637.

Sublato Amon regnat Joſias religione inſignis.

VIII. Cum vero theſauri Templi evolverentur, accidit, ut Helcias inveniret *Librum Le-*

Anno Mundi 3380. ante Chriſtum 620.

Liber Legis reperitur.

(*a*) 4. Reg. xxi. 19. 2. Par. xxxiii. 21.

(*b*) 4. Reg. xxi. 12. Par. xxxiv.

Legis per manus Moyſis (*a*), hoc eſt autographum, ut omnes fere interpretantur. Poſtquam Moyſes ſequeſter fuit primi fœderis in Horebo conciliati inter Deum & populum, Tabulas Legis, digito Dei ſcriptas, in Arca condidit. Innovandum autem cenſuit illud fœdus in campeſtribus Moab, paulo ante obitum ſuum, ejuſque innovationis ſcriptum volumen ad latus Arcæ collocandum curavit (*b*). Librum hunc Helcias reperiiſſe creditur in aliquo pariete, aut capſa, prope ipſam Arcam, quæ tunc temporis extra conſuetum locum jacebat, cum eo reſtitui deinceps juſſerit Joſias (*c*). Helcias manibus Saphani Librum remiſit, qui poſtquam illum legiſſet, ad Regem detulit, iterumque coram ipſo legit. Audiens autem Joſias quæ in eo continebantur, veſtes diſcidit, verſuſque ad Helciam ſummum Sacerdotem, Abicam Sephani filium, Acobor filium Michæ, & Aſaium domeſticum ſuum: Ite, inquit, conſulite Dominum pro me, & pro univerſo populo de iis, quæ nobis perlecta ſunt; exarſit enim ira Domini in nos, quod patres noſtri ſurdas præbuerint aures vocibus hujus Libri, renuerintque ſubmittere ſe ſe illius præceptis.

Poſt conſultam Holdam Joſias fœdus cum Deo innovat.

IX. Contulerunt ſe illi ad Holdam Prophetidem uxorem Sellum cuſtodis veſtium, expoſueruntque omnia quæcumque Rex mandabat (*d*). Quibus femina reſpondit, iis quidem malis,

(*a*) 2. Par. XXXIV. 14.
(*b*) Deut. XXXI. 26.
(*c*) 2. Par. XXXV. 3.
(*d*) 2. Par. XXXIV. 14. Calm. in 4. Reg. XXII. 14.

malis, quæ ex volumine illo Rex audierat, Hieruſalem ob Idololatriæ ſcelus conterendam fore; Regem tamen, quod minis auditis ingemuerit, veſtibuſque diſciſſis veniam rogaverit, in ſepulcrum patrum ſuorum pacifice ante Urbis excidium inferendum. Hoc accepto reſponſo Rex Seniorum Juda & Hieruſalem cœtum in Templum vocavit, quo pariter ipſe ſe ſe contulit, una cum univerſo Urbis populo, ne uno quidem excepto, conſcenſoque regio Tribunali, cunctis audientibus inventum Librum per ſe legit; qua lectione abſoluta fœdus cum Deo ſolemniter innovavit, populum obſtringens promiſſione nunquam ſe commiſſurum, ut præcepta eo libro contenta reſpueret.

An Scripturæ omnes, præter unicum Codicem, perierint?

IX. Non convenit inter Scriptores, an Helcias totum Pentateuchum repererit, vel partem tantummodo illius, puta nonnulla Deuteronomii capita, ubi maledictiones in prævaricatores Legis intorquentur. Majoris autem momenti eſt alia controverſia, num ſcilicet Achaz, aut Amon, vel quiſpiam alius Regum non contentus violaſſe Legem Domini, bellum etiam indixerit Scripturis divinis, illaſque omnes, excepto Codice ab Helcia fortuito invento, deleverint. Ægre autem mihi perſuaſerim, Codices Legis Moſaicæ intercidiſſe adeo, ut alii non ſupereſſent, ſive apud Sacerdotes, ſive apud Prophetas, ſive in Templo. Conſtat namque, vulgares maxime fuiſſe ſub Joſaphato, qui Optimates, Sacerdotes, & Levitas miſit per omnes urbes Juda & Benjamin,

habentes Librum Legis Domini, ut conſona Moyſi docerent, ſtatuerentque (*a*). Neque unquam affirmat Scriptura, Regem aliquem quæſiiſſe Libros ſacros, ut combureret. Credibile ne eſt, ipſum Joſiam, qui ſtatim ab Imperii ſui exordio præclare adeo cultum Dei moderatus eſt, quique abolita Idololatria & ſuperſtitione priſtino nitori Religionem reſtituit, hæc omnia ne viſis quidem voluminibus præſtitiſſe? An late adeo regnavit iniquitas, ut ipſi quoque Prophetæ, piique homines, quibus nil erat Lege, Deique cultu antiquius, e manibus ſuis ſacrum Legis Codicem elabi paterentur? Nonne Sacerdotum, Levitarumque proventus ex ſacris Codicibus pendebant? Qui ergo fieri potuit, ut eos omnino negligerent, amitterentque? Cur ergo, inquiunt, ex Codicis illius aſpectu, & lectione tanta admiratio & obſequium Joſiæ excita ſunt? Repono, id facile contigiſſe, quod Codex autographus eſſet, ipſiſſimus ſcilicet, quem ſua manu exaraverat Moyſes; vel quod caſu lectio incideret, ut autumant Rabbini, in eam Deuteronomii partem, quæ horrendis minis, acerbiſque objurgationibus in Legis refractarios referta eſt (*b*).

Idololatriæ reliquias Rex eliminat.

X. Poſt innovatum fœdus Joſias omnibus, quæ adhuc in Juda ſupereſſent, Idololatriæ reliquiis prorſus eliminandis inſiſtens (*c*), aras, & vaſa omnia Baalis, Aſtartis, & Militiæ Cæli, e Templo ad torrentem Cedron aſportari

(*a*) 2. Par. XVII. 9. XXX. XXXI.
(*b*) Deut. XXVIII. XXIX. (*c*) 4. Reg. XXIII.

tari juſſit, ibique comburi; cineres vero, ſordeſque hujus loci, qui Urbis erat cloaca, deferri voluit in Bethel, ubi Vitulorum Aureorum cultus magis vigebat, ut locus abominabilior redderetur. Ipſius etiam Aſtarthis ſimulacrum e loco ſancto in eamdem Cedron vallem translatum cremavit, redegitque in pulverem, quam deinde ſuper vulgarium hominum ibi conditorum ſepulcra diſperſit. Effeminatorum tentoria, ſive proſtibula, in ipſis Templi atriis erecta, evertit; aruſpices, atque aſtrorum cultores delevit; Sacerdotes qui in Excelſis, quamvis vero Deo, immolaverant, ab Altari prohibuit, ſuppeditatis tamen illis ex Templi redditibus quæ ad tolerandam vitam eſſent neceſſaria. Vir quidam Joſue magnæ auctoritatis in Hieruſalem ædes ſuas, ædiumque oſtium habebat ad ſiniſtram portæ urbis, ac prope oſtium erant Altaria publica, & communia: hæc Rex, ut dejicerentur, mandavit. Tenent quidam, aras illas vero Deo dicatas fuiſſe; ſed ex Iſaia diſcimus, non ad portas urbium modo, ſed etiam retro poſt oſtia privatarum domorum ſua fuiſſe altaria, & ſimulacra prophana (*a*). Porro cuſtodes portarum apud Gentes erant Lares, & Penates, inter quos Janum & Hecatem, ſive Triviam, Dianam nempe & Lunam, maxime venerabantur Latini. Tophet & Hennon, loca quæ Cedron perluebat, ubi pueri & puellæ Molocho per ignem conſecrabantur, Joſias fædavit. Abſtulit pariter equos, combuſſitque

Cc 2 cur-

(*a*) Iſa. LVII. 8. LXV. II. LXVI. 17.

currus, quos impii Juda Reges inter aditum Templi, ædeſque Nathan-Melech eunuchi Soli ſacrarant. Judæi a Paganis, maxime vero a Perſis hoc ſuperſtitionis genus didicerant. Cenſent Rabbini, equos illos & currus deſtinatos fuiſſe, ut exorienti Soli occurreretur; ſed alii malunt, equorum & curruum picturas, vel ſimulacra fuiſſe. Contrivit etiam Idola, & Lucos, quæ Salomon ad dexteram Montis Olivarum Aſtaroth Sidoniorum, Chamos Moabitarum, & Melchom Ammonitarum Numinibus erexerat; quæ facile Ezechias everterat, ſed Manaſſes, vel Amon reſtituerat. Ut vero erga prophana loca major horror inderetur, ea mortuorum oſſibus referſit.

Joſias Domini cultum promovet & in Regno Iſraelis.

XI. Non ſatis autem habuit Rex pientiſſimus ab Idololatriæ ſordibus ditionem ſuam purgaſſe, ſed & ſtudia ſua promovit uſque ad Regnum Iſraelis, evertendo quidquid erat ibi Idolis conſecratum, omniaque de more oſſibus mortuorum polluendo. Curavit autem potiſſimum, ut dejiceretur Altare a Jeroboamo Vitalis aureis in Bethel erectum, crematiſque in eo oſſibus Pſeudo-Prophetarum, e ſepulcris eorum erutis, inſigniter prophanavit. Quin credimus, Joſiam implendo vaticinio de ſe olim edito (*a*), vivos Sacerdotes Numinum ſuper Ara illa cremaſſe. Quo autem jure hæc præſtiterit extra ſui Regni limites, incertum. Propius tamen vero eſt, Joſiam poſſediſſe loca Samariæ, impetrata a Chaldæis, quibus fœdere junctus erat, diſpotica facultate in triſtes

(*a*) 3. Reg. XIII. 2.

ſtes illas veteris Regni reliquias. Niſi mavis dicere, Joſiam ea in re minus politicas regulas ſecutum fuiſſe, quam ſuam in Deum pietatem.

XII. Cum Rex lapidem quemdam ſepulcralem, ſeu terræ ſtruem, inter ſepulcra prophanorum Sacerdotum ſpectaſſet, cujus viri eſſet monumentum illud interrogavit; cui adſtantes reſponderunt, recondi in eo virum illum, qui Jeroboamo olim futurum prædixit, ut Rex quidam ex ſtirpe Davidis exurgeret, qui in ſacrilegam illam Aram ea præſtaret, quæ ab ipſo jam præſtita fuerant. Quibus auditis, Joſias illius cineres inquietari noluit; in quorum gratiam, & alterius Prophetæ ſepulcro pepercit, qui apud eum tumulari voluit (*a*).

Non inquietantur cineres viri, qui de Joſia prophetaverat.

XIII. Suis deinde populis edixit Joſias, ut Paſcha ea ſolemnitate peragerent, quæ in Lege præſcribitur. Hoc ſane Paſcha, quod decimo octavo Regni ſui anno celebravit, omnium magnificentiſſimum fuiſſe narrat Scriptura (*b*). Illud ſane a reliquis præcedentibus diſtinxit ingens Joſiæ liberalitas, quippe qui collecto frequentiſſimo populo victimas abunde diſtribuerit, mactatis triginta agnorum hædorumque millibus, tribus vero boum millibus. Regis autem exemplum imitati Duces & Magnates utriuſque ordinis ſacri, & prophani, ingentem victimarum numerum & ipſi ſuffecere. Mactatas autem, & corio nudatas hoſtias holocau-

Anno Mundi 3381. ante Chriſtum 619.

Paſcha omnium ſolemniſſimum celebratur.

(*a*) 3. Reg. XIII. II. 4. Reg. XXIII. 16.

(*b*) 4. Reg. XXIII. 21. 2. Par. XXXV. Levit. 1. 6.

locauſtis deſtinatas Levitæ reddebant populi familiis, ut per ſe illas ſiſterent Sacerdotibus in Altari cremandas. Porro munus detrahendi pellem proprium erat Sacerdotum, ſed Levitæ laborem hunc ſibi aſſumpſerunt, ut eo in tanta ſacrificiorum frequentia Sacerdotes levarentur. Nec ſolemnitati defuit Muſica & cantus juxta ritum a Davide Levitis præſcriptum.

Arca ſuis ſedibus reſtituitur.

XIV. Ea occaſione præcepit Rex ut Sacerdotes Arcam ſuis ſedibus reſtituerent, nec inde unquam removere auderent. Quis ſacrum illud depoſitum e Sanctuario removerit, prorſus latet, quamquam ejus ſceleris invidia Achaz, Manaſſes, & Amon onerentur. Facile Sacerdotes, cum ibi Idola ab impiis Regibus erectum viderent, ut Arcæ honori conſulerent, alio ipſam aſportandam cenſuere. Ignoratur pariter, quo loco Arca tum ſervaretur. Aliqui in ædibus Sellum, viri Holdæ Prophetidis, alii numquam elata e Templo arbitrantur, ſed neglectam in angulo Sanctuarii, vel in occulto Templi loco clauſam jacuiſſe; quod vero propius putamus.

Joſias occiditur in bello contra Nechaum ſuſcepto.

XV. Etſi nullus Regum ante Joſiam extiterit, qui pietate & juſtitia cum illo comparari valeat, populus tamen ſub tanto Principe vitia non abjiciebat, ſed animo celabat, ne prodirent in apertum. Quare Deus ſententiam, a ſe antea per Prophetas prolatam de perdendo populo & Hieruſalem, executurus, ſtatuit ab illis auferre ipſum Joſiam quo ceu firmiſſimo propugnaculo defenſabantur

tur

tur (*a*). Nechaus igitur Ægypti Rex, cum Aſſyriis, & Babyloniis bellum intuliſſet, ut urbem Charcamas ad Euphratem occuparet, Joſias, Regis Babylonis vectigalis, illi obſiſtere cenſuit; cui Nechao renuntiari juſſit, ſe non in ipſum, ſed in alios a Deo miſſum, arma movere: deſineret igitur, ne illius audaciam Dominus ulciſceretur (*b*). Ferunt Nechaum Jeremia auctore, vel aliquo alio Propheta, bello Charcamos oppugnaſſe. Cum vero hæc neſciret Joſias, nec aſſerenti hoſti fidem habendam putaret, ab inceptis non deſtitit. Quare inito prælio in Campo Maggeddo, Joſias letali telo confoſſus eſt, reverſuſque Hieroſolymam interiit, poſtquam regnaſſet annis uno & triginta. Optimum Regem Judæis ingenti luctu proſequutis, Jeremias canticum lugubre concinuit, quod adhuc ſupereſt, ſi illis credas, qui docent, Lamentationibus, quas præ manibus habemus, Joſiæ obitum Jeremiam ingemuiſſe; quod nobis tamen verum non putatur (*c*). Plures Joſia regnante floruere Prophetæ, Jeremias, Baruch, Joel, Sophonias, & Prophetis Holda. Quatuor filii fuerunt illi ſuperſtites, Joachaz, qui & Sellum, Eliacim ſeu Joachim, Sedecias, qui & Mattathias, & Johanan, qui forte junior obiit (*d*).

(*a*) 4. Reg. XXII. 20. Zachar. XII. 11. Ezech. XIX. 1. 14.

(*b*) 4. Reg. XXII. 29. 2. Par. XXXV. 22.

(*c*) 2. Par. XXXV. 24.

(*d*) Uſſer. ad an. 3371.

Joachaz, Joachimi, Jechoniæ, & Sedeciæ infortunia. Excidium Hieroſolymæ per Nabuchodonoſorem. Judæi in captivitatem adducti. Librorum Regum, & Paralipomenon Auctores.

CAP. XVII.

Anno Mundi 3394. ante Christum 606.

Breve Joachaz Regnum.

I. NEchaus Rex Ægypti poſt victoriam de Judæis in regione illorum non ſubſtitit, ſed proceſſit ad Euphratem, in expeditionem Charcamas. Interim Judæi loco Joſiæ inunxerunt Joachaz, qui licet ex fratribus ſuis major natu non eſſet, a populo tamen ceteris in Regno prælatus eſt, iis de cauſis, quas ſilenti Scriptura fruſtra divinare contenderemus (*a*). Annos tres & viginti natus erat, cum ſceptro manum admovit, & tres tantum menſes rebus præfuit. Nechaus enim victor ab Euphrate redux in Urbe Reblata, quæ ipſiſſima Apamea Syriæ ad Orontem creditur, conſtitit; quo vocatum Joachaz a Regno amovit, & catenis onuſtum in Ægyptum duxit, ſeu præmiſit, ubi miſer ille Princeps, qui malorum Regum numerum auxerat, tandem deceſſit. Tradunt Judæi, Joachaz exercitum duxiſſe adverſus Nechaum uſque in Ægyptum, ut mortem patris ſui ulciſceretur. Alii putant Nechaum idcirco Joachaz infeſtum fuiſſe, quod ſe inconſulto a Judæis Rex inauguratus fuiſſet.

II. Amo-

(*a*) 4. Reg. XXIII. 30. 2. Par. XXXVI. 1.

II. Amoto a Regno Joachaz, Nechaus Hieroſolymam adiit, ubi Eliacim, illius fratrem natu majorem, Regem conſtituit, qui ut deinde Joachim appellaretur, mandavit, ut Jehovæ, vero Iſraelitarum Deo, victoriam, de Aſſyrio partam, acceptam ſe referre teſtaretur; utrique enim nomini quædam litterarum elementa ſunt communia: vel potius, ut ſuam poteſtatem in Regem illum declararet, cum nomina dare rebus argumentum ſit auctoritatis & imperii. Regionem quoque Nechaus centum talentorum argenti, & unius talenti auri ſibi vectigalem fecit. Ad quam pecuniam comparandam Joachim inſolito tributo populum gravare coactus eſt. Viginti annorum ætatem agebat, cum Regnum adeptus eſt, ac undecim annis illud adminiſtravit. Joachimo multa ſcelera exprobravit Jeremias, quod magnificas domos pecunia extorta ædificaret, quod mercedem operariorum retineret, quod oculos in aurum intentos haberet, quodque in effundendo innoxio ſanguine, atque in peccatis omnis generis patrandis cordis propenſionem ſequeretur. Narrat etiam Jeremias, Prophetam quemdam, nomine Uriam, qui in impium Regem oracula fuderat, ex Ægypto, quo ſe ſe receperat, vi retractum ab eo fuiſſe, gladioque peremptum, ac cadaver ipſius in ſepulcrum vulgi projectum (*a*).

Joachimus rebus præficitur, cujus vitia Jeremias recenſet.

ANNO MUNDI 3398. anteChriſtum 602.

III. Joachim cum quatuor circiter annos ſubjectus fuiſſet Regi Ægypti, ſub jugum poſtea Babyloniorum redactus eſt. Nabuchodonoſor

Nabuchodonoſor Hieroſolymam expugnat.

(*a*) Jerem. XXII. 13. XXVI. 20.

ſor enim filius Nabopolaſaris, & in Babyloniæ Regnum primum ſocius, deinde ſucceſſor, iis, quæ Nechaus ad Euphratem antea occupaverat, vi receptis, in Phæniciam & Judæam pervenit, Hieroſolymam obſedit, eaque expugnata vincula injecit Joachimo, deducturus illum Babylonem: quo poſtquam deductus eſt, vel forte antequam deduceretur (*a*), Nabuchodonoſor mutato conſilio libertati & Regno illum reſtituit, ea tamen lege, ut graviſſimum vectigal ſibi perſolveret. Plures nihilominus ampliſſimo genere conſpicuos Babylonem tranſtulit, quos inter Danielem, Ananiam, Azariam, & Miſaelem. Vaſa quoque Templi, & opima cæſorum ſpolia in Fanum Dei ſui intulit.

Librum, in quo Baruchus oracula Jeremiæ ſcripſerat, Joachimus incendit.

IV. Cum Jeremias juſſu Domini eodem quarto Joachimi anno vaticinia omnia, quæ hactenus voce tantum promulgaverat, Barucho diſcipulo ſuo ſcribenda dictaſſet, hic inſequenti anno ad cœtum totius populi in Templum coacti ea perlegit. Hac de re Joachin certior factus, ad ſe librum illum deferri mandavit; quod cum factum eſſet, in illius ac Optimatum omnium præſentia Baruchus ex codice iterum omnia recitare cœpit. Tres circiter paginæ lectæ erant, cum lectionem diutius produci Rex non toleravit; ſed abreptum Librum cultro diſcidit, & in focum, donec in cineres abiret, projecit, obſecrationibus Elnathan, Dalajæ, & Gamariæ, qui tanto ſceleri relucta-

(*a*) Confer 2. Par. XXXV. Dan. I. I. 6. cum 4. Reg. XXIII. I.

ctabantur, rejectis. In cujus facti deteſtationem Judæi ad hunc uſque diem jejunium die ſeptima, vel vigeſima octava menſis Casleu obſervant (*a*). Subinde Baruchum & Jeremiam comprehendi juſſit; ſed Dominus iiſdem ex omnium conſpectu ſubtractis, ſatellitum perquiſitionem fruſtravit. Secundum hæc, alterum volumen, nonnullis auctum Jeremias Barucho dictavit, ſimulque Joachimo in novi ſceleris pœnam denuntiavit, neminem ex illius ſtirpe Davidicum thronum occupaturum; ejus cadaver die æſtum, noctu gelum paſſurum; ac Dominum omnibus ærumnis, a ſe jam prænuntiatis, eum, progeniem illius & ſervos, Hieroſolymam denique, ac univerſum Judam oppreſſurum.

V. Tribus tantum annis Regi Nubuchodonoſori fidem ſervavit Joachim, quibus elapſis jugum excuſſit (*b*), uſus facile abſentia Nabuchodonoſoris, quem obitus patris coegit, relictis omnibus, regredi Babylonem, ut Aſſyriorum & Babyloniorum Imperium capeſſeret. Nabuchodonoſor, gravibus his negotiis diſtentus, nolens, ſeu dedignatus ſe ſe in Judæam conferre, Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum copias illuc miſit; qui regionem totam depopulati, ſeptimo tandem Joachimi anno 3403. Judæos captivos Babylonem abduxere (*c*). Tribus, vel quatuor annis hoc bellum productum eſt, donec Joachim ipſe a Chaldæis Hieroſolymis obſeſſus, captus, &

ANNO MUNDI 3401. ante Chriſtum 599.

Joachim jugum Nabuchodonoſoris excutit, ac tandem occiditur.

(*a*) Jerem. XXVI. 9. 23. Scaliger in Kalendario.

(*b*) 4. Reg. XXIV. 1.

(*c*) Jerem. LII. 28.

& interfectus, *aſini ſepulturam* obtinuit, juxta Jeremiæ oraculum ; hoc eſt, ſub dio extra urbem projectus eſt. Alibi tamen legimus, ipſum *dormiiſſe cum patribus ſuis* (*a*). Hinc nonnulli crediderunt, morte quidem naturali illum obiiſſe, ſed eductum fuiſſe e ſepulcro, ut inhumatus jaceret. Fertur, poſt mortem defuncti cadaver compunctum apparuiſſe ſacrilegis ſtigmatibus, pictumque characteribus demonſtrantibus, Dæmonem, cui ſe ſe ille devoverat, appellatum fuiſſe *Cadonazer*. Narrat etiam Eupolemus, accidiſſe quondam, ut Joachimo, ceteriſque Judæis Baali ſacrificantibus improviſus ſupervenerit Jeremias, atque imminens capitibus illorum exitium prænuntiarit. Minitatus eſt Joachimus Prophetæ ignis ſupplicium; ſed Jeremias nuntiavit illi futurum, ut eiſdem lignis, quæ ſibi in rogum deſtinabat, coquinæ Babyloniorum miniſtrare cogeretur (*b*).

ANNO MUNDI 3405. ante Chriſtum 595. *Jechonias regnat, cujus ſcelera ſtatim puniuntur.*

VI. Joachimo ſucceſſit filius Jechonias, alio nomine Joachin, ſive Conias. Prophetaverat quidem Jeremias de Joachimo: *Non erit ex eo, qui ſedeat ſuper thronum David* (*c*); ſed cum ea comminaretur, Regnum Jechoniæ, utpote breviſſimum, quin & Chaldæis ſubjectum, perinde habebat ac nullum. Jechoniæ Regnum capeſſenti octo tantum annos tribuunt Paralipomena, Regum vero Libri decem & octo (*d*). Ne

(*a*) Jerem. XXII. 18. XXXVI. 30. 4. Reg. XXIV.

(*b*) Vide Calm. in 4. Reg. XXIV. 5.

(*c*) Jerem. XXXVII. 30.

(*d*) 4. Reg. XXIV. 8. 2. Par. XXXVI. 8.

Ne autem alterutri mendum tribuamus, dicendum eſt cum nonnullis, Jechoniam octennem adſcitum fuiſſe a patre in Regni ſocietatem, & poſt Regnum octo annorum cum patre, deinde ſolum rebus præfuiſſe duodeviginti annos natum. Jechonias peſſima veſtigia patris ſui ſecutus eſt, eumque atris coloribus Ezechiel & Jeremias pingunt (*a*). Pœnam tamen ſcelerum diu nequaquam diſtulit Deus.

Nabuchodonoſor pro Jechonia Sedeciam Regem conſtituit.

VII. Igitur nonniſi trimeſtre Regnum egerat Jechonias, cum Nabuchodonoſoris Duces Hieroſolymam obſedere (*b*). Si fides Joſepho, metuebat Nabuchodonoſor, ne novus ille Rex ultionem patris ſui molitus, defectionem agitaret. Ducibus ſuperveniens Nabuchodonoſor coegit Jechoniam ſe dedere una cum matre, uxoribus, & Optimatibus; decem præterea hominum millia ex Urbe, ac ſeptena ex agro & mille Artifices Babylonem tranſtulit. Inter captivos erant Ezechiel & Mardochæus (*c*). Vaſa quoque aurea Templi, & regios theſauros, qui primæ direptioni a ſe antea factæ, ſupererant, populatus eſt Nabuchodonoſor; ac tandem pro Jechonia Matthaniam, patruum illius, unum ex Joſiæ filiis, quem Sedeciam vocavit, Judæis præfecit.

Jechonias inter captivos libertate & honoribus fruitur.

VIII. Emortualis Jechoniæ annus latet. Credimus autem, ipſum antequam moreretur, præmiſſa criminum pœnitentia, miſericordiam Dei conſequutum fuiſſe, ſiquidem Evilmero-
da-

(*a*) Ezech. XIX. 5. Jerem. XXII. 24.

(*b*) 4. Reg. XXIV. 10.

(*c*) Ezechiel I. 2. XL. 1. Eſther. II. 5.

dachus Nabuchodonoſoris ſucceſſor illum e carcere liberatum in honore habuit, eique principem inter ceteros Aulæ ſuæ proceres locum conceſſit (*a*). De illo ait Jeremias: *Scribe virum iſtum ſterilem* (*b*): quod quidem oraculum non adeo ad literam accipiendum eſt, quaſi Jechonias filiis omnino caruerit; enim vero præter Salathielem alios filios habuit (*c*); ſed ea voce monuit Propheta, futurum ut Jechonias ſine filiis heredibus, ſeu Regni ſucceſſoribus decederet.

Sedecias Rex improbus. Jeremias 70. annorum captivitatẽ & Babylonis excidium prædicit.

IX. Sedecias Regnum inivit annis natus uno & viginti, atque undecim annis Reipublicæ præfuit. Princeps ſane irreligioſus, dignuſque Jechoniæ ſucceſſor; qui Domini vocibus ab Jeremia ſignificatis ſurdas aures nunquam non exhibuit (*d*). Primo initi Regni anno Elaſan, & Gamariam Babylonen, deferendis facile tributis, miſit Sedecias, quibus & a Jeremia epiſtola ad captivos Judæos commiſſa eſt, qua monebantur, ne vana ſpe imminentis reditus ſibi a Pſeudo-Prophetis facta ſeducerentur: ſedes proinde figerent, domos ædificarent, uxores ducerent, quippe quibus nonniſi poſt ſeptuageſimum captivitatis annum libertas a Domino illis promitteretur (*e*). Quadriennio poſt, Sedecias ipſe profectus eſt, vel potius ipſius loco Sarajas ejuſque frater Baruch eo

(*a*) 4. Reg. XXV. 27. Jerem. LII. 31.
(*b*) Jerem. ibidem.
(*c*) 1. Par. III. 18. Matth. I. 12.
(*d*) Jerem. I. 3. & XXXII. 1. 4. Reg. XXIV. 18. 2. Par. XXXVI. 11.
(*e*) Jerem. XXIX. LI. 59. 64.

eo iter inſtituere, tributa pariter Nabuchodonoſori delaturi, ab eoque vaſa Templi ſimul repetituri. Illis aliam epiſtolam tradidit Jeremias oraculum de evertenda tandem Babylone continentem, quæ primum legenda erat, deinde in Euphratem projicienda (*a*).

X. Sedecias cum regnaſſet ſeptem annos, clam agere cœpit cum Ephræo, ſive Apries Rege Ægypti, ut Chaldæorum jugum excuteret; & poſt biennium in apertam defectionem prorumpens, tributum Nabuchodonoſori ſolvere recuſavit (*b*). Laſſatus Princeps ille Judæorum inconſtantia exterminium Urbis, Regni everſionem, ac tandem gentis translationem Babylonem decrevit, conſilium agitans Urbem illam erigendi in Orientis, ſuique Imperii Metropolim, eo deductis, quas variarum regionum ſubegerat, gentibus. Validum igitur comparans exercitum, movit in Judæam, & in Ammonitidem, quæ in ipſum pariter rebellarat. Sed cum ad quoddam bivium veniſſet, ſubſiſtens ſagittas ſua miſcuit, augurium inde capturus, quod potiſſimum teneret iter, an in Judæam, ſeu potius in Ammonitidem (*c*). Ferunt, repoſitas fuiſſe ab eo Principe ſagittas in pharetra, quarum ſingulis ſuum eſſet adſcriptum nomen Regis, Urbis, Provinciæ, cui bellum deberet inferre, exempli cauſa, uni nomen Hieruſalem, alteri Rabbath Metropolis Ammonitarum. Poſt verſatas bene ſagittas illas in pharetra, unam tandem educebat Rex, &

ANNO MUNDI 3412. ante Chriſtum 588.

Sedecias rebellat in Nabuchodonoſorẽ, qui arma in Judæam non ſine augurio movet.

(*a*) Ezech. XVII. 15.
(*b*) Ezech. XXI. 18.
(*c*) Exod. XXI. 2. Deut. XV. 1. 12.

& quod offerebatur nomen, ferebat pariter omen de urbe armis impetenda, tanquam id Dei voluntate ſignificaretur.

Recedente ab Jeroſolymis hoſte, Judæi legem de manumittendis ſervis infringunt.

XI. Sors igitur Judæam elegit, eamque Nabuchodonoſor aggreſſus eſt ineunte anno Regno Sedeciæ nono. Cum annus ille ſabbaticus eſſet, Rex & univerſus populus, metu potius adventantis hoſtis, quam obſequio in Legem id præcipientis ſervorum libertatem promulgarunt. Urbis obſidio die decima menſis decimi, hoc eſt ex calculis Uſſerianis, die trigeſima Januarii incepit, quam tamen Nabuchodonoſor ſolvere coactus eſt, ut auxiliares copias ducenti Regi Ægypti ſe ſe opponeret. Eo timore liberati Judæi iterum, quos dimiſerant, ſervos reſumpſere, nihil vel datam fidem, vel Legis auctoritatem curantes. Gravibus eo nomine verbis refractarios caſtigavit Jeramias, extremaque omnia minitatus (*a*).

ANNO MUNDI 3416. ante Chriſtum 584.

Capta Jeroſolyma, Sedecias Babylonem ducitur.

XII. Interea Nabuchodonoſor, commiſſo cum Rege Ægypti prælio, ſuperiora obtinuit; quare ad obſidionem Hieruſalem reverſus eſt. Cum hoſtes Urbem urgerent, Sedecias ſæpe Jeremiam conſulebat; a quo nil frequentius audivit, quam ut Urbem dederet. Sana tamen conſilia Rege contemnente, factum eſt tandem, ut undecimo Sedeciæ anno, die nona quarti menſis, hoc eſt die vigeſima ſeptima Julii, duobus ſcilicet annis cum dimidio ab incepta obſidione, hoſtes in Urbem evaderent, molientemque noctis favore fugam Sedeciam Chaldæi inſecuti, tandem in planitie Jeri-

(*a*) Jerem. XXIV. 8. XXXV. 3. 10. XXXIV. 11. 22.

Jerichuntis comprehenſum deducerent Reblatham, ubi Nabuchodonoſor ſubſtiterat. Ibi miſer Princeps, cum poſt exprobratum ſibi a victore perfidiæ crimen, filios ſuos ſingulos trucidatos coram vidiſſet, tandem & ipſe luminibus orbatus, & catenis onuſtus, Babylonem in carcerem deductus eſt. Ita Prophetarum in ſpecie repugnantia oracula conciliantur, Jeremiæ ſcilicet, qui Sedeciam viſurum Regem Babyloniæ prædixerat, & Ezechielis, qui non viſa Urbe Babyloniæ, in ea tamen diem clauſurum prænuntiaverat (*a*). Quo anno obierit, ſilente Scriptura, fruſtra quæreretur. In pace tamen illum e viris abſceſſurum ſpoponderat Jeremias, addens futurum ut ejus cadaver extructa pyra pro more ceterorum Regum Juda abſumeretur, luctuoſiſque illis næniis, *Ve Domine*, ejus funeri parentaretur (*b*). Quare credimus, Babyloniæ Regem permiſiſſe ut Judæi ibi captivi Sedeciam regio honore juſtiſque ſolemnibus proſequerentur.

Hieruſalem una cum Templo igne abſumitur, & populus in captivitatem ducitur.

XIII. Nabuchodonoſor autem miſit Nabuzardanum militiæ Præfectum, regiique palatii Magiſtrum, ut ferro & igne Hieroſolymam vaſtaretur. Movit Reblatha ſeptima die quinti menſis, quæ componitur cum vigeſima quarta Auguſti; ſed Regis juſſiones non niſi die decima implevit; cujus propterea pervigilium Judæi habent eſuriale. Nabuzardanus igitur

(*a*) 4. Reg. xxv. Jerem. xxxii. xxxiv. 3. Ezech. xii. 13.

(*b*) Jerem. xxxiv. 5. lii. 11.

Templum & Urbem populatus, omnia demum incendio abſumpſit. Vaſa tamen ſacra, Mare æneum, æneaſque columnas, & cetera omnia, quæ nonniſi fracta Babylonem transferri poterant, contrivit. Summus Sacerdos Sarajas, Joſedechi pater, & Sophonias, qui illius vicibus, ubi opus fuiſſet, fungebatur, aliique viri Principes, ac ſexaginta de plebe Reblatham ire compulſi, a Nabuchodonoſore interfecti ſunt. Ceteros deinde Hebræos Nabuzardanus in Rama coegit, Babylonem in captivitatem traducturus. Tunc juxta Jeremiæ proſopopejam Rachel ingenti luctu & clamore *ploravit filios ſuos*, tribum ſcilicet Benjamini, qui ex ea ortus in captivitatem una cum Tribu Juda ducebatur. Hæc tamen alii de captivitate decem aliarum Tribuum, quæ olim contigerat, interpretantur. Quem locum S. Matthæus de Herodiana Infantium cæde explicat, ita tamen, ut præſentis facti hiſtoriam amplectens, præteritas minime reſpuat (*a*).

Hebræorum reliquiis præficitur Godolias, quem Iſmael trucidat.

XIV. Nabuzardanus in regione Judææ nonniſi fæcem agreſtium reliquit, quibus colendos tradidit agros & vineas, Provinciæ adminiſtrandæ cura Godoliæ commendata. Ad eum in Maſphath ſe ſe recepit & Jeremias ea uſus libertate, quæ illi permittebatur a Nabuzardane ex Nabuchodonoſoris præcepto; quo etiam plures Hebræi, in diverſa loca diſperſi, convenerunt (*b*). Hic tranquillam, quietamque vitam duxere, donec Iſmael filius Nathaniæ e re-

(*a*) Jerem. XXXI. 15. Matth. II. 18.

(*b*) Jerem. XXXIX. XL. XLI. XLII. 4. Reg. XXV.

e regali genere Judæ, ductis decem ſicariis, Godoliam nihil tale metuentem, quin ipſum dapibus, & muneribus excipientem, trucidavit. Proditorem inſequutus Jonathan filius Caree omnem prædam relinquere, atque ſe ad Baalim Ammonitarum Regem, a quo juſſus Godoliam interfecerat, fuga recipere coegit.

XV. Poſt hæc, Jonathan coactis quot quot poterat ex Judæis prope Bethlehem, Jeremiam conſuluit, præſtaretne ſibi in Judæa ſubſiſtere, an in Ægyptum ire. Poſt decem dies reſpondit Dei nomine Propheta, futurum ut ſi perſeverarent in Judæa, quieti manerent, ac ſecuri; minitatus autem eſt gladium, peſtem, famem, ſi in Ægyptum diverterent. Sed illi a Chaldæis ulteriora mala timentes, monita hæc non ſpreverunt modo, ſed & Prophetam accuſarunt mendacii, & proditionis, ſtatueruntque in Ægyptum proficiſci. Secutus eſt illos, quamvis invitus, Jeremias cum Barucho, quo a ſecretis utebatur. Ita Judæa penitus deſerta eſt, ac Judæorum Regnum extinctum poſt 508. annos ab ejus exordio ſub Saule, 388. a ſeceſſione decem Tribuum, & 134. ab Iſraelitici Regni excidio.

Secedentibus in Ægyptū Judæis ipſorum Regnum penitus deſtruitur.

XVI. Quatuor recenſuimus Juda captivitates. Prima componitur cum anno Mundi 3398. quando ſcilicet Daniel & ſocii captivi tranſlati ſunt Babylonem. Altera cum anno 3401. quando 3023. Judæi eodem abducti ſunt. Tertia cum anno 3406. quando populi pars, inter quos Ezechiel & Mardochæus, ſimile infortunium ſubiere. Quarta denique cum anno

Unde exordiū 70. annorum captivitatis deſumendum eſt.

 3416.

3416. de qua modo agebamus. Unde autem ſumendum ſit exordium 70. annorum captivitatis a Jeremia prædictorum (*a*), non una eſt ſententia. Qui exitum captivitatis componunt cum anno 3468. quando Cyrus Judæis facultatem fecit remeandi ad propria, illorum exordium primæ captivitati illigant, anno nempe 3398. Qui vero Prophetæ fidem tunc liberatam credunt, cum a Dario Hyſtaſpis anno 3486. exiit edictum de Templi reſtitutione, a qua abſtinere juſſerat Cyrus, vel illius Præfecti, Hebræorum hoſtibus apud illos pro ea re inſtantibus (*b*); ii exordium ab ultima captivitate, ab anno videlicet 3416. repetendum putant. Eo autem potiſſimum nomine repudianda videtur nonnullis poſterior hæc ſententia, quod ante ultimam hanc captivitatem Jeremias jam prænuntiaverat 70. annorum periodum. Quare, ajunt, Propheta non niſi præteritam captivitatem reſpiciebat, dum epochæ illius initium deſignabat. Plures diſtinguunt geminas 70. annorum periodos, alteram ſcilicet captivitatis populi, alteram ſolitudinis Templi & regionis; juxta quorum ſententiam ſeptuaginta captivitatis anni incipiunt anno 3398. ſeptuaginta vero ſolitudinis anno 3416. (*c*); eoque facile alluſit Zacharias, cum ait: *Domine, uſquequo non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda? Jam ſeptuageſi-*

(*a*) Jerem. xxv. 11. xxix. 10.

(*b*) 1. Eſdr. v. 6.

(*c*) Calm. in Jerem. xxv. 11. & in Zach. 1. 12.

geſimus annus eſt (*a*). Tandem nonnulli docent, libertatem Judæorum inchoatam fuiſſe ſub Cyro, perfectam vero ſub Dario. Calmetus in aſſignando hujus Epochæ exordio & fine varius eſt; qui etiam Uſſerium in præfigendo primo Cyri Babylone imperantis anno, decennio interdum prævertit, illum ad annum Mundi 3458. conſignans (*b*), cum alter annum 3468. præferat.

XVII. De Auctoribus Librorum Regum, & Paralipomenon, ex quibus fere omnia, quæ a Samuele hucuſque digeſſimus, mutuati ſumus, nunc agendum. Quatuor ſunt Libri Regum, quamquam olim in Bibliis Hebraicis in duos tantum dividerentur; quorum primus *Samuelis* nomine, alter *Libri Regum* ſignabatur. Noſtræ ætatis exemplaria omnia Hebraica, Græca, & Latina quatuor Libros præferunt. Duo priores in Hebræo *Samuelis* nomen, poſteriores *Regum* præfixum habent. Apud Græcos omnes Librorum *Regnorum* nomine, apud Latinos vero Librorum *Regum* innoteſcunt. Paralipomenon Libri Hebræis *Verba dierum*, ſive *Ephemerides*, vel *Chronica* appellantur. Nomen Paralipomena ex Græco derivatum ſonat *Prætermiſſa*. Eſt enim opus ſupplementi loco ceteris Scripturæ libris adjectum, plura continens in aliis omiſſa. *Libri Regum & Paralipomenon.*

XVIII. Sunt qui priores duos Regum Libros Samueli Auctori tribuant, cujus nomen exemplaria Hebraica in fronte gerunt. Huic *Quos habeant Auctores primi duo Regum Libri.*

(*a*) Zach. 1. 12. Hiſtor. Utr. Teſtam. &
(*b*) Confer Auctoris Comment. in Eſdr. 1. 1.

Huic tamen Hebræi nonniſi 27. capita prioris Libri aſſignant. Cetera enim, quæ poſt illius obitum contigerunt, iidem Judæi Gad & Nathan deputant, cum legatur: *Geſta autem Davidis Regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad videntis* (*a*). Hæc non improbabiliter dicta, ſuis tamen difficultatibus obnoxia ſunt. Plura enim occurrunt, quæ recentiorem Samuele, Nathano, & Gado ætatem præſeferunt. Samuelis ætate *ſermo Domini erat pretioſus*, id eſt, *rarus* (*b*); quæ verba auctorem produnt, cujus ævo frequentiores eſſent, quam ſub Samuele, Prophetæ. Tradit etiam Auctor, Urbem Bethel ſua ætate appellatam fuiſſe *Bethaven*, nempe domum iniquitatis (*c*); quod nomen non niſi poſt erectos in ea Vitulos aureos illi inditum eſt. Hinc non rari ſuſpicati ſunt, Davidem, ſive Ezechiam, vel Jeremiam, aut Eſdram ex monumentis a Samuele relictis opus illud digeſſiſſe, additis nonnullis, quæ hiſtoriam illuſtraturis neceſſaria viderentur.

Auctores, quibus duo poſteriores Regum Libri, & gemini Paralipomenon tribuuntur.

XIX. Tertii & quarti Regum, quemadmodum & duorum Paralipomenon Auctores, atque ætatem definire, paris operæ negotium eſt. A ſingulis Regibus, Salomone, Ezechia, & aliis nonnullis peculiaria ſui Regni monumenta deſcripta fuiſſe, aliqui arbitrantur.

(*a*) Par. XXIX. 29.
(*b*) 1. Reg. III. 1.
(*c*) 1. Reg. XIII. 5.

tur. Alii provinciam hanc Prophetis ſub eorum Regno florentibus aſſignant, Nathano ſcilicet, Gado, Addo, Ahiæ, Semejæ, Hanano, Jehu, Eliezero, Jahazieli, Iſaiæ, Oſai, Jeremiæ, aliiſque, per ea tempora apud Scripturam laudatis. His addendi publici Scribæ, quorum opera facile exarati erant, ſæpe in Scriptura memorati Regum Juda & Iſraelis Annales. Cum autem Lectores ad hoſce Commentarios, ſicut & ad laudatorum Prophetarum lucubrationes revocentur, recta conſecutione inferretur, duobus Scriptorum generibus Libros illos deputandos eſſe, primis nempe illis, qui particulares rerum ſua ætate geſtarum hiſtorias deſcripſerunt; ex quibus alii ſequioris ævi Scriptores univerſalem Hiſtoriam adornarunt.

Libros illos Eſdras vel digeſſit, vel ſaltem recenſuit.

XX. Porro Librorum Regum & Paralipomenon, quales nunc extant, Auctor creditur Eſdras. Hujus enim Operis Auctorem poſt Captivitatem vixiſſe, ejus ſolutæ Cyri edicto hiſtoria, quarto Regum & ſecundo Paralipomenon deducta aperto eſt argumento (*a*). Nullum autem Captivitatis, ejuſque ſolutæ tempore floruiſſe ſcimus, qui rerum notitia, veterumque monumentorum, quæ poſtea interciderunt, indagine, cum Eſdra comparari poſſit. Duo tamen huic opinioni opponerentur. Primo enim, quid unum eumdemque Auctorem induxit, ut eaſdem utrobique hiſtorias, & eiſdem ſæpe verbis recitaret; ac viciſſim in adſcriptionibus temporum, in rerum cir-

(*a*) 4. Reg. xxv. 2. Paral. ultimo.

circumſtantiis, in genealogiis, atque nominibus propriis variaret, ut videre eſt in Libris Regum, ſi cum Libris Paralipomenon conferantur? Deinde, Auctor Paralipomenon proſequitur genealogiam Zorobabelis ad duodecim uſque generationes (*a*). An Eſdras adeo longam vitam protraxit, ut duodecim generationes ex viro ſibi ſuppari videre potuerit? Prima tamen difficultas evaneſcit, ſi quis ſtatuat, Eſdram ex pluribus, quos ad manus habebat, Commentariis, quædam in ſuo Opere, ne mutata quidem verborum phraſi, inſeruiſſe, nihil interim curantem ſpecie repugnantia inter ſe conciliare, nihil repetitas hiſtorias, nihil unius ejuſdem rei narrationem modo fuſius, modo contractius exaratam. Ad alterum momentum quod ſpectat, dicimus, poſt Eſdræ obitum quædam aliena manu Operi acceſſiſſe; quod quidem eo conſilio fieri potuit, quo ipſe pariter Eſdras ceteris Scripturæ Libris a ſe recenſitis quædam e ſuo penu cenſuit adjicienda, rem probe noſcens, ac ſancti Spiritus Numine afflatus.

(*a*) I. Par. III. 19.

FINIS

TOMI TERTII.

MAG 754